AXIOMATA THEOLOGICA SANCTI PATRIARCHÆ AVGVSTINI

S. Romanæ Ecclesiæ Doctoris Maximi

DE ANGELIS

Quibus explicantur difficiliora, quæ de illis controuertuntur in Scholis. Dubijs ex illis ortis breuiter disputatis, & resolutis.

A P. BENEDICTO A S. IACOBO FERRARIENSE

Congregationis FF. Eremitarum Discalceatorum Augustinensium.

DEFINITORE GENERALI,

Et Sacræ Theologiæ Lectore.

FERRARIÆ M.DC.LXXVI.

Ex Typographia Heredum Iulij Bulzoni Lilij Impress. Episcopalis.

SVPERIORVM PERMISSV.

Adm. Reu. in Chriſto Patri

F. MARTINO

A S. Guilelmò Congregationis Eremitarum Excalceat. S. AVGVSTINI Italiæ Generali Vic. Digniſſimo.

Æ. D. F.

Nihil mihi iucundius (Admodum Reuerende Pater) in hiſce meis circa S. P. N. Auguſtini doctrinam lucubrationibus contingere poterat, quam vt hoc de Angelis opuſculum eo potiſſimum tempore abſoluerem, quo Sacram hanc Eremitarum Auguſtinenſium Excalceatorum familiam in ſupremo Generalis Vicarij munere, & onere moderaris. Tua enim erga me beneficia, innatus amor, filij obligatio iam à longo tempore obſtrinxerant, vt tibi quod tuum magis, quam meum planè erat redderem. Nec aliud ex meo inopi penu magis tempori congruum, vel perſonis accomodatum, licet re exiguum, affectu tamen maximum, & munuſculum, & tributum offerendum eſſe duxi. Tempori quidem; quia inter varias regiminis viciſſitudines, in quibus non infrequentes occurrunt rerũ mutationes, illorum Beatorum Spirituum offertur Idea, qui vel Deo aſſiſtẽtes iugi contemplatione perfruuntur, eiuſque Maieſtatem continuò Sacrarũ laudum concentu prædicant, vel rebus inferioribus præſidentes, ſic miro ordine cuncta moderantur, vt in penè innumera, & infinita multitudine mirabilis, tam ſpiritualium, quam corporearum appareat diſpoſitio naturarum. Quapropter ſi ex principijs illius Samij Sapientis, [de quo Vates cecinit;

a Mente Deos adijt, & quæ natura negauit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.]

philoſophari volumus; non ſolum cæleſtium orbium, ſed etiam totius Vni-

a Ouidius 15. Met.

uersi molem harmoniam quamdam puris mentibus iucundissimam iure meritò appellare possumus: cuius supremæ partes, quas in hoc opusculo describo, non incongruè Hierarchiæ nomine gloriantur: Hæc est enim, *Areopagita teste*, b Ordo sacratior, quæ scientia, & operatione ad Dei similitudinem pro viribus nititur, & pro modo suo ad illius imitationem ex indulta sibi diuinitus luce subuehitur. *Huius æmula nostra hæc Religiosa Respublica sub tuo regimine, hoc etiam potissimum tempore, quo totus ferè Catholicus orbis in armorum commotionibus, & fragoribus strepit, sic in Diuinis conceptibus, & contemplationibus tranquilla perseuerat: vt tam quieta beatitudine, [si mortalitatem demas) perfrui videatur. Si personas spectes; Maximi Patriarchæ nostri Augustini axiomata selecta offero, illius inquam, summi S. R. E. Theologi doctrinam,* c *qui inter Sacros Doctores, tam in Græca, quam in Latina Ecclesia clarissimos, qui pro temporum ratione Christianam nostram Religionem, & conseruarunt, & strenuè defenderunt,* talis fuit c [*verbis eruditi viri Hieronymi Torrensis vtor:*] vt nemo eorum maioribus quam Aurelius Augustinus Naturæ, Deique donis instructus ad res Ecclesiæ iuuandas plus studij, diligentiæque contulerit: *Huius ego licet minimus, & indignus filius verbis, & luce, quæ magis recondita, & in sacris litteris abstrusa de his Beatissimis spiritibus videntur, quorum præsentia nostrorum sensuum aciem fugit, sublato velamine Aureliano fulgore nota facere totis viribus conatus sum, vt non sinè fructu, & delectatione sublimes illæ Angelorum Persona, Natura, Proprietates, Charites, Felicitates, munera, ordines, & Custodia appareant. Hæc olim cum anno reparatæ salutis, millesimo, sexcentesimo, quadragesimo secundo, quandò prima vice in hoc Sacro SS. Patriarchæ Ioseph canobio erectum fuit Theologiæ Scolasticæ studium moderante nostram han Religiosissimam Congregationem Adm. Ren P. bonæ memoriæ sene Ioseph à Matre Dei in Lectorem ex nostris PP. Ferrariensibus primus, licet immeritus, delectus fui, exponere rudi està Minerua libuit, cupiens tamen ex tunc meliori data opportunitate, quid de tam sublimi, & spiritali Republica S. P. N. Augustinus docuerat explicare, nec fuit sinè fructu votum. Cum enim omnes Primæ Partis Summæ Angelici Doctoris Tractatus, & Primæ secundæ difficiliores Controuersias explicassem; discendi magis, quam docendi cupidus, otium potius studendi, quam regendi potestatem exoptans à te cum Visitatoris Generalis munere fungereris, in Pedemontana Prouincia Conuentibus humanissimè receptus fui, & his liberius vacandi commoditas,*

---

b S. Dionys. Areop. c. 3. de celesti Hierarc. c Hieron. Torr. in epist. Ded. Cóf. Aug. &

& facultas libenti animo collata ; Vbi ea, quæ per transitum degustaram, profundius penetrandi copia fuit. Iure meritò igitur dixi, magis tuum, quam meum esse hoc opus: quod propterea libens, ac lubens tibi tamquam vero Patrono dico, & offero, & eo libentius quod est antiqui debiti iusta solutio, & eo magis debiti, quod alias cum in eadem Prouincia Prioris Prouincialis officio fulgeres, eadem otia non semel benignè obtulisti: Hocque eo magis magno mihi in pretio esse debet, quod à Serenissimis, & Realibus Domus Sabaudiæ Principibus in grauioribus, & sacratioribus curis occupatus me infimum nostræ Religionis alumnum tanta humanitate respexisti. Cuius etiam officijs debeo; quod ad Primi Definitoris Generalis gradum assumptus fuerim: Reliquum est, vt dum hos veluti terrestrium Angelorum Choros regis, hæc quæ de cælestibus ex Paterno Augustiniano thesauro depromere potui, ea, qua polles, benignitate excipias: Dum ego Omnipotentem supplex exoro, vt quas ipse in mentem tuam pias pro communi totius Eremitanæ Discalceatorum familiæ bono cogitationes immisit, & tu heroico animo inclusas foues, eodem adspirante reipsa declares, atque perficias: vt omnibus nobis talis existas, qualis S. Pater, & Patriarcha noster Augustinus extitit, summi, & immortalis Boni amore flagrans, & iuuandæ huic Religiosæ eius Reipublicæ studio perpetuò vacans. Quē Christus Dominus diù nobis incolumem seruet, & in perpetuum beet.

Paternitatis tuæ Admodum Reuerendæ

Seruus, & Filius Obsequentiss.

Fr. Benedictus à S. Iacobo.

AP-

APPROBATIONES.

EX commissione Adm. D. P. Martini à S. Guillelmo Vic. Generalis, opus illud, continens AXIOMATA D. P. N. AVGVSTINI, Scholasticam de Angelis materiam, siue tractatum concernentia, à R. Patre Benedicto à S. Iacobo Ferrariensi, Sac. Theologiæ Lectore, nec non Generali nostræ Congregationis Definitore Dubijs explicata attentè peruolui, atque non mediocri animi voluptate plusquam semel perlegi. Cumq; in eo ne quidquam minimum repererim, Catholicæ Fidei dogmatibus dissonum, aut morum integritatem obnubilans; quin potius quæque opportuna sunt ad beatarum intelligentiarum Sacramenta reseranda, summa puritate, ac subtilitate discuti: Hinc censeo fore, iure optimo, idem opus, communi omnium vtilitati, præli beneficio comittendum. Et ita subscribo.

Romæ in Conuentu Iesu Mariæ die 14. Mensis Iulij Anni 1675.

Fr. Cælestinus à Iesu Maria Augustinianus Excalceatorum Sacræ Theologiæ Lector Ordinarius.

CVm ex commissione Admodum R. P. Matthæi à S. Eustachio Vicarij nostri Generalis, opus continens Axiomata Theologica S. P. N. Augustini S. R. E. Doctoris Maximi de Angelis, controuersijs, & dubijs explicata à R. P. Benedicto à S. Iacobo Ferrariensi in nostra Congregatione pluries S. Theologiæ Lectore, & ad præsens primò Definitore Generali studiosè perlegerim, nihil in eo reperi, quod correctione dignum iudicarem, sed potius multum, quod laudarem, non modicum vndè proficerem; in omnibus enim Quæstionibus Angelicam Doctrinam catholicæ fidei, bonis moribus, rectæq; rationi conformem redolere mihi videtur: Non exiguam igitur vtilitatem omnibus studiosis, & maximè Augustinianā doctrinam zelantibus, si typis mandetur, arbitror allaturū.

Datum Comacli in Conu. nostro SS. August. & Mauri die 10. Iulij 1675.

F. Fabianus à S. Maria Magd. Erem. August. Excalceatus S. Theologiæ Lector indignus.

Nos

Nos F.Martinus à S.Guilelmo Fratrum Eremitarum Excalceat. Ordinis S. Augustini Congreg. Italiæ Vic. Gen. Dilecto Nobis in Christo Patri Fratri Benedicto à S.Iacobo eiusdem nostræ Congreg. Sacerd. Professo, Theol. ac Deffin. Gen. salutem.

VT opus inscriptum SS.Patriarchæ AVGVSTINI Sanctæ Rom. Eccles. Doctoris Maximi AXIOMATA THEOLOGICA, quibus explicantur Selecta difficiliora, quæ de Angelis controuertuntur in Scholis, &c. à te elucubratum, & à duobus Patribus nostræ Congreg. Theologis recognitum, & approbatum Typis dare possis, harum vi litterarum, nostriq; Officij, ac muneris potestate quantum ad nos attinet, seruatis in reliquo seruandis facultatem impartimur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Dat. Niceæ in nostro Conuentu S.Ioannis Baptistæ die 22. Iulij 1675.

F.Martinus à S.Guilelmo Vic.Gen. &c.

F.Dauid à S.Maria Sec. Gen.

Die 1. Iulij 1675.

Videat Reuer. D. Andreas Bertonus Canon. Theol. & referat, &c.

Fr. Prosper Vinc. de Florentiola Lect. Theol. & Vic. S.Officij Ferr.

Approbatio pro Emin. & Reu. D. Card. Cerro Ferr. Episc. ac pro Reuer. Patre Inquisitorre Ferrariæ.

DVplici decoratus caractere, ac vtriusque Tribunalis functurus munere, opus inscriptum [SS. Patriarchæ AVGVSTINI Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Doct. Max. Axiomata Theologica, quibus explicantur selecta difficiliora, quæ de Angelis controuertuntur in Scolis. Dubijs ex illis ortis breuiter disputatis, & resolutis à Patre Benedicto à S. Iacobo Ferra-

Ferrarienſi Congreg. F.F. Eremitarum Diſcalceatorum Sancti Auguſtini Sacræ Theologiæ Lectore, exactiſſimè, vt oneris erat, perluſtraui, illudque per omnes ſui partes Sanctiſſimæ Fidei veritati conſonum, virtutis decoratum nitore, ſcientiarum ſpeculatiuarum ſubtilitate firmatũ, SS. Patrum ſententijs, & autoritatibus innixum, ſacris eruditionibus cumulatum, iuſtitiæ vrgente pondere', pronuntiandum adiudicaui, ac dignum ſanè, quod prælo donatum, ſtudioſorum euulgetur profectui.

Datum Ferrariæ, die 15. Auguſti 1675.

Andreas Bertonus Sacræ Theol. & I.V.D. Sanctæ Ferrarien. Eccleſiæ Can. Theol. & Sacri Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis Conſultor.

Stante ſuprad: Atteſtatione.

Imprimatur

Fr. Io: Michael Bergamaſchi Inquiſitor Gen. Ferrariæ.

Imprimatur

F. à Balneo Vic. Gen.

AXIO-

AXIOMATA S. P. AVGVSTINI DE ANGELIS.

CONTROVERSIA PRIMA De Existentia, & Essentia Angelorum

AXIOMA PRIMVM.

Existentiam Angelorum fide tenemus
Ex enarratione in Ps. 103. ad illa verba.

Qui ambulat super pennas ventorum, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flagrantem.

Quamuis non videamus apparitionem Angelorum; absconditum est enim ab oculis nostris, & est in quadam Republica magna Imperatoris Dei; tamen esse Angelos nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum, legimus, & tenemus; nec inde dubitare fas nobis est.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum existentia Angeli ratione naturali probetur.

PRæmitto hic primo; quod si nomine Angeli intelligatur substātia intellectualis Superior natura homine, quam propter subtilitatē spiritum appellamus, & propter nunciandi munus vocamus Angelos. Existentiam Angeli esse de fide, vt docet hic S. P. in axiomate, nam multis apparuisse Angelos legimus in script. SS. & in eisdem sæpe fit mētio de illis vt in Ps. 103. eo loco quem S. P. ad hoc nostrum intentū explicat id est *qui facit Angelos suos Spiritus, &c.* Hunc locum etiam S Paulus Apostolus in epistola ad Heb. cap. 1 interpretatur de illis spiritibus probans eos esse inferiores Filio Dei, qui nunquam filij vocantur per naturā, sed ministri, & in Ps. 8. *Minuisti eum paculo minus ab Angelor,* vbi etiam S. P. sic exponit, *addit illa clarificatio, qua resurgens ascendit in Cælum Gloria inquit, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Quandoquidem, & Angeli sunt opera manuum Dei, etiam super Angelos constitutum accipimus vnigenitum filiū, quem minutum paulo minus ab Angelis, per humilitatem carnalis generationis, atque passionis vidimus, & credimus.*

Præmitto 2. quod si per Angelos intelligantur substantiæ intellectuales, completæ omnino independentes à corpore, & à materia, aliquos existimare temerarium esse, negare Angelos esse: quia dicunt videri definitum esse in Concil. Lateranēsi sub Innoc. III. cum dicit Deum simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidisse creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicā scilicet, & mundanā, ac deinde humanam quasi corpore, & spiritù constitutam, &c. Quo loco cum Sacrosāctum Concilium opponat Creaturam spiritualem, quam vocat Angelicam, mundanæ, & humanæ, neq; dicat illam constare ex corpore, & spiritù, sicut humana, neq; ex solo corpore sicut natura corporalis mundana, satis apertè indicare videtur, Angelos esse substantias spirituales, completas omnino independentes à corpore. Præterea quia in actis Apostolorum cap. 23. refertur hæresis Sadducæorū dicentium, *neque esse*

esse resurrectionem, neq; Angelos neque spiritum: quo loco cum pro eodem sumat scriptura, Angelum, & spiritum imediatè enim post subdit. *Pharisæi autem multa confitentur puta resurrectionem, & Angelos, seù spiritum* videt. ostendere Angelos esse substantias, omnino independentes à corpore. Denique quia qui negaret Angelos esse, aliquid assereret sine ratione, & fundamento contra id, quod communiter docent S. R. E. D. D. & Theologi, tanquam pium, & conforme religioni, in quò cõsistit formaliter ratio propositionis temerariæ. Hæc ratio nimis probat, & propterea nõ probat intentum. Aliud est enim negare Angelos esse, & aliud est negare illos esse puros spiritus carentes quocumque corpore, & quacunque materià, qui enĩ primũ negaret nõ solũ loqueretur sine ratione, & sine fũdamento, sed etiam contradiceret Sacræ Scipturæ, tam in locis supra citatis, quam in alijs plurimis, & determinationi S. R. E. tam in Concilio supradicto, quàm alibi; vnde nõ solum haberet assertionẽ temerariã; sed etiam hæreticam. Qui verò primo admisso negaret hoc secundum; an loqueretur omninò sine fundamento, & sine ratione infra in dubio *An Angeli sint incorporei*, videbimus: propterea.

Præmitto 3. nõ esse hæresim, vel errorem contra fidem negare Angelos esse substantias intellectuales, completas, carentes omni compositione cuiuscunque corporis, vel materiæ: nam S. Th. q. 16. de malo art. 1. in corpore docet non multum referre ad fidei christianæ Doctrinam, siue Dæmones habeãt corpora, siue non; pro quo citat etiam S. P. lib. 12. de Ciuitate Dei, idẽ sentiunt Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. Sanctæ Annotat. quinta: Caranza in sũma Concil. añot. ad acti: Quintam septimæ Synodi Generalis, quæ fuit secunda Nicæna. Bañez, Zumel: Molina: Vasquez, & alij in commẽt. ad q. 50. primæ Partis S. Th. ad art. primum.

Nec obstat locus Concilij Lateranensis sup. cit. nam ibi Concilium voluit solum determinare: Deum simul ab initio temporis omnes creaturas condidisse; reliqua verò pertinentia ad distinctionem creaturarũ conditarum remisit ad disputationes Theologorum, in quibus tamen voluit vti modo loquẽdi magis cõmuni. Hoc ex eo cõmuniter ostẽditur, quòd cum plures PP. vt infra patebit; docuerint Angelos esse corporeos, nunquam tamen in Ecclesia fuit sententia ista existimata hæresis, aut damnata: immo D. Bernardus, & Rupertus viri doctissimi non multis annis ante prædictum Concilium docuerunt, rem hanc esse in opinione positam. Præterea etiã dato quod Concilium definiuisset ibi

aliquas creaturarum esse spirituales, & inuisibiles,aliquas visibiles,& corporeas, & harum alias esse mundanas, aliam humanam ex spiritù, & corpore constantem, non tamen sequeretur;ex tali definitione Concilij haberi creaturas omnino spirituales: eo quod opponeretur creaturis visibilibus,& esse dicatur creaturas inuisibiles, & spirituales; eo quod non habeant adiunctam materiam, vel corpus; nam responderi posset quod solum seq. non habere corpus visibile, & sensibile, quale habet creatura mundana, & humana, sed tamẽ habere magis tenue, & subtile ab illis solum visibile, quibus Dominus oculos aperire voluisset, vt dixit Ioannes Episcopus Thessalonicensis; vel certè sibi magis subiectũ, vt indicauit S. P. in lib. de Genesi ad litteram posse dici: [quod tamẽ postea retractauit;) nam ratione huius maioris subiectionis, & tenuitatis licet haberent Angeli sibi corpora vnita, ac pro inde essent corporei. Nihilominus, vt docet S. Th. quest. 16. de malo supracit. act. 1. ad prim: magis possent dici spiritus quam nos, cum, & ipse aer spiritus dicatur.

Premitto 4.Sadducæorũ errorem fuisse quod dicerent nullum esse spiritum intellectualem,immortalem,& omnino independentem à corpore sensibus subiecto: credebant enim, omnia esse corporea, & sensibilia. In eo errore fuerunt etiã aliqui Philosophi naturales, qui, & ipsam animam,etiam rationalẽ corpus esse dicebant, & Manichæi, qui Deum ipsum lucem quamdã corpoream esse affirmabãt vt refert S. P. in lib. Cõf. vt videre est apud S.Th.opusc.de spiritualibus creaturis art. 5. & qu. 16. de malo art. 1. ad 6. & q. 6. de potẽtia art. 6. His positis: vertitur in cõtrouersiam vtrum possit ratione naturali demonstrari,existere Angelos sumendo pro Angelis substãtias intellectuales, completas, omnino independentes à corpore: in quà sunt duæ oppositæ sententiæ.

Prima est aliquorum Thomistarũ qui docẽt hoc sufficienter demõstrari,& à priori, & à posteriori.

Secunda sententia est pluriũ, tum antiq; tum rec. qui docent eorum existentiã ratione naturali euidẽter demonstrari non posse. Valentia in prima parte disp. 4. q. 1. puncto primo Paragrafo *queret autem*, & Becanus prima parte Tract. 3. qui est de Angelis q. 1. & Petrus à S. Ioseph. lib. 3. cap. 1. Resol. prima §. *Verum quod existant Angeli, & alij plures* & hanc ego arbitror esse apertam sententiam S. P. in axiomate positã si attentè perpendantur illa verba. *Quamuis non videamus apparitionem Angelorum, abscondita est enim ab oculis nostris, & est in quadam Republica magna Imperatoris Dei; tamen esse Angelos nouimus ex fide*. His verbis satis aperte declarat nos omnem

cer-

certitudinem, quam de Angelorum existentia habemus, ex fide habere, & cum dicit nos non videre, & esse absconditam ab oculis nostris, sufficienter docet, nos nõ habere de hoc euidentiam naturalem sufficientem ad demonstrationem veram Metaphysicã, vel saltem Physicã propterea.

Dico nos ratione naturali euidẽter probare non posse, quod existãt Angeli nullo genere demonstrationis. Hæc assertio prob. primo, quia si euidenter hoc probari posset, vel esset à priori, vel à posteriori. Non à priori quia hoc vel esset ab intrinseco, vel ab extrinseco, non ab intrinseco, quia non est de essentia Angeli, sicut nec vllius alterius creaturæ, quod existat; nec ab extrinseco, idest à causa producente, quia Deus non necessario, sed liberè creaturas producit, cuius decreta libera, nisi ipse manifestet, vel per effectũ, vel per reuelationem, nõ cognoscimus; sed nec à posteriori hoc euidenter probatur quia nullus est effectus nobis euidenter naturaliter notus, qui nos ducat in cognitionẽ certã, & euidentem talis existentiæ. Hoc clare infrà patebit in solutione argumentorũ oppositæ sententiæ, in quibus aperietur non dari euidentiã in illis requisitam ad naturalem demõstrationem: ergo, &c.

Dices 1. probari euidenter intentum à priori ex perfecta similitudine vniuersi cum ipso Deo sic. Hoc vniuersum est productum ad repræsentandum perfectè ipsum Deum, & eius attributa, & perfectiones, sed nõ repræsentaret perfectè, nisi in eo esset summus gradus naturæ, puta intellectualis purus, & segregatus ab omni concretione materialitatis, & corporeitatis. Ergo necesse est admittere talem gradum in rerum natura. Maior est certa, & euidens; nã quodcũq; agens agit ad assimilandũ sibi passum, quantum potest; minor etiam est certa; nã euidens est, quod vniuersum cum tali gradù est magis simile Deo, quam sine tali gradu; est enim ipse Deus purissimus actus, & primus intellectus segregatus, non solum ab omni corporeitate, & materia, sed etiam ab omni potentialitate; ergo licet non possit dari talis creatura, quæ careat omni potẽtialitate; saltem per illam quæ compatitur secum, solummodo potentialitatem obiectiuam in esse substantiali perfectius repreſẽtabitur Deus; quã per vniuersum; quod careat tali gràdu. ℞. hoc argumẽt. nullo modo habere vim demonstratiuam. Primo quia adhuc manet dubium, an remaneant alij gradus, & aliæ rerum species producendæ. Secundo pendet etiam lis sub Iudice, an implicet creatura tam pura in esse spirituali, quæ non admittat compositionem verã, & realem ex actù, & materia spirituali, & de facto in schola D. Bonauentu-

uenturæ cōmuniter: tenetur omnes Angelos, qui de facto sunt; constare ex materia spirituali, quod etiā cōstanter asserunt eius discipuli, esse de mente S. P. N. Augustini; quæ sententia in ratione nō haberet fundamentum, nisi teneret implicare creaturam carentem compositione vera, & reali ex partibus realiter contradistinctis; præterea non est necessè quod agens per intellectū assimilet sibi effectum, tam in ratione agēdi, quam in modo essendi, puta in idea; nam hæc est spiritualis: effectus verò est materialis, & corporeus, & multo minus in potentia intellectiua, vel in natura; alioquin agēs intellectuale creatum semper produceret effectum naturæ intellectualis, & omnes creaturæ a Deo productæ essent intellectuales; præterea perfecta assimilatio in natura est quando agens est vniuocum, non verò quando est æquiuocum, vt est Deus; non euidenter ergo, & cum omni certitudine requisita ad demōstrationem ex similitudine effectus cum agēte infertur similitudo in natura cum ipso agente. Dices cū Thomistis; quod licet agens æquiuocū, & per intellectum non semper producat effectum sibi similem in natura, nihilominus tale agens æquiuocū, & intellectuale, quod est Deus producit aliquam creaturam sibi similē in natura; cum enim semper sibi assimilet effectum in ratione agendi, & hæc sit intelligere Dei, quod est formaliter ipsum esse Dei, & hoc esse sit formaliter intellectuale, & eminēter continens omne esse omnium creaturarum; vt sibi assimilat aliquas creaturas in esse eminētiali; ita videtur non solū possibile, sed etiam necessariū ad perfectionē Vniuersi, quod sibi assimilet aliquas creaturas in esse formali, seù intellectuali, ac proprio Dei; atque adeo in sua natura; quod non habet locum in artifice creato; nam huius idea in qua sibi assimilat effectum neq; est formalis, neque identicè natura ipsius artificis, sed ab illo realiter, & prædicamento differt; neque continet eminēter esse effectus. Præterea Artifex creatus non agit ad communicandū se sicut Deus, sed solū ad exprimendam suā artem, & propterea non est mirum si effectus non est similis artifici creato nisi solū in idea; At Artifici creato potest esse similis etiam in natura, Hæc instantia licet afferat probabilitatem secum, non tamen affert euidentiam, & certitudinem requisitam ad demōstrationem; nā licet sit verum, Deum esse agens intellectuale, & intellig: Dei esse ipsum esse Dei; nihilominus sola intellectio non est ei ratio agendi ad extra; sed etiā ipsa volitio; quæ volitio Diuina cū in ordine ad creaturas sit libera nulla ratione intrinseca, vel extrinseca potest necessitari, ad producendum has, vel illas creaturas, sed merè li-

rè liberè pro suo libito producit quas vult, quādo vult, & quomodo vult, & sicut produxit creaturas in tempore; cum tamen in sententia aduersariorum potuisset eas producere ab æterno, ita etiam data possibilitate harum creaturarum intellectualium carentium omni compositione physica, non est euidens quod propterea, eas produxerit. Dixi data possibilitate earum; quia vt supra dixi, adhuc est in opinione; an tales creaturæ omnino physicè simplices sint possibiles. Præterea adhuc data necessitate assimilandi sibi hoc Vniuersum in esse intellectuali, non propterea sequitur intentū; nam potest respōderi, sufficiēter assimilari ei in hoc gradù per illas creaturas intellectuales, quæ sunt compositæ ex materia, &forma; discrepantia illa, quæ affertur inter DeūArtificē increatū, & Artifices creatos si probat, nimis probat, ac proinde nihil probat, si enim aliquid probaret, conuinceret vtique huiusmodi creaturas deberi & ipsas assimilari Deo in ipso esse intellectuali increato, & independenti; quod implicat contradictionem, sequela probatur, quia hæc est natura Dei, ac proinde si effectus iste deberet ei assimilari in natura, etiam in his prædicatis, quæ sunt de formali cōstitutiuo ipsius essentiæ Dei, deberēt assimilari. Dices sufficere quod assimilētur in aliquo prædic: similitudo. n. non importat æqualitatem. Respondeo quod etiam Artifici creato assimilātur eius effectus, in aliquibus prædicatis, ac proinde huius modi replicā non conuincere intentum. Aliqui ex his qui nobiscū sentiunt putant posse etiam infirmari prædictam rationem ex perfectione Vniuersi desumptā: ex eo quod sequeretur etiā euidēter colligi dari gradum rerum supernaturaliū; quales sunt gratia, gloria, & vnio hypostatica, quorum tamen existentiam solo lumine supernaturali fidei cognoscimus. Verum hoc non sequi. Prob. 1. quia illi duo gradus gratiæ scilicet, & gloriæ non sunt substantiarum, sed qualitatum; quæ per se nō producūtur, sed in substantia; neque enim potest dari substātia creata, que sit supernaturalis, nam l. substātia esset, & diceretur supernaturalis, quia esset superior alia substantia, & sic essent innumeræ substantiæ supernaturales; imò excepta infima specie substātiarum, omnes aliæ species essēt supernaturales; nam vnaquæque haberet aliam, vel alias quibus esset superior; vel esset supernaturalis, quia produceretur à Deo per creationem, & sic materia prima, elementa, Animæ rationales, cæli, & spiritus creati essent entia supernaturalia; quod nullus audebit dicere; solis ergo accidētibus, siuè physicis, siuè metaphysicis conuenit supernaturalitas; cū enim supernaturalē dicatur relatiuè ad naturale, seu ad naturam

turam

turam, vel tamquã ad subiectum vndè sumitur ratio supernat. quoad substantiam l. tamquam ad causam ũde sumitur ratio supernatur. quoad modũ; forma verò, accidentalis cũ sit perfectio substantiæ, quæ est res naturalis, tunc dicitur, & est supernaturalis quo ad substantiam, quando perficit suũ subiectum supra exigentiã illius, vel alterius subiecti creati eo; quod nec illi, nec alteri subiecto creato debetur ex princip: illius, & constitutione naturali; ac proinde à solo Deo producitur; tũc vero dicitur supernaturalis secundum modum, quando licet habeat causam naturalem, à quà possit produci, tamen à solo Deo producitur nulla causa naturali tunc postulãte, vel ad ipsũ disponente; vt quando oculus miraculo sè restituitur, ex quibus patet hos gradus, & has entitates supernaturales nõ inferri euidenter à perfectione Vniuersi; cũ pendeant à gratuito beneplacito Dei, & sint vel quò ad substantiam, vel quo ad modum supra exigentiam cuiusq; substantiæ creatæ. Præterea cum lumine naturali non innotescant nobis euidẽter nisi perfectiones naturales Vniuersi; cum loquimur de demonstratione naturali, non possumus arguere nisi ex perfectione naturali ipsius, quæ scilicet illi naturaliter debetur; gradus verò rerũ supernaturaliũ non debetur Vniuerso, & ideo sinè illo ad huc dicitur Vniuersũ naturaliter perfectũ; est, n. perfectũ vt coll. ex lib. 5. metaph. t. 21. cui nihil eorum de est quæ ipsi naturaliter debentur, & per hoc patet responsio etiam ad instantiam de gradù vnionis hypostaticæ; sine hoc enim gradù Vniuersum in ordine naturali fuit perfectum per plura sæcula antequã poneretur.

Dices 2. saltem probari posse à posteriori euidenter ex effectibus scilicet ipsorum spirituum. Primo quidem ex motu cæli; hic enĩ neq; est à forma cæli, neque immediate à Deo; ergo debet esse ab aliqua substantia intellectuali incorporea creata. Consequentia probatur ex sufficienti partium enumeratione. Anteced. vero prob. quia neq; primo est à forma, quæ sit anima, quia cælum non est animatum, neq; esse potest; anima enĩ nõ vnitur corpori propter corpus, sed propter suã perfectionem, idest propter suas operationes, ad quas indiget corpore quia sunt finis mediatus animæ, sicut etiam cuius libet substantiæ; vt habetur lib. 2. de cælo t. 17. Vnde necessario deberent esse in Cælo operationes animæ; sed nullæ tales actiones ibi reperiũtur; ergo, &c. maior est certa ex communi experientia, & lumine naturali nota; minor prob. quia ibi nec est vegetatio, nec sensatiò vlla; nam actiones istæ requirunt corpus corruptibile ex primis qualitatibus mixtum; omnes enim

enim sensus super tactum fundantur, qui est apprehensiuus primarũ qualitatum; omnia etiam organa potentiarum tam vegetatiuarum, quam sensitiuarum requirunt determinatam proportionẽ elementorũ, à quorum natura cælum est remotum, cum sit naturæ superioris omnibus elementis. Neque ibi est intellectio; cum enim hæc non exerceatur per corpus, eo non indiget, nisi quatenus per sensus ipsius (qui nullo modo cælo concedendi sunt) phantasmata ministrantur; Neque est motus localis, tum quia, vt anima moueat corpus, non opportet, quod vniatur illi vt forma, sed sufficit si vniatur per contactum virtutis, vt motor mobili, quo pacto Platonici Ethnici dicebant omnes animas vniri corporibus; & Aristoteles lib. 8. Phys: postquam à textu 40. & deinceps ostendit primum quod mouet seipsum motu vero, reali, & physico, debere componi ex duabus partibus, quarum vna sit mouens, altera verò mota, assignans modum, quo hæ duæ partes vniuntur, & text. 43. & 44. docet quod motus sit per contactum vel duorum ad inuicem, si vtrumque sit corpus, vel vnius ad alterum, & non è contra si vnum est corpus alterum verò non; tum quia motio localis per se sola, si non procedit à cognitione, & appetitu, non est actio vitalis, cum possit, & ab extrinseco motore, & per naturalem emanationem fieri, vt in grauibus, & leuibus. Neque potest dici talem cælestium corporum motum esse à forma inanimata; vt est ille grauiũ, & leuium; tum quia forma naturalis eatenus est principiũ motus localis, quatenus tali corpori secundum suam formam debetur aliquis locus; cælo autem secundum suam formã non magis conuenit vnus, quam alter locus: sic arguit etiam S. Th. lib. 3. contra gent: cap. 23. & q. 5. de potentia art. 5. &c. Tum quia, cum natura sit determinata ad vnũ, non potest inclinari ad motum propter motum; nam hic in sui ratione includit difformitatem, & cum sit essentialiter via vlterior, non potest habere rationem finis, & consequenter non potest propter se, sed tantũ propter terminum esse necessarius, & connaturalis corpori. Quapropter si forma cæli inclinat ad motum hoc debet esse propter aliquid determinatum, quod ex motu consequitur, puta, propter determinatum locum, ad quem magis accedens secundum condicionem motus naturalis celerius mouetur; quo aquisito, in eo naturaliter quiescat, & à quo recedens violenter moueatur; sed cælum neque vno tempore velocius, quam alio mouetur, neque violenter recedit ab occidente, vbi ad ipsum naturaliter ex oriente reuertitur, neque quiescit: ergo talis

motus cæleſtis non poteſt eſſe à forma intrinſeca. Confirmatur quia motus indeterminatus, qualis eſt ille cæli non poteſt prouenire à forma determinata, qualis eſt illa cæli, vt hab. ex cap. 1. lib. 2. de Cælo.

Neque poteſt dici, quod proueniat immediatè ab ipſo Deo. Pertinet enim ad ordinẽ diuinæ Sapientiæ, & Prouidentiæ, vt quæ poteſt efficere per cauſas ſecundas, non faciat per ſeipſum; Huius rei ratio optima à S. Th. p. 1. q. 104. art. 6. aſſignatur ex eo, quod cum Deus ſit ipſa Bonitas per eſſentiam, vnumquodque tribuendum eſt illi ſecundum ſuum optimum; & cum in gubernatione, quæ ad Prouidentiam ſpectat, duo ſint, ratio ſcilicet gubernationis, quæ eſt ipſa Prouidentia, & executio; optimum verò in cognitione practica qualis eſt ratio gubernationis, ſit cognoſcere particularia, in quibus eſt actus; in genere verò executionis, qua res gubernantur, & ad perfectionem perducũtur, optimum ſit rebus creatis gubernatis magnam perfectionem tribuere, qualis eſt, quod aliquid non ſolum in ſe ſit bonum, ſed etiam alijs ſit cauſa bonitatis; propterea ſpectat ad diuinam prouidẽtiam, ſi ratio gubernationis ſpectetur, vt Deus imẽdiate omnia gubernet: ſi verò executio, quod creaturas inferiores per ſuperiores, & nobiliores regat, & conſequenter cæleſtia corpora per Angelos moueat; deſumpta eſt hæc doctrina ex S. P. N. Auguſtino lib. 3. de Trin. cap. 4. vbi docet omnia corpora per ſpiritus regi, quem etiam de more ſequutus eſt S. Greg. Magnus lib. 4. Dial. vbi ait nihil in mundo viſibili diſponi, niſi per inuiſibilem creaturam. ℞. Valentia loco cit. huiuſmodi argumẽta non cõuincere planè euidenter intentum; Eo quod ad cælorum motum poſſet ſufficere aliqua alia vis ipſorum cælorum, & maxime ſi cæli eſſent anima præditi, quod vtrum ita non ſit, non poteſt euidenter definiri, licet ſit communior ſententia, quæ docet non eſſe animatos; Quod ſic oſtendo. Ex nullo capite poteſt euidenter oſtendi non dari in cælis operationes vitales ſuperioris ordinis, vel in quidditate, vel in modo eſſendi, noſtris. Falſum eſt enim requiri omnino neceſſario corpus corruptibile, vt patet in Beatis, quorum corpora ſunt incorruptibilia ex gratia, & dono Dei, & tamen iuxta communem ſenſum Theologorum exercere poterunt ſuas ſenſationes, & operationes vitales, quæ non repugnant illi ſtatui. Neque eſt omnino euidens cælum eſſe omninò naturæ ſuperioris elementis, de quo ſatis egi tomo 2. Philoſ. Naturalis cap. 2. quod eſt de cælo, & aſtris pag. 571. Præterea non repugnat motum illum eſſe à ui appetitiua, & cognoſcitiua formæ ipſius cæli in bonum Vniuerſi; Immo data etiam negatio-

negatione animationis cælorum, non constat euidenter, quod motus ille non possit esse ab ipsa forma, quæ non sit anima; nam dato quod illa corpora syderea, vt tenent plures, essent naturæ igneæ; & quod solum sydera mouerentur, cæli verò immoti manerent; non posset euidenter ostendi, quod ipsa se ipsis non moueantur, & discurrant ibi per vias sibi determinatas, eo pacto quo videmus ignes, quos vocamus artificiales plures, & insolitos motus exercere, qui quandoque nobis videntur excedere vires naturæ, & Cometas; ac alia meteora ignita moueri per aerem, neque est omnino euidens grauia, aut leuia celerius moueri prope suam sphæram, aut centrum, vt plures, & graues A A. moderni ostendunt. Per quæ patet, quod licet non debeat ille motus im̃ediate attribui ipsi Deo; vt rectè arguitur in vltima instantia; nihilominus non desunt rationes, per quas possit refundi in vim motricem intrinsecam; absque eo quod recurratur ad formas assistẽtes, & motores extrinsecos.

Secundo demonstrare conantur à posteriori ex effectibus veneficorum lamianum, & arrepetitiorum; quales sunt, ignotis linguis loqui, maxima, & ingentia pondera transferre, modis naturæ humanæ cursum, superantibus, prædicere futura, & remotissima à sensibus, & cognitionibus nostris, & his similibus, quę vim corporeæ substãtiæ manifestissimè superant; & non nisi à substantia intelligente præstari possunt. Si dicas tales effectus posse tribui vel im̃ediatè ipsi Deo, vel animabus defunctorum impiorum. Contra est primo; quia plures ex illis effectibus repugnant Sanctitati, & Bonitati, vt sunt maledicere, imprecari, blasphemare, & vsus rerum illarum ad malum finem, & actus ex genere suo peccaminosos, vt faciunt venefici, incantantores, & Lamiæ. Secundo q. plures ex illis arguerent in Deo impotentiam in agendo; nam aliquando medicamentis aliqui effectus in arrepticijs impediuntur, vt sunt vehementes torsiones, quæ sublatis humoribus cessant; vndè si essent immediatè a Deo, non impedirentur. Contra est tertio, quia non videtur rationabile, vt obseruat S. Th. q. 16. de malo art. primo: animam separatam hic oberrare; statim enim ac quis moritur, anima illius vel penetrat cælũ, vel ad infernum detruditur, vel in alijs receptaculis iuxta exigentiam ipsius collocatur; & oppositum huius docet idem Angelicus Præceptor esse hæresim, sic habet in 4. dist. 45. q. 1. art. 1. quæst. 2. & in prima parte q. 64. art. 4. ad 3. Contra est quarto, quia licet daretur posse animas ex suis receptaculis exire, non tamen

men posſent mouere localiter aliquod corpus, & conſequenter, nec etiam linguam arreptitij; quod probat S. Th. q. 16. de malo art. 10. ad 2. & prima parte q. 117. art. 4. Primò quia cum anima humana teneat infimum gradum ſubſtantiarum ſpiritualium, non habet virtutem mouendi niſi corpus ſibi vnitum, & ab ipſa viuificatum, cuius ſignum eſt quod ſi aliquod mẽbrum areſcat omninò, & moriatur, eſto vnitum corpori non amplius obedit animæ ad motum localem; præterea ſi anima ſeparata moueret corpora, id faceret ſolo nutu, & imperio voluntatis, ſed coniuncta corpori hoc non poteſt facere: ergo nec etiam ſeparata. Probatur conſequentia quia ſeparatione non fit potentior, aut efficacior ad operandum: neque corpora redduntur illi magis ſubiecta ad obediendũ; modus enim exiſtendi in corpore nihil derogat prædictæ virtuti, eſto deroget virtuti intellectiuæ; Anima enim alio perfectiori modo intelligit ſeparata, quam coniuncta; ex eo quod dum eſt in corpore recipit à ſenſibus ſpecies, quibus intelligit, & ad actus omnes intellectionis iuuatur, quibus ſeparata iuuari non poteſt; At verò vt nutu ſuæ voluntatis ſit potens operari, nihil poteſt obſtare coniunctio corporis: nam vt moueat non eget contactu quantitatiuo; denique ſi poſſibile eſſet animam mortui in alterius corpus intrare, & illud mouere; multo magis poſſet in ſuũ, quod eſt falſum. Sic arguit quidam eruditus modernus, & in Doctrina S. Th. egregiè verſatus in ſuis manuſcriptis; His tamẽ nõ obſtãtibus, Valentia, & Becanus locis citatis putant neque his indicijs euidenter conuinci eſſe Angelos modo ſupra explicato: ille quidem, quia putat plures ex illis effectibus poſſe prouenire à cauſa prima propter fines nobis ignotos; eo quod eiuſmodi homines vt potè mentis impotentes in illis ſermonibus; ſiuè actionibus qualeſcumque ſint, minime peccant: ſic diſcurrit Valentia. Verum quia aliquando in his actionibus dantur aliquæ maxima deformitate præditæ, quæ non videntur vllo bono fine cohoneſtari poſſe, vt ſunt blaſphemiæ, delatio, & obedientia ad Veneficos, & Sagas, ſeù Lamias in omni opere peccaminoſo, non videntur hæc vllo modo poſſe referri in ipſã primam cauſam immediatè; Propterea magis placet reſponſio Becani, qui dicit non eſſe euidens huiuſmodi effectus, non poſſe fieri ab animabus ſeparatis. Nam ad illos producendos ad ſumum tria requiruntur. Primo peritia linguarũ. Secundo vis mouendi inſtrumenta vocis, vel alia corpora. Tertio voluntas mentiendi, aut male agendi.

di. Sed certum est primo animas separatas interdum callere varias linguas, quas in hac vita didicerunt. Secundo certum est animas damnatas habere voluntatem malè agendi. Tertio probabile est habere vim mouendi corpora; nam licet D. Th. loc. citatis hoc neget, tamen multi alij satis probabiliter hoc affirmant, & ideo nihil euidenter ex his concludi potest. Ad id, quod dicebatur esse hæresim, apud S. Th. quod longe à receptaculis animæ oberrent. ℞. S. Th. ibi hoc non docere de omnibus omnino animabus in vniuersum: nam in prima parte loco ab arg. citato solum dicit, esse erroneũ dicere, qud pæna sensibilis, tam dæmonum quam animarũ differatur vsq; ad diẽ Iuditij, quod est valde diuersum ab intento arguentis, & in alio loco num. 4. tantum abest vt doceat esse hæresim, aliquas animas esse extra receptacula communia animarum, vt in responsione ad octauum concedat animas separatas aliquando in loco nostrę habitationis puniri ad nostram instructionẽ, vt earum pænas videntes retrahamur à culpis. Ex supradictis manet, quod licet sit certum ex fide; ac etiam ex prædictis rationibus, & obiectionibus naturali lumine probabilissimum appareat esse Angelos modo explicato; non tamẽn hec posse demonstratione naturali euidenter probari; maximè si nomine Angelorum sumantur naturæ omnino spirituales creatæ, segregatæ ab omni, & quacumq; compositione physica; seù ex materia etiam spirituali, & actu realiter non identificatis. Rectissimè ergo dixit S. P. in Axiomate hæc abscondita esse ab oculis nostris, & esse Angelos nos ex fide tenere: imò, & in Enchiridione cap. 58. ait *Quomodo se habeat superna illa societas, & quæ ibi sit differentia personarum, &c. dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt. Ego me ista ignorare confiteor.*

AXIOMA SECVNDVM.

Natura Angeli eſt Spiritualis ex enarratione in Ps. 103.

Angelus offitij nomen eſt, non naturæ. Quærris nomen huius naturæ ſpiritus eſt; quærris offitium, Angelus eſt.

D V B I V M.

Vtrum Angeli ſint immateriales, & incorporei.

DVo hic quæruntur, quæ fortaſse videbuntur alicui eſse omninò idem re, & ratione; cum apud plures auctores idẽ ſit non ſolum realiter, ſed etiam formaliter materiale, ac corporeum, & conſequenter etiã immateriale, ac incorporeũ. Verum quia in aliquorum Doctorum ſcholis admittitur materia ſpiritualis, & in aliquibus etiam materia indifferẽs ad eſse ſpirituale, & ad eſse corporeum, quæ determinentur ad eſse ſpirituale per coniunctionem cum actù, ſeù forma, quæ ſit omnino ſpiritualis, & ad eſse corporeum per actum ſeù formã, quæ ſit corporea, quod intendunt eſse germanam mentem, & Doctrinã S. P. N. Auguſtini; propterea neceſse eſt in præſenti, de vtroque puncto determinare; ſeparatim perpendendo quid re vera ſentiat S. P. in hoc puncto. Primo quidem videndo quid dicendum ſit circa eſſe corporeum, vel incorporeum Angeli. Deinde circa hoc quod eſt eſſe materiale vel immateriale.

Præmitto ſolut. primi puncti: Hoc quod eſt eſse incorporeum in ſcholis cõmuniter tripliciter accipi. Primò, vt opponitur extenſo, & quanto ſiuè per ſe, ſiuè per accidens. Secundo, vt opponitur compoſito ex materia capaci formæ, & extenſionis ſeù quantitatis molis. Tertiò, vt opponitur ei, quod licet in entitate non ſit cõpoſitum ex materia prædicta, & forma, habet tamẽ corpus ſibi vnitum, vel exigit habere. Alias acceptiones huius nominis alij

affi

assignant istæ sunt communiores ad quas aliæ facilè reuocari posunt. Quest. procedit de his trib⁹ modis: an Angeli re vera sint omnib⁹ trib⁹ modis incorporei; in quà sunt duæ extremæ inter se oppositæ sentẽtiæ.

Prima est Angelos esse corporeos, id est habere corpora sibi naturaliter vnita; pro ea citatur comuniter Plato. in Timæo. & alibi de qua re videndus est S. P. lib. 8. de Ciu. Dei cap. 14. 15. & 16. quibus locis explicat sententiam Platonicam de hac re etiam testimonio Apulei Platonici lib. de Deo Socratis. Idem senserunt plures P. P. antiqui, vt Origenes lib. 2. Periarch: cap. 2., & 3. vbi docet nihil præter Patrem Filium, & Spiritum Sanctum viuere sine corpore, & cap. 8. ait Angelos esse corporeos, & habere suas animas: Tertullianus lib. de carne Christi ait Angelos esse corporis alicuius, licet non carne præditos. Lactantius lib. 2. Instit. cap. 15. Auctor lib. de Eccl. dogmatibus, (qui falso olim tribuebat: S. P.) cap. 11. 12. Io: Cassianus collatione 3. cap. 13. Ioannes Episcopus Tessalonicensis cuius sententia habetur in septima Synodo Generali Actione quinta; vbi iste Auctor affirmat ita Ecclesiam Catholicam docere. Rupertus Abbas lib. primo de operibus; Trinitatis cap. 11. Idem senserunt etiam Cardinalis Caietanus in cap. quartum Genesis, & in cap. primum Epistolæ S. Pauli ad Ephesios. Aueroes lib. de Anima, & Augustinus Nyphus Tract. 3. de Demonibus cap. 34. & alij plures Philosophi, qui sequuti sunt illam Platonicorum opiniõem. Sciendum tamen est A. A. huius sententiæ non tribuere omnibus Angelis corpora eiusdem rationis; Nam alijs tribuunt cælestia, alijs ignea, alijs aera. Philosophi quidem propter diuersos effectus. Patres vero propter aliqua Sacræ Scripturæ loca.

Citatur pro ea comuniter S. P. qui licet in Enchiridione cap. 59. & lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 10. videatur de hac re dubius, nihil ominus censetur alias magis in hanc sententiam propendere vt lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 23. lib. 2. de Genesi ad litt. cap. 17. & lib. 3. cap. 10., & epistola 115. ad Nebridium. Verũ salua pace eorum D. D., qui putant hanc fuisse mentem S. P. censeo eũ ipsum, nec constanter tenuisse, & ea quæ in fauorẽ huius sẽtẽtiæ Platonicæ potius dubitando, quam asseuerãdo locis citatis scripserat vt potè Philosophus Platonicus sufficienter retractasse lib. primo retractationum cap. 26. vbi retractans ex q. 67. quod ei iam seniori, ac proinde & in S. S. Scripturis ac S. S. P. P. magis versato displicebat, ait *Quod dixi Spiritaliter Summos Angelos viuere, infimos verò animaliter, audacius dictum est de infimis, quam vt possit*

l. scrip-

vel scripturis Sanctis l. ipsis rebus ostē di. quo loco retractando eos animaliter viuere, consequenter retractat eos esse corporeos; hæc enim sunt necessariò, & essentialiter connexa. Secunda sententia, est comunis in Scolis hodie; est q. D. Thomæ prima parte q. 50. art. p. q. 51. art. p. in quest. vnica de spiritualibus creaturis art. 5. q. 16. de malo art. p. vbi docet Angelos esse omnino expertes corporis, atq; adeo esse creaturas intellectuales, & completas in sua specie; sic tenent ex Philosophis Peripateticis ferè omnes cum suo Principe Aristot. lib. 6. & 12 metaphys. cap. 6. 8. & vltro, & ex P. P. S. Dionisius lib. de Diuinis nominibus cap. 4. Diuus Ignatius Epistola ad Trallianos D. Basilius in hom: *Quod Deus non est Auctor malorum:* in fine D. Greg. Nazianzen. orat. 2. de Theologia vesus finē D. Greg. Nyssenus in lib. de Vita Moysis ante medium D. Io. Chrysostom. hom. 22. in Genesim, & S. Epiphanius contra hæresim vigesimam sex tam S. Io. Damasc. lib. 2. fidei Orth. cap. 3. S. Hieronymus in epist. ad Auitū de erroribus Origenis. S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3 S. Greg. magnus lib. 4. moralium cap. 9. & Theodoretus lib. de Diuinis decretis cap. de Angelis. Scholastici communiter etiam extra scholam S. Thomæ eam docuerūt in lib. 2. sententiarū. Distinctione octaua ibi tamen magister non videtur eam definire.

Eam ego non dubito esse sententiam S. P. non solum propter relata supra ex lib. primo Retract. cap. 26 sed etiam quia in Axiomate dicit quod *nomen naturæ eius* [idest Angeli) *spiritus est*, quod vtique non ita absolutè diceret, si putaret Angelum esse corporeum, nam semper S. P. contradistinxit inter corpus, & spiritum per hoc quod *Corpus, non nisi per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistit, &c* vt docet in epistola 28, quæ est ad S. Hieronymum, & lib. 2. de Genesi ad cap. 4. *Omne corpus habeat necesse est dimidium suæ quantitatis. De* spiritù vero, & incorporeó dicit in lib. de Incarn. Verbi cap. 2. *Impossibile est de incorporeo diuisionem aliquā fieri*, & quia aliqua corpora propter sui tenuitatē, vt aer, & vētus dicuntur spiritus, distinxit in lib. 5. de Genesi ad litterā cap. 9. sic. *Nam, & aer iste siuè ventus dicitur spiritus, sed quoniam corpus est, non est spiritus vitæ*. Cum ergo absolutè vocat Angelos spiritus, procul dubio sensit eos esse omninò realiter contradistinctos à re corporea: quod adhuc clarius patet si attentè legatur illa enarratio in Ps. 103. vbi cum psalmistà dixisset quod Deus facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignē vrentem, exposuit li ignem vrentem esse accipiendum non propriè, sed

sed methaphysice quã expositioné non adderet, si sentiret Angelos habere corpora, Vide quæ dixi Tomo 3. Philosophiæ naturalis; qui est de Anima cap. 2. & cap. 12.

Hæc secunda sententia est vsque adeo plausibilis hodiè in scholis, vt Valentia, Vasquez, Gonetus, & alij plures moderni post Concilium Lateranense non vereantur primam relatam, licet eorum P.P. quos citaui auctoritate fultam detemeritate notare; Concilium enim Lateranen. in cap. firmiter de Summa Trinitate ait. *firmiter credimus quod vnus est solus uerus Deus, aternus, & qui ex nihilo condidit vtrãque naturã spiritualem, & corporalem. Angelicã videlicet, & mundanã, & deinde humanam quasi communem ex corpore, & spiritu constitutam.* Hic Concilium asserit Angelos esse spiritus, quẽadmodum anima hominis est spiritus, sed anima hominis nullo corpore constat, sed est spiritualis vt habetur in alio Concilio Lateran. sub Leone Decimo definitum: ergo Angeli sunt omninò spirituales, & incorporei. Præterea Concilium dicit hominem esse substantiam mediam & cõmunem inter Angelicã, & corporalem creaturam, quia homo cõstat spiritu, & corpore; ergo Angeli qui non sunt medij inter spiritualẽ & corporalem substantiam, non constant corpore, & spiritu. Deniq; Cõcilium opponit, & distinguit Angelos ab omni substãtia corporea; ergo sensit Angelos esse omnino incorporeos. Quibus sic stantibus.

Dico Angelos esse omnino incorporeos, & hoc esse non solum de mẽte S. Thomæ, vt supra dictum est, sed etiam S. P. N. Augustini non tantũ in locis sup. adductis, sed etiã in lib. primo retract. cap 11. & 13. & lib. 2. cap. 14. vbi retractat, quod alibi scripserat, nempe Angelos esse animas, & docet non animas, sed spiritus esse dicendos. Probari solet cõmuniter hæc conclusio ex scripturis sacris, in quibus Angeli vocãtur spiritus vt in supra cit. Ps. 103. in epistola ad hebr. cap. primo; consueuit autem Scriptura Sacra, vt notat S. Thomas opusc. 13. cap. 18. nomine spiritus designare aliquod incorporeum, vt Io. 4. *spiritus est Deus* Isaiæ cap. 31. *Ægyptus homo, & non Deus & equi eorum caro, & non spiritus*, & in actibus Apostolorum cap. 23. reprobatur sententia Sadducæorũ negans spiritus. Probãt alij ex eo; quod Angeli mali ceciderunt de Cælo, vt habetur Lucæ 10. & Isaiæ cap. 9. At si Angeli essent corporei, non potuissent de Cælo cadere, nisi vel frãgendo, vel penetrãdo Cælum, quorum vtrumq; est naturaliter impossibile. Verum hæc ratio nihil probat apud eos, qui ponunt cælos esse fluidos, & parum apud eos qui dicunt eos esse solidos, nam quemadmodum communiter dicitur corpo-

ra damnatorũ futura in inferno penetratiuè; alias tam magna multitudo non posset ibi recipi, sic etiã posset dici Angelos illos esto corporeos penetrasse cælos descendendo ad maiorem ipsorum pænam, & confusionem; Probant alij ex eo, quod in corpore vnius arreptitij, vt habet Math. cap. 5. Erat Legio Dæmonũ; quæ ex Sãcto Hieronymo ibi cõstat *6666*. quod esset omninò impossibile: si Angeli haberẽt corpora; Respõderi tamẽ posset, vt obseruat S. Th. q. *16*. de malo art primo ad 3. Dæmones habere corpora perexigua; quæ multo facilius ingrediuntur, per tenuissimos meatus, & poros, quam subtilissimus aer. Prob. 2. hæc assertio illa eadem ratione, quà vtitur S. Th. prima parte q. 50. art. primo in corpore ad prob. hanc cõclus. quam placet nunc hoc pacto proponere, & tanquam probabilissima vti ad hoc intentũ. Deus fecit Vniuersum perfectũ, sed ad perfectionẽ Vniuersi spectat, quod in eo sint creaturæ omninò spirituales, & independentes à corpore tamquã ab altera sui cõparte spirituali; dicẽdũ est igitur creatãs illas quas Angelos appellamus esse talis naturæ. Maior est certa ex Deut: cap. 32. *Dei perfecta sunt opera*, & Gen. cap. primo, vbi, & singula creata, & vniuersitas creaturarũ dicuntur valde bona ad insinuandum perfectionẽ Vniuersi, & probatur ratione tum quia ab Artifice infinitæ Sapientiæ, Potẽtiæ, Bonitatis, & pefectionis in agẽdo nõ debet procedere nisi effectus perfectus; tum quia Deus in creãdo Vniuerso intendit suæ Bonitatis, & Perfectionis manifestationem, & cõmunicationem, & propterea condidit hunc mundum ex varijs rerum gradibus illisq; in suo genere perfectis: quia nullus per se, & quomodocũque conditus, aut seorsim sumptus sufficiebat ad finem in rerum creatione, & Vniuersi constituitone intentum. Minor prob. quia ad perfectionem Vniuersi, requiruntur omnes gradus generales entis, & bonitatis; hoc enim sonat ex vi vocis perfectio Vniuersi: sed inter hos gradus maxime perfectus, & possibilis est gradus talium substantiarum spiritualium incorporearum; ergo ad perfectionẽ Vniuersi spectat, quod sint in eo tales creaturæ; quod talis gradus sit valde perfectus, & conducens ad perfectionẽ Vniuersi probatur; quia, vt notat Angelicus Doctor loco citato, nõ potest effectus esse perfectus nisi assimiletur agenti in eo per quod agens agit. Hoc enim significat ipsum agere, quod est communicare id per quod Agẽs agit, vt explicat idẽ Agelicus Doctor q. 2. de Potentia art. primo in corpore, sed ratio agendi Deo est suum intelligere, vt habet adiunctũ velle, & ipsum intelligere, & velle Dei constituunt essentialiter, & cõple-

pletiuè esse Dei, seu naturam eius, iuxta ea quæ dixi supra in controuersijs de Sciẽtia, & voluntate Dei; ergo Vniuersũ hoc, vt est effectus Dei, non potest esse perfectũ nisi assimiletur ei, non quidem in toto, sed in aliquo sui gradu in natura intellectuali. Quod iste gradus sit possibilis, probatur: quia nec repugnat ex parte Dei, qui potest quidquid non implicat contradictionem, neque ex parte ipsius rei. Primo quia non repugnat substantiam esse creatam, & esse incorpoream, hoc enim prædicatum nõ excedit limites creaturæ, cum relinquat in ea dependentiam à Deo, & limitationem in tali gradù, & genere essendi, imo, & in tali specie. Secundo quia cum causa efficiens intendat sibi assimiliare suum effectum: quo effectus erit similior secundum gradum, eo erit aptior, vt ab illo fiat. Cum igitur Deus rerũ omnium causa sit substantia intellectualis, & spiritualis, videtur non solum possibile ex parte rei, sed etiam magis consentaneum ex parte causæ, vt ab illa procedant creaturæ penitus immateriales, & intellectuales, quam solum, vel totaliter corporeæ, vel partim corporeæ, & partim spirituales. Tertio suaderi potest; quia ad perfectionem cuiuslibet generis, & gradus pertinet, vt reperiatur id quod est perfectum in illo gradù, & genere; quia quod est perfectum naturaliter, prius est imperfecto: quò pacto actus est prior potentia; cum igitur gradus intellectualis imperfectè reperiatur in anima rationali, erit concedenda in natura creata substãtia in qua perfectè reperiatur; sed hæc non potest esse nisi creatura immaterialis ergo. Deniq; hoc probatur ex operatione intellectus: constat enim intellectionẽ esse operationẽ, quæ per corpus exerceri nõ potest, vt est in confesso apud omnes; ergo oportet quod substantia, cuius illa operatio est actus, habeat esse independens à corpore, sicut enim est vnumquodq; ita est operari ipsius; licet enĩ aliqua substãtia intelligens vniatur corpori; hoc non conuenit illi in quantum intelligens est, sed in quantũ eget operationibus per corpus exercitis ad complementum intellectualis operationis, quatenus nimirum intelligit abstrahendo à phãtasmatibus; ergo debet dari aliqua substantia intellectualis omnino independens à corpore: intelligere namque abstrahendo à phantasmatibus accidit operationi intellectuali, & pertinet ad imperfectionem intelligentis; quod autem per accidẽs iungitur alicui, non in omnibus cum eo reperitur. Dices me non posse vti hac ratione ad probandum intẽtum; eo quod in præcedenti dubio eam reiecerim tamquam insufficientem ad probandam ipsorum Angelorum existentiam, quod si non probat existentiam, nec etiam pro-

 babit

bab.t tale prædicatum quidditatiuū ipsorum: multo enim remotiora sūt à nostra cognitione prædicata essentialia, maximè differentialia ipsorū, quam sit eorum existentia. R. me supra reiecisse hanc rationem tamquā insufficientem ad probandum euidēter, seu ad demonstrandum phylosophicè, quod existant; non verò tamquam insufficientem ad topicè probandum dictam existentiam; immò vt probabilissimam eam admisi, & vt talem etiam ad probandum hoc intentum admitto. Cum enim argumenta demonstratiua non habemus, debemus vti probabilioribus, quæ inuenire possumus: hoc enim modo prudēter philosophamur. Cōtra hanc eamdem rationem obijciunt aliqui cum Caietano, & pluribus Platonicis. Probari quidem per eam dari huiusmodi substantias ad perfectionem Vniuersi, non tamen omnes illas, quas nos intelligentias vocamus, esse huiusmodi, sed aliquas esse incorporeas idest supremas illas, & D. O. M. propinquiores; aliquas verò corporeas idest inferiores, vtrasque tamē esse homine superiores, & harum varietatem pertinere ad decorem Vniuersi; ac proindè, vt prædicta ratio concludat etiam probabiliter de omnibus, oportere ostendere, non esse possibilem hanc intelligentiarum distinctionē. R. Satis esse ostendere nullam esse necessitatem huius distinctionis, eāque ex nullo capite posse probari esse admittendam, & primo quidem à posteriori ex nullo signo, vel effectu colligi potest talis distinctio, immò potius habetur oppositum; non enim potest concludi ex bonitate, vel malitia ipsorum Angelorum, vt dicatur Angelos bonos esse incorporeos: malos vero corporeos, vt asserunt aliqui Platonicorum. Omnes enim Angeli à Deo creati potuerunt peccare, & secundum probabilissimam sententiam supremus eorū peccauit, & cecidit, neq; colligi potest ex operatione propria naturæ intellectualis, quæ est intellectio; ad hanc enim non requiritur corpus, cum non accipiant cognitionem à rebus, vt accipiunt homines; neque ex actione aliqua, vel ex termino alicuius operationis; nam eiusdē rationis naturaliter loquendo est in omnibus, cum præter intellectionem, & volitionem (si est circa corpus) nō transcendat motionem localem, quā possunt omnes efficere; vel si transcendit, non possit ex ullo signo ostendi aliquibus illam conuenire, aliquibus verò non. Probari potest secundo à priori. Quia cum quantitas sit accidens, non potest naturaliter esse per se, sed debet esse in materia corporea tamquā in subiecto; vt habetur lib. 7. metaph. cap. 8. sed omnes Angeli carent tali materia, vt dicam infra; ergo, & quoad quantitatem, & quoad substantiam

sunt

sunt incorporei.

Dices primo in septima generali Synodo, quæ est secunda Nicæna videtur dictum Angelos esse corporeos, nam in actione quinta fuit lectus quidam liber B. Ioannis Episcopi Thessalonicensis, vbi hæc habentur *De Angelis, & Arcangelis sic sentit Ecclesia, esse quidem intellectuales, sed omninò nõ corporis expertes, inuisibiles, vt vos Gentiles putatis* (disputat enim ibi Episcopus iste cum quodam gentili.) *verum tenui corpore praditos, & aereo; siuè igneo, vt scriptum est, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros eius ignem vrentem, sic autem multos sanctorum Patrum sensisse cognouimus; quorum est Basilius cognomento magnus, & Beatus Athanasius. & Methodius, & qui stant ab illis. Solummodo autem Deus incorporeus, & informabilis; intelligibiles autem creatura nequaquã ex toto sunt incorporea, & immitabiles pictura existunt; quare etiam in loco existunt, & circumferentiam habent. Quanquam autem non sunt, vt nos, corporei, vt potè ex quatuor Elementis, & crassa illa materia; nemo tamen, vel Angelos, vel Damones, vel animas dixerit incorporeas, multoties enim in proprio corpore visi sunt, sed ab illis quibus Dominus oculos aperuit: nos igitur eos non vt Deum, sed vt creaturas intelligibiles, & ministros Dei, non tamen vt verè incorporeos pingimus & colimus quod autem in forma hominis pingantur in causa est, quod in ea visi sunt, si quando ministerium Dei apud homines obierunt*. Tharasius Patriarcha colligens prædicti Patris sententiã sic ait *Ostendit Pater quod & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, vt hominibus apparuerunt*. Respondit autẽ Concilium veluti approbans sententiam Ioannis *etiam Domine*. Ergo secundum Concilium verè Angeli habent corpora. ℞. communiter non omnia, & singula, quæ sunt in Concilijs narrata, descripta, aut relata esse de fide: sicuti est quid quid est in scripturis, sed ea solum, vt ait Iustinianus in suo Edicto: quæ intendit Concilium definire, & de facto suis, vel decretis, vel Canonibus vel confessionibus pro definitis, & de fide ab omnibus Catholicis tenẽda statuit: quo pacto fertur in Cõcilio Florentino illa solum esse de fide, quæ continentur in Decreto Eugenij Quarti: qui illud congregauit & approbauit; ac proinde in dicto Concilio Nicæno fuit quidem definitum de fide; licere Angelos pingere; Synodus enim illa fuit cõgregata sub Adriano Primo Papa anno Domini 781. Imperantibus in Oriente Constantino, & Irene eius matre, contra hæreticos; qui damnabant cultum sacrarum imaginum in Ecclesijs, & alibi, easque eijciendas esse docebant propterea ibi eas esse adorandas, & ãplectendas, relatiuè

decre-

decretum est; quod verò asseritur ibi Angelos esse pingendos, eoquod sint corporei, fuit tantum probatio desumpta ex Doctrina Philosophica Platonis, quæ tunc maximè vigebat in scholis, & ferè omnes P. P. tam Græci, quam Latini in ea erāt maximè instructi, & versati, vt patet ex eorum operibus; exclusis illis, quæ Sacræ Scripturæ, & fidei Catholicæ repugnant; sed non nitebātur huic soli rationi; fuit enī ibi adductum aliud medium verissimū, quod solum erat sufficiens ad habendam certitudinem huius rei. Hoc autē erat quod Angeli in forma humana apparuerunt; quàpropter ad intentum nihil referebat, an Angeli re vera essent corporei, nec ne. Neque enim necesse est omnes probationes, quæ adducuntur ad explicandam, vel suadendam, vel probādam veritatem dogmatum S. Fidei esse de fide, sed possunt esse aliquot, quæ sint solum probabiles, & pro tali eo sæculo habebatur illa. Quaprópter cōmuniter sentiunt Theologi verba illa Concilij *etiam Domine* non esse definitiua earum omnium, quæ dixit Episcopus ille Ioannes Thessalonicensis, vt patet ex contextù, nam definitio de puncto principali, quod erat in controuersia; an scilicet pingendæ, & venerandæ essent imagines, habetur solum post allatas multorum P. P. sententias, quæ afferuntur post verba predicti Ioannis immò dicunt nec etiam approbatam fuisse illam sententiam, quod Angeli essēt corporei, nā hæc nec continetur in Decreto Concilij, nec etiam habetur in illa collectione Tharasij Patriarchæ, qua facta Concilium annuit illis verbis *etiam Domine* collectio enim illa non solum fuit breuis & recta, sed etiā paucis optimè exprimens principale intentum prædicti Episcopi Thessalon. Duo hic obiter aduerto circa hoc factū. Primum est à quibusdam Neotericis sequentibus Doctrinam Gregorij de Valentia tomo primo in prima partem Disp. 4. Generali q. 2. in quà agit de substantia Angelorū. § *ad secundū* doceri Ioannē illum falso citasse Basilium, & Athanasium pro sua sententia, quod Angeli essent corporei. Hoc enī mihi videtur durissimum ad credendū; eo quod venerabilis ille Episcopus, quem Concilium Beatum appellat, loquebatur tunc coram Cōcilio Generali, quod constabat ex trecentis quinquaginta Episcopis, vtpatet ex actione 3. dicti Concilij in relatione subscriptionis, quorum plurimi erāt Græci, & in operibus horum S. S. P. P. & suorum Doctorum peritissimi; vnde non est verisimile, eum voluisse afferre in re tanti momenti id, de quò potuisset argui de mēdatio, & impostura. Præterea non est credibile quod si falso citasset, non habuisset in tam magna congregatione.

ne Venerabilium P. P. & D. D. nec vnum reclamantē, & re vera, quoad S. Basilium nullus poterat reclamare; nam hic S. Doctor in lib. de spiritu Sancto cap. 16. non solum vult Angelos esse corporeos, sed etiam in proprijs corporibus videri posse, & visos aliquando fuisse docet. Fallitur ergo P. Valentia, & qui cū eo sentiunt in hoc puncto.

Alterum quod aduerto in presenti est id quod notat Pater Bartholomæus Carrāza in summa Conciliorum in dicta Actione quinta prædicti Concilij Nicæni, nempe hanc cōtrouersiam an Angeli sint corporei nec ne, nondum esse S. Ecclesiæ censura terminatam.

Dices 2. S. P. N. Augustinū Epist. 111. & 115. lib. 3. de Trin. cap. 11. in expositione Ps. 85. & 145. & in Enchiridione cap. 59. & alibi docere Angelos esse corporeos, & solum dubitare, an corpora Angelorū sint tractabilia, imò lib. 3. de Genesi ad ad lrām cap. 7. asserere Angelos cōstare ex corpore elementi aeris quē postea sequuti sunt Rupertus Abbas lib. primo de Trinitate cap. 11. non solum in sensù, sed etiam in verbis, & S. Bernardus Abbas Claræualēsis lib. quarto de consideratione ad Eugenium. Qui tamen postea serm. 5. in cant. dubius de hoc manet, & dicit rem esse opinabilem propter varias Patrum sententias: ergo non licet sequenti Doctrinam S. P. Augustini recedere ab eo in sententia hac. ℞. aliqui non esse mirū hos PP. & illos supracitatos hanc tenuisse sententiam, vt probabilem, vel sub dubio vtriusq; opinionis fundamēta ex posuisse, nā tunc plures erāt Sectatores doctrinæ Platonis, quam Aristotelis, & quidem de S. P. non est dubium cum ipsemet hoc sæpe confiteatur, & in lib. Confessionum dicat S. Senem Simplicianū ei gratulatum fuisse, quod non in alios libros Philosophorum, quam Platonicorum incidisset, eoquod Platonici paucis mutatis fieri poterāt Christiani. Opinio autem horum Philosophorum, quæ tunc erat probabilior, vt patet ex relatis, in obiectione præcedenti asserebat, vt referunt S. Thomas cap. primo, & quarto, & post ipsum Marsil. Ficinus lib. primo Theologiæ Platonis cap. 5. dari quatuor ordines substantiarū inter Deum, & nos. Primum appellabat Deorum secundorum, idest inferiorū ipso vno vero Deo Primo ente, & omnium entium Auctore. Secundum intellectuum separatorum & hos duos ordines incorporeos cēsebat. Tertium vocabat Animarū cælestium, ponebat enim corpora cælestia animata. Quartum vero Dæmonum in hoc aere, & mundo sublunari commorantiū, & hos duos ordines corporeos esse docebat; propter quos ponebat animas humanas corpore incoruptibili constare, & in

hoc

hoc visibili, & elementari corpore esse tamquã Nautas in naui. P. Mat thias Hauzeur melius cæteris, quos huc vsque viderim in hoc puncto, respondet prius in Indice Sacræ Theologiæ Scholasticæ post secundum tomum suæ Anatomiæ in opera S. P. in difficultatibus Angelorũ diffic. 2. dolendo quod tam leuiter & superficialiter de tanti Auctoris sententia sentiatur;deinde in obseruatione ad cap. 10. lib 21. de Ciuitate Dei vbi S. P. agit de passione Spirituum ab igne corporeo difficul tate prima respondet S. P. non tribuisse illis corpora propria, quasi ab eis informata,& animata, ex propria opinione, sed ad summum quædam corpora eis in pænam à Deo annexa, siuè aerea, siuè ignea in quò obseruat Magistrum sententiarum lib. 2. dist. 8. optimè sensisse de mente S. P. Augustini nam re vera loco su pra citato ex lib. primo retract. cap. 26.ad q. 67. retractat. quod ex Plat. Schola posuerat *infimos Angelos animaliter viuere*, vt supradictum est; & cũ tribuit corpora eis, potius Dæmonibus, quam bonis Angelis assignat. Ergo illis in pænam censet alliganda non ex natura rei. Præterea quia præter loca supra cit. etiam lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23. ex professo docet Angelos esse ex natu ra sua spiritus. Vltimo quia in dicto cap. 10. lib. 21. de Ciuitate Dei expressè ponit, Angelos esse incorporeos his verbis *cur non dicamus quamuis miris, veris tamẽ modis etiã spiritus incorporeos posse pæna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc potuerunt corporũ suorũ vinculis insolubiliter alligari; adhærebunt ergo spiritus Dæmonum immo spiritus Dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi; nõ vt ignes ipsi in quibus adhærebunt eorum iunctura inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritù, & corpore, sed vt dixi miris, & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pænam, non dantes ignibus vitam.* Quid Clarius? Si dicas etiam in hoc capite S. Patrẽ assererere spiritus habere corpora illis verbis *sunt quædam sua, etiam Dæmonibus corpora, sicut doctis ho minibus visum est, ex isto aere crasso, atque humido cuius impulsus vento flante sentitur.* Respõdeo; ex hoc eodem loco satis fieri clarum, & manifestum, quod quando tribuit Angelis, aut Dæmonibus corpora, nõ loquitur ex propria sententia, sed ex sententia Platonicorum; hoc enim sonant illa verba; *sicut doctis hominibus placuit*; vt obseruat dictus P. Hauzeur loco citato: sic etiã in lib. 3. de Genesi ad litteram cap. 10. vbi agit de corporibus Dæmonum, non loquitur absolutè ex propria sententia: subdit enim *si ergo hæc ita sunt. Non impedit ista destin*

ctio

ctio nostram scripturam, &c. & prætérea addit *Si quid de his trangressoribus Angelis diligentius requirẽdum est, alius erit accomodatior scriptura locus.*

Maneat ergo pro complemento quæstionis huius fixa, & firma regula eiusdem S. P. quam tradit in dicto cap. 10. lib. 21. de Ciuitate Dei *Si quisquam nulla habere corpora Dæmones asseuerat, non est de hac re aut laborandum operosa inqusitione, aut cõtentiosa disputatione certandum*. Quẽ postea de more sequutus est S. Thomas, & q. 16. de malo art. primo docuit quamcunq; sententiam quis asserat, non multum pertinere ad Doctrinam Fidei christianæ cum neutra sit de Fide. Sic etiam in resp. ad 2. explicat locum illum S. Gregorij in quo dicitur Angelum esse animal rationale, esse intelligendũ metaphoricè propter similitudinem rationis; & in 2. dist. 8. q 1. art. 1. ad 2. secundum eminentiam perfectionis, & ex eo quod habet virtutem cognoscendi sensibilia non quod sit cõpositus ex materià, & formà: vnde non est audiẽdus Viues, qui in comment: lib 15. de Ciuitate Dei cap. 23. asserit S. P. Augustinũ sensisse Angelos bonos, & Dæmones esse corporibus præditos, non enim vllum ostendit locum cui non conueniat responsio, quã assignat S. Thomas prima parte quest. 51. art. primo in resp. ad primũ, vbi ait S. P. loqui non asserendo, sed ex opinionẽ Platonicorũ, qui ponebant esse quædam animalia aerea, quæ Dæmones nominabantur.

Omitto alia argumenta, vt sunt illa desumpta ex cap. 6. lib. Genesis quod Angeli iuxta versionẽ Septuaginta genuerint homines Gigantes, & quod res corporeæ non possint agere in puros spiritus, & quod Dauid musica frænaret Dæmonem torquẽtem Saùlem, quia sicut sunt communia, ita communes habent responsiones, de quibus nouissimè agit P. Io. Babtista Gonetus tomo 6. sui Clypei Theologiæ Tomist: disp 2. art. primo § 111.

Exclusa corporeitate Angelorũ, exclusa est etiam ipsorum materialitas in scholis eorum, qui tenent vbi nõ datur materia, vel quãtitas molis nec etiam ibi dari rationem corporis, aut corporeitatis, & vice versa, vt tenent communiter Thomistæ, & ferè omnes Scotistæ, ac etiam plures aliæ Scholæ; verũ quia non desunt, vt notaui in principio dubij, asserentes latius patère materiam, quã corpus, & à nulla creatura posse excludi rationem materiæ, esto in quibusdam non sit ratio corporis, vt in Angelis, & hoc esse germanam sententiam S. P. propterea in præsenti me remitto quoad Angelos, ad ea, quæ dixi in tertio tomo Philosophiæ naturalis circa animam rationalẽ capite duodecimo pag. 489.

Dico 2. non esse de mente S. P. quod detur in Angelis materia propriè dicta. Hoc sic probo: si admitteret in Angelis materiam, vel admitteret materiam corpoream, vel spiritualem; neutram admittit, ergo non est de mente S.P. dari in Angelis materiam propriè dictam.

Maior est certa, nam quodcũque ens quod datur à parte rei, vel est ens corporeum, vel spirituale. Hæc enim duo membra adæquatè diuidunt ens reale in tota sua latitudine, ita vt etiam ipse Deus, qui non continetur sub vllo prędicamẽto: nihilominꝰ contineatur sub altero ex his membris, idest sub ente spirituali. Minor patet, quia si ex propria sententia admitteret in Angelis corporeitatẽ, non cõcederet postea ipsos esse incorporeos, vt concedit in supracitato cap. 10. ex lib. 21. de Ciuitate Dei: implicat enim in terminis constare ex materia corporea, & esse incorporeum; quod verò non admittat materiam spiritualem est clarum ex lib. 7. de Genesi ad litterã cap. 7. vbi expresè eam reijcit his verbis. *At verò illa spiritualis materies, si fuit vlla vnde anima fieret, vel si est vlla vndè animæ fiunt, quid est ipsa quod nomen, quam speciẽ, quẽ vsum in rebus conditis tenet? Viuit an non? Si viuit, quid agit, quid cõfert vniuersitatis effectibꝰ? Beatã nè vitam gerit, an miseram, an neutram? Viuificat aliquid, an ab hoc etiã opere vacat, & in quodam secreto vniuersitatis otiosa requiescit? Sine vigili sensu, motuque vitali? Si enim nulla prorsus adhuc vita erat, quomodo esset vita futura, quædam incorporea, nec viua materies? aut falsum est, aut nimis latet:* Hic S.P. vsq; adeo apertè reijcit materiã spiritualem, vt locus iste non indigeat explicatione, sed solùm attenta lectione. Quidam eruditus sectator Doctrinæ S. Bonauenturæ, cui hunc locum obieci; Respondit S.P. negare quidem materiam spiritualem: sed admittere materiam, quæ nec sit corporea, nec spiritualis, quę postea ex coniũctione cũ actu redderetur corporea, aut spiritualis iuxtà diuersitatem ipsorum actuum, seu formarum. Nouum philosophandi genus, si in rebus materialibus Eatenus ipsæ formæ dicuntur corporeæ, & materiales quatenus educuntur de potentia ipsius materiæ; ergo non à forma habet materia vt sit corporea; Sed potius è contrà habet ipsa forma à materia vt sit corporea, & materialis. Præterea si hoc effugium esset verum possemus pari ratione omnem gradum genericum ponere à parte rei non solùm ratione nostra, sed etiam realiter contradistinctum à gradu differentiali, qui postea per coniunctionem physicam, & realẽ cum differentia ipsa illum contrahentem constituat talem speciem; Quid ni enim hoc non datur, si datur enti-

entitas à parte rei realiter indifferens ad alteram compartem, quæ in se, nec sit corporea, nec spiritualis. Propterea ego arbitror hos Philosophos hallucinatos fuisse circa materiam metaphysicam, quæ non est aliud, quam ipse gradus genericus, quemadmodum in Scholis communiter ex Philosopho dicitur; eum locum, quē tenet materia in Physicis, tenere genus in Logicis, & Metaphysicis: & eamdem distinctionē realem, quam ponit Physicus inter materiam, & formam, posuisse istos inter ens,& substantiam ex vna parte, & corporeum, & spirituale ex altera parte; ita vt detur entitas, & substantia à parte rei, quæ non sit in se, nec formaliter, nec identicè corporea, nec spiritualis. Si hoc deglutiunt, deglutiant etiam dari à parte rei animalitatem; quæ non sit in se nec formaliter, nec identicè rationalis, aut irrationalis, sed per coniunctionem physicam habeat, vel vnum, vel alterum, iuxtà diuersitatem ipsarum differentiarum. Si hoc non placet illis, non video quid aliud possit venire nomine huius materiæ indifferentis, nisi fortè recurrant ad potentiam obiectiuam, quæ etiam Logica dicitur, cuiusque rei, & hanc appellent ipsi materiam, & tunc erit quæstio de voce in qua magis propriè arbitror loqui eos, qui dicunt materiam propriè dictā esse eam, quæ est altera pars compositi physici substantialis, &c. quæ deffinitur à Philosopho *primum subiectum, ex quo aliquid fit, quod si desit in hoc abibit vltimum,&c.* Hæc enim est communior acceptio, & in quæstionibus, de voce illa est magis vera, & propria, quæ est communior, & magis recepta. Propterea in Conclusione expressi me hic loqui de materia propriè dicta.

Dices 1. S.P. lib. 12. Confessionum cap.17. ait. *Cęlum, & terram quidem inuisibilem, visibilemque naturam non indecenter appellatum, ac per hoc vniuersam creaturam, quàm fecit in Sapientia ideſt in principio, Deus huiuscemodi duobus vocabulis, esse comprahensam. Verumtamen quia non de ipsa substantia Dei, sed ex nihilo cuncta facta sunt, quia non sunt idipsum, quod Deus, & inest quædam mutabilitas omnibus, siuè maneant, sicut æterna Domus Dei, siuè mutentur, sicut anima hominis, & corpus communem omnium rerum inuisibilium, visibiliumque materiem adhuc informem, sed certè formabilē, vnde fieret cælum, & terra, ideſt inuisibilis, atque visibilis, iam vtraque formata creatura, his nominibus enunciata, quibus appellaretur terra inuisibilis, & incomposita, & tenebrę super abyssum ex distinctione, vt terra inuisibilis, & incomposita intelligatur materies corporalis, ante qualitatem formæ. Tenebrę autē super abyssum spiritualis materies ante cohibitionem quasi fluē-*

tis immoderationis, & ante illuminationem Sapientiæ, &c. Similia habet S.P. cap. 18. 20. 21. 28. & 30. dicti lib. 12. Confessionum, & in lib. de Genesi contra Manicheos cap. 5. Adduci etiam solet locus ex lib. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 1. qui circumfertur inter opera S.P. Augustini: sed re vera non est opus ipsius, vt notarunt D.D. Louanienses in censura dicti libri, & Cardinalis Bellarm. in lib. de Script. Ecclesiasticis in obseruationibus ad opera S.P. ex prædictis igitur locis colligunt Discipuli S. Bonauenturæ esse de mente S.P. quod detur in Angelis vera, & realis materies: Sic arguit acriter ex illis P. Matthæus Veglensis Theologus publicus Patauij in suo erudito lib. de Angelis ad mentem S.Bonauenturæ. Q. 26. quæ est de materia Angeli cap. 2. Respondeo ex illis locis nullo modo haberi hanc esse sententiam S.P. primò quia apertè dicit ibi se loqui ex sententia aliorum, nam immediatè ante verba relata supra, ait. *Quid si dicat, & alius?* & immediatè post finem relationis dictæ Sententiæ, quæ absoluitur in fine dicti capitis 17. in ipso principio cap. 18. Statim subiungit. *Quibus omnibus auditis, & consideratis nolo verbis contendere. Ad nihil enim vtile est nisi ad subuersionem audientium?* ex quibus manifestum est, & ipsum loqui ex sententia aliorum, & sentire hanc disputationem tandem reduci ad quæstionem de voce: secundo constat ipsum non loqui de materia, quę est substantia, & altera pars compositi physici substantialis, & primum Subiectum formarum substantialiũ: nam describens materiam de qua loquitur in dicto lib. duodecimo cap. 6. vbi narrat quid olim, & quid tunc sentiret de materia prima, concludit. *Mutabilitas enim rerum mutabilium capax, ipsa est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hac quid est? Numquid animus? Numquid corpus? Numquid species animi vel corporis? Si dici potest nihil aliud est, & nõ est hoc eam dicerem* (idest materiam de qua ibi loquitur,) *& tamen vtrumque erat, vt species caperet istas visibiles, & compositas.* Et quis non videat hic loqui S.P. de materia in alio sensu, quàm cõmuniter accipiatur à Peripateticis, cum assignet ei pro primo prædicato veluti generico mutabilitatẽ, & pro prædicato veluti differentiali, quod sit talis mutabilitas rerum, & formarum omnium in quas mutantur res mutabiles. Et quis neget materiam sic explicatam reperiri in quacumque creatura, quantumuis spirituali, cum, & ipsa possit esse, & non esse, & posito quod sit, possit habere, has vel illas formas accidentales spirituales, putà intellectiones, volitiones, species intelligibiles, & similes, quę de facto fuerunt mutatę

in

in Angelis in principio Mundi, cum de gratia in qua conditi erant ceciderunt, & auerterunt se à summo bono. Non loquitur ergo ibi S.P. de materia, quæ sit pars substantialis compositi physici, quæ sola nunc in Scholis venit nomine materiæ propriè dictæ. Imò reducitur difficultas ad quæstionem de voce, vt aduertit ibi S. P. Tertio patet etiam ipsum non loqui ex propria sententia, ex eo quod in dicto capite 17. in verbis relatis meminit materiæ spiritualis, eamque contradistinguit à materia corporea; quàm tamen reiecit lib. 7. de Genesi ad litt. cap. 7. vt supradictum est ex superfluitate ipsius, cum nullum vsum, aut effectum habeat, aut habere possit in rebus. Non est ergo de mente S. P. nec materia indifferens ad esse spirituale, & corporeum: nec materia spiritualis loquẽdo de materia propriè dicta. Quòd si adhuc potentiam obiectiuam cuiusque rei vis appellare materiam, voca vt vis, dummodo enim constet de re, de verbis non curamus.

Claudo hoc dubium ea ipsa clausula, quà vsus est S. P. in eo absoluẽdo in dicto lib. 12. suarum Confessionum cap. 30. his verbis. *In hac diuersitate sententiarum veram concordiam pariat ipsa veritas, & Deus noster misereatur nostri, vt legitimè lege vtamur præcepti fine pura Charitate.*

AXIOMA TERTIVM.

Datur in Angelis aliqua compoſitio ex lib.6. de Trinitate cap.6.

Creatura quoque ſpiritualis, ſicut eſt anima, eſt quidem in corporis comparatione ſimplicior, ſine compara-tione autem corporis multiplex; eſt etiam ipſa non ſimplex, &c. Nihil enim ſimplex mutabile eſt, omnis autem crea-tura mutabilis.

DVBIVM.

Quæ compoſitiones ſint in Angelis, quæ non.

SVnt plures compo-ſitiones, vel ratio-nis, vel reales, de quibus fit quæſtio tam à Metaphyſi-cis, quam à Teolo-gis, an ſint in ſpiritibus creatis. Pri-ma, quam excogitarunt aliqui eſt ex Eſſentia, & eſſe. Secunda ex na-tura, & ſubſiſtentia. Tertia ex ſu-biecto, & accidente. Quarta ex ge-nere, & differentia. Quinta eſt ex materia,& forma. Sexta eſt ex parti-bus quãtitatiuis: de his hoc eodẽ or-dine breuiter explico mentẽ S. P. &

Dico 1. non dari in Angelis com-poſitionem, neque realem, neque rationis ex Eſſentia, & eſſe. Hæc Concluſio eſt ferè omnium Nomi-nalium, qui loquuntur cohęrenter, & conſequenter ad ſua principia, & ſequitur neceſſariò ex principijs Do ctrinæ S.P. eamque ſic probo. Om-nis compoſitio ſiuè realis, ſiuè ra-tionis requirit extrema diſtincta rea liter, ſi compoſitio eſt realis, ratione noſtra, ſi compoſitio eſt rationis: Sed inter Eſſentiam realem, & exi-ſtentiam realem non datur diſtin-ctio nec realis, nec rationis in vlla crea-

creatura, & consequenter, nec etiã in Angelis, ergo in eis non datur compositio neque realis, neque rationis ex Essentia, & esse. Maior est certa, & inconfesso apud omnes, tam Philosophos, quam Theologos, vna enim sola simplicissima Entitas, siue gradus si manet solus est indiuisus, & consequenter nõ compositus sub ea ratione sub qua est simplex, & indiuisus. Minorem probaui vniuersaliter de omnibus omninò creaturis in Axiomatibus Metaphysicis S. P. cap. 6, quod est de Essentia, & Existentia, *pag.* 49. §. *dico* 8. quia Essentia, & esse, seù existentia idem omninò formaliter, & adæquatè significant, ergo non datur distinctio nec realis, nec rationis inter vnam, & alteram requisita ad compositionem, Antecedens probatur ex S. P. in cuius libris nunquam inuenitur nomen essentiæ, quin significet esse, siuè existentiam, ita vt sit principium irrefragabile apud ipsum, in nullo penitus differre Essentiam ab esse; hoc est manifestum ex cap. 12. lib. de Immortalitate Animæ; vbi ait *Primum autem verum est omnis Essentia non ob aliud Essentia est, nisi quia est*, Et in lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 2: explicando illa verba, *Ego sum qui sum, ait, cum Deus summa Essentia sit, hoc est summe sit, & ideo Immutabilis sit rebus, quas ex nihilo creauit esse dedit; sed non summè esse, sicut ipse est, & alijs dedit esse amplius, alijs minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ornauit: Sicut enim ab eo quod est sapere vocatur Sapientia, sic ab eo quod est esse vocatur Essentia.* Si ergo per S. P. omnis Essentia, non ob aliud est Essentia, nisi quia est, profectò nulla est prorsus distinctio inter Essentiam, & esse, qui enim dicit non ob aliud profectò quamcumque aliam rationem, & quemcumque alium conceptum, in adæquatum excludit. Præterea si quemadmodum à sapere vocatur sapientia; ita ab eo quod est esse vocatur Essentia, vt loquitur hic S. P. cum inter sapientiam, & sapere non detur distinctio, nec realis, nec rationis; ita etiam inter esse, & Essentiam nulla prorsus dabitur distinctio.

Argumenta quæ contra hanc doctrinam adduci possunt habes loco citato producta, & soluta; propterea ad ibi dicta me remitto. Duo solum quæ sunt potiora fundamenta Aduersariorum, placet hic adducere, & soluere.

Primum quod est S. Th. in prima dist. 5. q. 5. art. 2. in corpore, & in secunda dist. 3. q. 3. art. 1. in corp. est argumentum à posteriori. Ex eo quod quæcumque res creata habet causam efficientem, & est tale. Omne quod non habet aliquid, siuè esse à se, est possibile respectù illius, sed omnis quidditas, seù Essentia creata habet suum esse ab alio efficiente, & non à se; ergo est possibilis respectù illius.

illius. Ergo in tali quidditate, seu Essentia inuenitur actus, & potentia, & consequenter compositio ex Essentia, quæ est potentia, & ex esse, qui est actus. R. distinguendo maiorem, est possibile respectu illius à quo habet esse concedo maiorem; est possibile respectu ipsius esse, nego maiorem; est enim ipsum esse realiter, & formaliter, quod antequam producatur, est obiectiuè in mente Diuina, ac proindè Essentia, & existentia obiectiua non adhuc existens extra Deum; quando verò producitur, siuè est productum, est ipsa Essentia, & esse, siuè existentia realis, nulla prorsus data distinctione reali, aut rationis inter essentiam, tamquam potentiam, & existentiam, tamquam actum. Sic etiam distinguo minorem. Omnis quidditas, siuè Essentia habet esse ab alio efficiente contradistinctum re, aut ratione ab ipso esse, siuè ab ipsa existentia nego minorem, identificatum realiter, & formaliter, tàm à parte rei, quàm ratione nostra, adæquatè concedo minorem: ergo in tali re &c. nego consequentiam; nihil enim ibi est quod habeat rationem actus contra distincti à potentia vllo modo; sed est deceptio nostri intellectus, qui ex modo quo concipit in rebus corporeis compositionem ex materia, tamquam potentia, & forma, tamquam actu, ita distinguit inter Essentiam tamquam potentiam, & existentiam tamquam actum: cum tamen nihil aliud sint quam duo nomina idem omninò, & eodem modo significantia, & vt vulgo dicitur duo synonima.

Alterum argumentũ quod videtur esse à Priori, & censetur Achilleum ab Aduersarijs est huiusmodi. Nulla quidditas creata est suum esse: hoc enim est proprium ipsius Dei; ergo distinguitur à suo esse siuè à sua existentia; Probatur antecedens, potest intelligi quidditas rei, ignorata existentia ipsius: ergo nulla quidditas creata est suũ esse. Prob. antecedẽs. Quidditas rei creatæ pertinet ad quæstionem quid est: Esse, siue existentia ad quęstionem an est. Sed intellecta vna quæstione potest ignorari altera. Ergo intellecta quidditate rei potest ignorari eius existentia: ergo essentia, & existentia distinguuntur, vel realiter, vel ratione. ℞. distinguo antecedẽs, nulla Essentia, seù quidditas creata est suum esse reale, & obiectiuum concedo: esse enim obiectiuum cuiuslibet creaturæ, quod est in mente Dei, est realiter distinctum ab ipso esse reali creaturæ; quæ fuit producta in tempore. Nulla quidditas creata a parte rei est suum esse reale nego antecedens: Immò nõ solum realiter, sed etiam formalissimè est ipsum suum esse: nam sicut ait S. P. *non ob aliud Essentia est, nisi quia est*. Ad id quod additur hoc esse proprium Dei. ℞.

pro-

proprium Dei esse, vt sit simul, & suum esse reale, & suum esse obiectiuum: nam esse obiectiuum eiusdem Dei est identificatum cum ipso Deo, non sic creatura, cuius esse reale acceptum est ab ipso Deo distinctum realiter à suo esse obiectiuo: quod est in mēte Dei, & preterea est etiam proprium Dei, quod suum esse non sit productum ab vlla causa, & consequenter quod sit Essentia, existentia, & ens omninò necessarium; non sic Essentia, siue existentia creaturæ, quæ sicut est contingenter producta, ita potuit non produci; Vnde siuè dicatur Essentia, siuè dicatur existentia creata semper est contingens, & sic negatur consequentia.

Ad probationem antecedentis. ℟. distinguo antecedens; potest intelligi Essentia rei ignorata existentia reali, & obiectiua simul, nego: ignorata Essentia, & existentia reali, cōcedo: potest enim esse quod aliquis ignoret, an res illa quam intelligit sit producta necne; aut si sciat, quod fuerit producta, ignoret, an desierit esse: sed non potest esse quod ignoret existentiam obiectiuam ipsius; nam si illam intelligit, intelligendo dat illi esse, & existentiam obiectiuam; hoc enim est ipsum intelligi; existere obiectiuè in cognitione alicuius. Ad vltimam probationem.

℟. ita pertinere ad quæstionem quid est existentiam obiectiuam, sicut pertinet Essentia obiectiua: nam si non existit obiectiuè in mente disputantis res illa, cuius Essentiam vult scire, nec etiam erit in mente ipsius eius Essentia; non sic de reali Essentia, siuè existentia; nam quod sit in rerum natura pendet ab eo, quod sit producta, & quod non desierit esse; quibus conditionibus ignoratis, ignoratur etiam, an sit à parte rei; Sed tunc sicut ignoratur existentia realis, ita ignoratur Essentia illa realis, & sic distinguo consequens: intellecta quidditate, & Essentia obiectiua, potest ignorari existentia realis, concedo; potest ignorari existentia obiectiua, & nego; & sic negatur vltima consequentia: Et eccè solutæ omnes vires huius magni Achillis: reliqua, quæ possunt obijci contra hanc Doctrinam, habes adducta, & soluta in axiomatibus metaphisicis loco citato.

Dico secundo in Angelis esse compositionem ex natura, & subsistentia (& sub hac ratione dari compositionem ex actù, & potentia; natura enim habet rationem subiecti, & consequenter potentiæ, & subsistentia habet rationem actus.) Prob. conclusio, quia sicut fuit assumpta natura humana sine propria subsistentia ad vnionem hypostaticam personæ Diuinæ, ita potuit assumi natura Augelica sine propria: sed ex hac assumptione colligitur realis

compositio in homine ex natura, & subsistentia: ergo eadem compositio debet etiam esse in Angelo; de hoc etiam puncto egi in dictis Axiomatibus Metaphysicis cap. 7. quod est de subsistētia pag. 103.§.*Prosequendo nunc*. propterea ad ibi dicta me remitto.

Dico tertio dari etiam in Angelis compositionem, ex subiecto, & accidente; (& hanc etiam esse compositionem ex potentia, & actù, vt patet) Prob. concl, quia operationes immanentes Angeli sunt accidentia realia, & phisica, & possunt adesse, & abesse præter subiecti, id est ipsius Angeli, corruptionem, vt patet in actionibus liberis: ergo de facto in eo est compositio ex subiecto, quod est substantia ipsa spiritualis, & ex accidentibus illis. Præterea sunt in illo habitus supernaturales, species vel inditæ, vel acquisitæ iuxtà diuersitatem sententiarum; quæ omnia constāt esse accidentia subiecti in quo sunt. Probari solet ab aliquibus hæc conclusio ex eo quod sit solius Dei proprium, quod eius actio sit ipsius virtus, & natura; ac proindè cum eo realiter identificata, & propterea quod in qualibet creatura eius operationes sint distinctæ realiter, & consequenter accidentales. Aliòquin sicut in Deo ex eo quod eius intellectio, & volitio sunt eius substantia, Verbum, & Amor, qui sunt termini Intellectionis, & volitionis procedunt vt personæ subsistentes, similiter procederent, vt tales, in Angelis, quod est falsum. Valeat quantum valere potest; non enim vacat modo hoc examinare.

Dico quarto in Angelis esse compositionem ex genere, & differentia: est communis apud Scholasticos in secundo Dist. 3. q. 1. S. Thomæ, Scoti, Capreoli, Heruei, nostri B. Egidij; ac pariter nostri Thomæ de Argentina ex quibus hic in dicto loco artic. 3. eam sic probat. In eo de quo aliquod genus prædicatur Essētialiter, salua sua naturali distinctione ab omnibus alijs speciebus eiusdem generis, reperitur compositio generis, & differentiæ, sed Angelus est huiusmodi: nam substantia, quæ est summum genus primi prædicamenti, prædicatur æqualiter de spiritib. & de corporibus; ergo in spiritibus Angelicis datur compositio ex genere, & differentia. Prob. 2. quia omnis natura finita, & limitata, quæ participat conceptum comunem multis naturis, à quibus essentialiter differt est composita ex genere, & differentia; Sed talis est Angelus, qui participat conceptum substantiæ cōmunem quibuscunq; substantijs, & conceptum spiritus cōmūnem, etiam animabus rationalibus à quibus spetie differt; ergo est compositus ex genere, & differentia.

Con-

Contra hanc doctrinam stant Durandus loco citato, & Henricus quodlib. 7. q. 8. ex quibus iste negat Angelos esse in aliquo genere, eo quod careant materia à quà sola arbitratur esse summendam rationem genericam. Durandus verò concedit quidem Angelos esse in genere, quia ad hoc sufficit, ait ille, quod res sit limitata re, & ratione; negat tamen componi ex genere, & differentia, quia ad hoc requirit, vt sit quid compositum ex pluribus partibus realiter distinctis constituentibus vnum per essentiam; ex quarum vna sumatur genus, ex altera verò differentia; quibus partibus carent Angeli, & omnes res simplices, vt etiam accidentia, & præcipuè ea parte ex quà desumenda est differentia, & sic consequenter negat eos esse compositos huiusmodi compositione. Antequam proponam argumenta, & fundamenta horum D.D. aduerto hic occurrere æquiuocationem circa illum terminum, compositio, nam rè vera strictè, propriè, & rigorosè loquendo significat plures res vniri simul ad constituendum aliquid; ea propter cum à Theologis postea resoluitur hæc quæstio reducitur ad conceptus mentis, quorum alter sit genericus, alter verò differentialis in mente nostra realiter distinctos; ac proinde illa compositio est potius dicenda esse in Intellectù nostro, quam in ipsis Angelis; vndè esset aptius vti verbo constitutionis, quod est commune, tam ad compositionē, quàm ad illa quę per idētitatem habent vt concurrant in vnam naturam; Et sic posset dici quod à parte rei Angeli constituuntur ex gradibus generico, & differentiali; in intellectù verò datur compositio illa duorum conceptuum ratione nostræ operationis distinctorū realiter in mente nostra. Verum quia vsus obtinuit, vt sub illo termino proponatur quęstio, & resoluatur per compositionem physicam, & per compositionem metaphysicam. Vsui obtemperans, & à quæstionibus de voce abhorrens sub terminis vsitatis eam resolui. Quo posito ad argumenta aduersariorum procedo.

Dices igitur primo pro Henrico in omnibus alijs rebus genus desumitur à materia, & differentia à forma; Sed Angeli carent materia; Ergo non est vndè desumatur gradus genericus ipsorum ℞. falsum esse absolutè loquendo, quod in alijs rebus genus desumatur à sola materia, sed sumitur à tota quidditate rei sub gradù conuenientię communiori, & ampliori, quam sit differentia; ac proinde debet concipi, & significari per nomen concretum, quod importat quamdam veluti contrahibilitatem, siuè pontentialitatem, ratione cuius dicatur in Logicis, & in metaphisicis, se habere veluti materiam, vnde ratione huius similitudinis, &

proportionis dicitur desumi à materia; de cætero non minus desumitur à materia, quam à forma; vt patet in hoc termino, Animal, quod est genus, & tamen nemo potest verè dicere, quod desumatur solum à materia;nam sola materia non est principium sentiendi, quale debet esse Animal.

Dices secundo pro Durando:Naturę simplices carent differentia;Sed Angeli sunt naturæ simplices; ergo carent differentia, & consequenter non potest dari in eis hæc compositio. Probatur maior,quia differentia significat quale,& propterea prædicatur in quale; sed nihil est in Natura simplici,vt est substantia Angeli, quod prædicetur in quale; ergo naturæ simplices, & Angelicæ carent differentia, Probatur minor, quia, quid quid est in Naturis simplicibus est tota natura rei; Sed tota natura rei prædicatur in quid, non verò in quale; ergo in naturis simplicibus nihil est, quod prędicetur in quale.℞. catenus dici naturam rei posse prædicari in quale,quatenus in prædicatione non solum attenditur in significatione nominis res significata; sed etiam modus significandi; quàpropter, esto res significata per nomen, quò exprimitur differentia, sit totum, quod est in rè, propterea enim ponitur concretum;modus tamèn significandi, non est per modum totius, sed per modum partis; eoquod non significatur per modũ subsistentis,sed per modũ aduenientis alteri; vnde communiter non significatur nomine substantiuo,vt significatur genus, & species, sed adiectiuo. Præterea non prædicatur simpliciter in quale, vt prædicantur accidentia dè prædicamento qualitatis; sed prædicatur in quale quid, quod est idem, ac dicere,quod licet prædicetur ad modum qualitatis, idest vt aliquid, quod est extra conceptum generis,& veluti aduenien illi, prædicatur tamen vt quid essentiale, & dè quidditatiuo conceptù illius subiecti, dè quò prædicatur.

Dices tertio in Naturis simplicibus si daretur conceptus differentiæ diuersus à conceptù generis,esset omninò idem conceptus differentiæ, & conceptus generis, nec possent differre vt totum actuale, & vt pars constitutiua illius, vt debent differre species, & differẽtia; forent enim æquè determinati conceptus sub indeterminato conceptù generis, ac proinde eadem omninò ratione,quà vnus esset conceptus speciei, esset etiam conceptus differentiæ; & sic differentia non esset differentia, sed species. ℞. cum S. Th. opusc. 30. cap. primo conceptus Generis, differentiæ, & speciei non differre ex parte rei significatæ, sed ex parte modi significandi, nam genus significatur vt totum potentiale;sed prædicatur vt pars potentialis; Differen-

rentia verò importat quidem totum, sed prædicatur vt pars actualis, designans, & determinans partem potentialem: species verò, sicut & definitio, dicunt totum actuale, vt designatum, & determinatum; species quidem implicitè, definitio verò explicitè, & sic semper in modo significandi, & prædicandi sunt diuersi conceptus.

Dices quarto in rebus compositis aliud est, quod differt, aliud id, quò differt; aliud id quod constituitur, aliud verò id, quò constituitur; sed simplicia seipsis constituuntur,& distinguuntur; ergo cum differentia sit id,quò species sub genere constituitur, & ab alia specie distinguitur, non habet locum in rebus simplicibus: cuius rei signum est, quod nullę assignantur differentię accidentium; ergo compositio, siue constitutio ex genere, & differentia non habet locum nisi in substantijs compositis. ℞. communiter compositionem, ex genere, & differentia, non esse realem, sed rationis, vel conceptuum, & idcirco posse sumi ab eadem entitate, modo supra explicato, & falsum esse, quod accidentia non habeant differentias; in predicamentis enim accidentium, dantur, & summa genera ipsorum, & species subalternæ, & infimæ, & consequenter differentiæ, per quas diuiduntur genera, & constituuntur species. Verum tamen est, quod & in illis, & in multis alijs rebus, vt plurimum, assignantur proprietates, loco differentiarum essentialium: nam istæ nos latent in plurimis tam substantijs, quam accidentibus.

Huic responsioni, vt sit conformis principijs, quę posui in Philosophia Rationali, nempe vniuersalia hæc dari à parte rei, quæ postea fiūt prædicabilia per diuersos nostros conceptus diuersimodè significantes, & explicantes illos gradus, qui sunt à parte rei, nec esse habeo addere, quod esto simplicia seipsis constituantur, & seipsis distinguantur; nihilominus beneficio distinctionis virtualis fieri, vt alia sit virtualiter perfectio, quà substantia, seù natura simplex participat gradum genericum; alia sit virtualiter perfectio, quà participat gradum differentialem; licet enim sint hæ duæ perfectiones realiter inter sè identificatæ; nihilominus beneficio quātitatis virtualis, seù virtutis fit, vt admittant distinctionem virtualem, sicut in rebus corporeis beneficio quantitatis molis admittitur diuisio realis.

Exemplum sit in ipsis Angelis, in quibus perfectio standi, seù essendi per sè, in quà conueniunt cum corporibus, facit vt sint in eodem genere cum istis: Perfectio verò entis intellectiui facit vt differant ab eis; esto hæ duæ perfectiones inter sè sint identificatæ.

Per hæc manet inconcussa Regula

la S. P. quam tradit in Lib. Cathegoriarum cap. 7. vbi ait, *Vt genus nullum est, quod non habeat differentiam, sic nec differentiam intelligere debemus, quæ species non habebit.*

Dicò 5. Angelos non esse compositos ex materia, & forma, neque ex partibus quantitatiuis. Prima pars huius Conclusionis sequitur ex dictis dubio præcedenti; Cum enim ibi conclusum fuerit, non dari in eis materiam vllam, sequitur per necessariam consequentiam, quod nec etiam ex ea componantur, quia tamen circa hanc compositionem aliqua de nouo occurrunt propterea hic de ea specialiter agendum. Sententia hæc est expressa S. Thomæ q. 50. partis primæ articulo primo, & omnium Thomistarum; Scoti, & ferè omnium Scotistarum; Nostri B. Egidij, nec non, & Argentinæ, & Gregorij Ariminensis, & iam in scholis Augustinianis cõmunis sententia in lib. 2. sentent. dist. 3. q. p.

Contra eam stant Auicembron relatus à S. Thoma loco citato, Alẽsis 2. parte suæ summæ qu. 20. membro 2. art. 2. S. Buonauentura in 2. Sent. dist. 3. art. 1. q. 1. & 2. Ricardus dist. dicta art. 1. qu. 2. & art. 2. Aureolus apud Capreolum in qu. 1. ad dictam dist. §. ad argumenta contra primam. Nouissimè eam docet Mattheus Veglensis loc. supra citato, Differunt tamen D. D. isti inter se quod Auicebron vult materiam Angelorum esse eiusdem rationis cum materia sublunarium. Alensis, Ricardus, & Aureolus diuersæ rationis. S. Buonauentura esse eamdem secundum essentiam, nõ verò secundum esse.

S. P. non admisisse ex propria sententia in eis materiam, nec consequenter compositionem ex ea satis constat ex supradictis, quidquid alij sentiãt in oppositum; patet enim ex locis supracitatis, & eum reiecisse materiam spiritualem, & quando loquitur de materia eiusdem rationis cum nostra, profitetur se loqui ex sententia aliorum; & quando refert sententiam Platonicorum, ibi subdit eos esse incorporeos, & in retractatione apertè docet nec ex scripturis, nec ratione ostendi talem informationem materiæ vel spiritualis, vel corporeę; quapropter de mente S. P. non est ambigendum.

Has obseruationes ante me fecerunt D. D. nostræ Religionis, B. Egidius Columna in secundo sentent. parte 1. q. 1. ad dist. 3. Art. 1. posita resolutione cum sibi obiecisset sententias S. P. relata postea doctrina, quam ipse sequitur per quatuor vias explicata, & probata versus finem §. *Quod verò addebatur de Augustino super Genesi ad litteram lib. 7. ad illa verba Gen. insufflauit &c.* subiungit.

Dici debet quod ibi Augustinus nõ loquitur asserendo. sed magis inuestigan-

gando, & veritatem inquirendo. ibique apertè ostendit S. P. reijcere tam materiam corpoream, quam spiritualem ex anima rationali, & consequenter etiam ab Angelo; & cum iterum sibi obiecisset, quod si vellet aliquis dicere hoc fuisse de intentione Augustini, quod anima esset facta ex aliqua materia. Respondet, & rectè ipsa verba Augustini soluere seipsa, hoc est ipsam obiectionem: Nam ait; *pro suo genere quaerenda est materia animae*, & subdit; *si anima quid incommutabile esset, nullo modo eius quasi materiem quaerere deberemus, mutatur enim anima à vitijs in virtutes, & è conuerso*. Non ergo quaeremus materiam animae, de qua fiat quantum ad esse, sed ponamus ibi materiam, quomodò ex vitio fiat virtuosa, vel è conuerso: materia autem huius est ipsa anima; Anima enim vna, & eadem existens nec est virtuosa, nec vitiosa; erit ergo anima materia animae vitiosae, vel materia animae virtuosę, &c.

Hic est discursus nostri B. Ægidij ijsdem verbis ipsius: quo clarè explicat mentem S. P. esse, nullam aliam nec in Anima, nec in Angelis ponere materiam nisi mutabilitatem ipam in ordine ad formas accidentales; & si placet etiam addere potes potentiam ipsam substantiae Angelicae in ordine ad subsistentiam, si ponis eam distingui, vel vt rem, vel vt modum ab ipsa entitate Angeli. Eodem modo penetrat mentē S. P. noster Thomas Argentina in quaest. prima ad dictam dist. 3. art. primo in quo cum sibi obiecisset pro 6. Argumento tres Auctoritates S. P. vnam ex lib. 12. Confess. ex cap. 20. vbi exponens illud *Gen. prim. In principio creauit Deus Caelum, & terram* ait *In principio*, idest in Verbo suo sibi coęterno fecit informem materiam spiritualis, & corporalis creaturae. Secundam ex lib. 7. de Genesi ad litteram cap. 28. vbi videtur velle, quod sicut in corpore quaeritur materia, de qua factum est; sic etiam in anima sit requirenda materia, de qua facta sit. Tertiam pariter ex lib. 4. de Gen. ad litteram cap. 3. vbi daemones dicuntur animalia aerea, & Angelos habere corpora sibi naturaliter vnita. Postea in R. ad sextum sic aperit mentem S. P. Ad sextum dicendum quod in primo dicto, vt apparet ibidem ex dictis Augustini, ipse non loquitur ibi secundum opinionem propriam, sed secundum dictum Augustini dicendum, quod non loquitur ibi determinatiuè, sed inquisitiuè, quod apparet, quia postea oppositum istius concludit dicens, quod anima nec facta est de materia rationali, quia sic fieret anima de anima, nec de materia corporali. Ad 3. dictum Augustini dico quod Augustinus non dicit hoc assertiuè, sed opinatiuè, recitando dicta aliorum, vt etiam appa-

ret ex suo modo loquendi: quia ipse ibidem dicit: *Dæmones aerea dicuntur animalia*, non enim dicit sunt, sed dicuntur. Hæc ibi habet Argentina.

Hæc studio notaui, eoquod quidam Sectator Doctrinæ S. Buonauenturæ obiecit mihi quod in hac parte essem singularis inter discipulos S. P. Augustini; & quod in hoc puncto non attingam mentem S. P. eoquod in Tom. 3. Philosophiæ Naturalis cap. 12. quod est de simplicitate, & spiritualitate Animæ rationalis reiecerim ab ea compositionem ex quacumque materia tam corporea, quam spirituali; In quo an fuerim singularis, & an id iure fecerim, non solum dictus Lector, & discipuli eius, sed etiam quotquot de hac re ambigunt ex supradictis facilè colligere poterunt; vbi enim concurrunt in eamdem Sententiam S. P. Thomas, & noster B. Egidius, vt est in præsenti, non licet Theologo Augustinianæ familiæ Excalceatorum ab ea recedere ex lib. 2. nostrarum Const. cap. 5. §. 7. In hoc ergo, & vi Legis, & vi Auctoritatis nostrorum D. D. immò S. Ecclesiæ, nō quidem definientis, sed magis in hanc partem inclinantis, & pondere rationum, quas adduxi in dicto cap. 12. tom. 3. pag. 431. quæ sicut concludunt de Anima rationali, ita à fortiori cōcludunt de Angelis, quas hic modo piget transcribere: sentio omninò dicendum esse non dari i Angelis compositionem physicam & realem ex vna parte substantiali quę sit materia, & ex altera parte item substantiali, quæ sit forma. Probāt aliqui hanc Cōcl. Auctorit. Sac. Scripturæ Luc. 21. vbi dicitur, quod *Virtutes mouebuntur*, quod communiter de SS. Angelis exponitur; ex quo sic arguunt. Quod est materiale non est Virtus, sed virtutem habens; quo pacto homo non dicitur simpliciter Anima, aut Virtus, sed Animam, aut virtutem habens; ergo ex vi huius loqutionis videtur necessariò inferendum tales Angelos nullo modo habere materiam, quæ sit subiectum talis virtutis. Hæc probatio non est admodum efficax; cum enim hæc appellatio virtutis attribuatur vni choro Angelorum, ex secunda Hierarchia ad distinctionem aliorum ordinum; parum refert, quod habeant, vel non habeant materiam; cum enim hæc nomina sint desumpta ab officijs, & non semper accipiantur in toto rigore Scholastico, parum refert ad hoc vt verè dicantur Virtutes in communi vsu loquendi, quod habeant, vel careāt materia. Melius probatur ex illis locis Scripturæ, in quibus absolutè Angeli dicuntur Spiritus; hæc enim appellatio non solet in communi vsu loquendi (nisi fortè per hiperbolē) attribui, nisi Entitati quæ careat corpore, & materia. Melius adhuc probatur

batur secundo Auctoritate S. Dionisij Areopagitæ, cui multum deferunt omnes Teologi, & maximè cũ de Angelis loquitur. Hic igitur in lib. de Diuinis Nominibus cap. 4. vocat Angelos substantias intellectuales à corruptione morte, & materia mundas, incorporales, & immateriales, & in lib. de Cælesti Hierarchia cap. 1. & 15. quærit, & explicat quare immaterialibus substãtijs SS. DD. terrenas figuras tribuerint, idem docent S. Ioannes Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. & S. Seuerinus Boetius de duabus naturis. Probatur tertio ratione, & discursu cuiusdam Anonymi in doctrina SS. DD. Augustini, & Thomæ valde eruditi sic. Si Angelus esset compositus, ex materia, & forma, vel hæc forma esset Anima, vel non; hoc secundum dici non potest quia ex Scriptura habetur Angelos esse intellectuales: neq; primum; tum quia in eadem Scriptura in qua sæpè agitur de Angelis nunquam fit mentio de animabus ipsorum, sicut fit de animabus hominum; quæ ratio licet sit ab auctoritate negatiua, est tamé tanti momenti, vt propter eam S. P. N. lib. p. Retract. cap. 11. & 16. & lib. 2. cap. 4. retractauerit quod aliquando impropriè dixerat, vtens voce Animarum Angelorum; tum quia, vel hæc Anima esset separabilis à materia, vel esset inseparabilis. Si primum, iam Angelus esset corruptibilis, & mortalis; si secundum iam essent Angeli inferiores hominibus, seu animabus hominum; nam longè nobilior est Anima separabilis à materia, itaut possit separata existere, quam Anima inseparabilis, quia minus ab illa dependet. Probatur 4. quia, vel illa materia est eiusdem rationis cum materia corporũ naturalium, vel diuersæ; hoc est spiritualis, vt vult Alensis, & alij; vel materialis, vt volunt Auctores supracitati: Hoc secundum esse non potest, quia hæc materia corporum, vt constat experientia, & ex capacitate, & potentia naturali ipsius ex sua natura postulat quãtitatem tamquam propriam passionem, & per illam posse extendi, & diuidi cum alijs prædicatis quantitatis molis. Ergo si Angelus habet talem materiam, habebit illam cum quantitate, alioquin non haberet id, quod ex sua natura postulat, quod naturis rerum repugnat; Est enim impossibile quod secundum naturalem ordinem rerum sit in aliqua materia modo illi præter naturali. Nec primum potest dici, tum quia cum materia sit propter formam, & non è contra, ideo forma illi vnitur, quia illa indiget, vel ad constituendum essentiam compositi, vel ad operari; alioquin si ad neutrum illa egeret non ordinaretur forma ad compositionem cum tali materia, nec esset actus naturalis illius, & talis materia ad neu-

 trum

trum deſeruire poſſet formæ Angelicæ; non ad eſſe, quia cum Angelus ſit ſubſtantia intellectualis, & ſubſiſtens, debet eſſe independens à materia; non eſt ſic de forma hominis, quia licet ſit intellectualis, cum tamen ſit ordinata ad conſtituendum hominem, qui eſt eſſentialiter ens corporeum, non poteſt conſtituere hoc ens ſine aliqua materia, quæ propterea in eo debet eſſe corporea. Nec indiget ea ad operari, quia neque ad intelligere, cum materia quęcumque illa ſit, non poſſit eſſe principium talis actionis, neque elicitiuum, quia hoc debet eſſe actus ſubſtantialis, & ſpiritualis, neque receptiuum cum ſit actio, maximè immanens intra principium, à quo elicitur, neque ad mouere, quia res, quo magis eſt immaterialis, eo facilius mouet, vt patet in primo Motore, qui eſt in ſummo gradu immaterialitatis, & tamen mouet omnia immotus, & præterea ordo, & gradus ſubſtantiarum incorporearũ eſt actiuior, quam quælibet ſubſtantia corporea, & extenſa; vt eſt videre in motibus corporum cæleſtium; ergo repugnat dari in illo ordine entitatem ſubſtantialem per modum purę potentiæ indigentis forma ſubſtantiali, ac realiter diſtincta ad conſtituendum Angelum. Prædicta ratio de materia ſpirituali eſt deſumpta ex S. P. N. libr. 7. de Geneſi ad litteram, vbi illam reijcit cap. 7. ex ijſdemmet capitibus, quia ſcilicèt aſſignari non poteſt neceſſitas eius, nec ad conſtituendam ſpeciem, nec ad videndum, nec ad operandum; verba eius ſupra retuli propterea non repeto.

Secunda pars Concluſionis, in qua negatur compoſitio ex partibus quantitatiuis, ſequitur per neceſſariam, & immediatam conſequentiam ex ſupra dictis. Vbi enim non eſt proprium ſubiectum alicuius accidentis, nec etiam ibi naturaliter eſt tale accidens. Atqui ſubiectum proprium, & naturale quantitatis molis eſt materia prima, vt habetur lib. 7. Metaphyſic. text. 8. Ergo ſi in Angelis non eſt materia, nec etiam erit quantitas molis, & conſequenter nec etiam compoſitio ex partibus dictæ quantitatis.

AXIOMA QVARTVM.

Datur Differentia inter Spirituales Creaturas, quæ tamen an ſpecifica ſit, à nobis ignoratur.

Ex lib. ad Oroſiũ contra Priſcillaniſtas, & Origeniſtas cap. 2.

ESse Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in Cæleſtibus apparatibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo; Sed & quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant neſcio. Neque ſanè ignorantia periclitari me puto, ſicuti in obedientia, ſi Domini præcepta neglexero.

DVBIVM

Vtrum Angeli differant ſpecie inter ſe.

QVæſtio iſta procedit tam de poſſibili, quam de facto. De differentia numerica inter eos non eſt dubium; certum eſt enim eos verè, ac propriè differre numero inter ſe, tamquam ſingularia quædam verè indiuidua, non autem vt vniuerſales aliquas ſpecies quales Ariſtoteles Platoni falsò attribuit; in Scholas ab eo eſſe inductas.

Probari etiam hoc poteſt, quia ſcriptura Sacra paſſim commemorat eorum miniſteria, & varias actiones erga homines. Actiones autem ſunt ſingularium. Præterea verè exiſtunt in rerum natura, quod eſſe de fide ſupra oſtenſum eſt. Quidquid autem exiſtit eſt indiuiduum, & ſingulare, vt docent Philoſophi. Difficultas nunc eſt inter Theologos Vtrum vel omnes Angeli, vel aliqui eorum ita differant numero, ac officio, & dignitate, vt ſimul etiam conueniant omnes in eadem ſpecie atoma. An verò aliqua multitudo ſit vnius ſpeciei; Alia verò alterius ſpeciei, &c. An verò ita differant ſpecie inter ſe, vt ſint tot in vniuerſum Angelicæ ſpecies, quot ſunt, numero Angeli indiuidui, & ſingulares: In hac quæſtione nihil habemus de fide compertum, neque circa quæſtionem de facto, neque de poſſibili; ſed res incerta eſt, in qua ſunt duæ Metaphyſ. & Theologorum ſententiæ.

Prima ſententia eſt neque eſſe,

nec etiam esse posse plures Angelos eiusdem speciei. At omnes,& singulos differre specie:Hoc habet D.Th. prima parte q. 50. art. 4. in lib. 2. contra Gentes c. 93. & in Tract. de Ente, & Essentia cap. 5. Sic etiam Auicenna lib. 5. Met. c. 5. Heruecus in 2. dist. 3. qu. 2. Abulensis Paradoxo 4. c. 34. & qu. 29. in c. 21. lib. Numerorum. Capreolus in 2. dist. 3. qu. p. Concl. 5.& Caietanus in Cõment. dicti articuli prædictæ q. 50. primæ partis, & in Quæstione peculiari in caput illud 5. de Ente, & Essentia, & communiter Sectatores D. Thomæ hoc tenent,sed circa possibilitatem;an sit solum respectu potentiæ ordinariæ, an verò etiam respectu potentię absolutæ est dissensio etiã inter ipsos; nam Caietanus & plures alij cum eo sentiunt implicare contradictionem; vt sint plures Angeli eiusdem speciei, & consequenter nec etiam per dictam Potentiam posse esse plures eiusdem speciei. Aliqui sentiunt hoc solum esse respeectu Potentiæ ordinariæ, & non implicare contradictionem, licet de facto non sint, & pro hac parte citantur Capreolus loco citato. Ferrariensis noster in dictum cap. 93, lib. 2. contra Gentes. Bannez in primam partem loco citato. Soncinas lib. 12. Metaph. qu. 50. & hanc dicunt esse germanam sententiam D. Thomæ.

Secunda sentẽtia extra Scholam S. Tho. est communior esse posse, & de facto esse plures Angelos eiusdem speciei, ita sentiunt Beatus Albertus magnus 2. p. Trat. 2. qu. 8. S. Bonauentura in 2. dist. 3. part. p. art. 2. qu. 1. Alensis p. 2. suæ summæ q. 20. memb. 6. articulo secundo. Scotus eadem dist. q.7. Gabriel. qu. 1. Noster Thomas Argentina eadem dist. qu. 2. art. 2. & alij. plures propterea.

Dico primo possibile esse aliquos Angelos solo numero differre: Prob. hæc assertio primo ratione illa, qua vtitur Scotus loc. cit. Omnis natura creata quantum est de se, & de ratione suæ speciei est cõmunicabilis pluribus suppositis, & indiuiduis, sed quod est hoc modo cõmunicabile non repugnat ei, vel naturaliter, vel supernaturaliter multiplicari numero; ergo omnis natura creata, & consequenter Angelica potest, vel naturaliter, vel supernaturaliter à Deo numero multiplicari. Maiorem probat Scotus; quia nulla natura creata est de se hæc; hoc enim est proprium Diuinæ Naturæ, Ergo non exigit magis esse in vno indiuiduo, quam in alio. Eamdem maiorem probant aliqui Thom. ex eo quod S. Doctor prima parte qu. 7. art. 1. in corp. & in qu. de spiritualibus creaturis art. 8. ad 4. & lib. 7. Metaphisicæ lect. 13. & alibi, docet; Intellectum nostrum intelligere naturam cuiuslibet speciei per abstra-

ctio-

ctionem à singularibus; ergo esse in vno, vel in pluribus est præter rationem naturæ specificæ; ergo seruato intellectu naturæ specificæ potest illa intelligi, vt in pluribus existens, quod non posset esse, si esset ei essentiale esse ita in vno, vt non posset nec etiam per absolutam potentiam esse in pluribus, nam illud solum est verè essentiale alicui; sine quo res illa nec esse, nec intelligi potest. Præterea idem Doctor Angelicus in prima parte qu. 11. art. 3. & in primo dist. 14. qu. 4. art. 2. & alibi docet naturam Diuinam, quæ est suum esse non posse per diuersa esse numero multiplicari, nec esse Vniuersalem; sed esse Essentialiter hanc ad distinctionem omnium naturarum creatarum, quæ possunt fieri vniuersales, eo quod non sunt Essentialiter suum esse. Postremo probatur dicta maior: quia ita se habet natura specifica ad differentias indiuiduales; sicuti se habet generica ad specificas; nam species, & indiuiduum sunt composita Metaphisica; sed natura generica v. g. animalis, ex eo quod de se non est vltima differentia, potest cum pluribus coniungi, siuè in pluribus reperiri; ergo etiam specifica propter eamdem rationē poterit esse in, & cum pluribus differentijs indiuidualibus. Hæc postrema ratio apud me habet vim demonstrationis. Minor primi argumenti probatur quia de facto non posse multiplicari in pluribus indiuiduis naturā, quæ de ratione suæ speciei est communicabilis multis indiuiduis prouenit ex eo, vt docet Sanct: Thom. lib. 7. Metaph. lect. 13. & lib. primo Perhierm. lect. 10. quia talis naturæ communicabilitas impeditur, vel primo ex eo, quod tota natura comprehenditur in vno indiuiduo; vel secundo quia perpetuò conseruatur in vno indiuiduo, vt patet in Sole; vel tertio quia forma est tota ī hac parte materiæ, & natura in hoc numero indiuiduo; vel quarto quia forma illa completa in ratione talis Entis Spiritualis non est apta nata recipi in materia, ex cuius sola diuisione volunt plures Peripathetici, & cum eis ferè omnes Thomistæ oriri diuisionem numericam; Sed nihil horum obstat, quominus Deus, saltem de Potentia absoluta possit Angelos multiplicare numero; ergo possibile est saltem per Diuinam Omnipotentiam esse plures numero Angelos in eadem specie. Probatur hęc Minor, quia non impedit primum, neque secundum, eo quod multiplicatio numerica formarum, quæ naturaliter sunt, & conseruātur; pertinet in Doctrina S. Thomæ qu. 6. de Potentia art. 2. ad 3. & in secundo Sententiarum dist. 18. qu. 1. art. 3. incorp. ad ea, quæ sunt impossibilia naturæ, impossibilitate orta, non ex repugnātia terminorum secundum affirmationem, & negationem, sed

ex

ex defectu potentiæ Creaturarum, vel ex aliquo impediente resistente: quo pacto est impossibile respectu Creaturarum fieri plures Soles, & plures Mundos, & resistente voluntate Dei, quæ solum vult vnum esse Solem, & vnum Mundum, & defectu potentiæ in ipsis Creaturis, quæ non possunt producere, nec Solem. nec Mundum. Non sic respectu Diuinæ Omnipotentiæ absolutè consideratæ. Habetur hæc Doctrina in S. Thoma. qu. prima de Potentia art. 3. & in lib. primo Sent. dist. 42. qu. 2. art. 2. incorp. Cum igitur Deus, vt docet S. Thomas ibidem, possit facere quidquid non implicat contradictionem poterit facere ea, quæ sunt impossibilia viribus naturæ creatæ, prædictis duobus modis; ac proinde, sicut potest creare plures Mundos, & plures Soles, ex eodem Angelico Doctore locis citatis, sic etiam poterit facere ea, quę sunt, aut præter, aut supra naturam; ac etiam ea, quæ nobis videntur esse contra naturam; Nam respectu Dei, nihil est contra naturam, aut supra vires ipsius potentiæ: Omnis enim natura creata adnutum eius obedit, & omnia sunt ei æqualiter subiecta, cũ eius Omnipotentia sit infinita, & infinitè superans omnes Creaturas; ergo ex prædictis duobus primis capitibus non repugnat quin Deus possit multiplicare Angelos intra eandem speciem, nec etiam in Sententiam S. Thomæ. Tertium caput libenter admittimus; non enim volumus, quod sicut multiplicari numerò potest natura specifica albedinis, licet hæc numerò multiplicari non possit, ita possit multiplicari numerò ipsa natura indiuidua Gabrielis, licet non ipse Gabriel. Nec etiam impedit Quartum, tum quia in Doctrina S. Thomæ non est vnica causa: multiplicationis numericæ absolutè loquendo diuisio materiæ; sed vel hæc, vel potentialitas adesse, seu distinctio quidditatis, seu Essentiæ ab existentia, quam cum eodem Angelico Doctore communiter mordicus propugnat eius Schola. Nam, & in primo Sententiarum dist. 2. qu. prima articulo primo, vt locis supra citatis ex eo infert Deum esse vnum numerò, & multiplicari non posse, quia in Deo neque est materia, neque est potentialitas ad esse, sed est suum esse; At in Angelis, & est potentialitas ad esse, cum nulla Creatura in Sententia S. Thomæ sit suum esse, vt habet opusc. 30. & opusc. 42. ergo etiam secundum eundem Angelicum Doctorem poterũt multiplicari numerò Angeli in eadem specie; tum quia, licet naturaliter loquendo velit vnicam causam dictæ numericæ multiplicationis esse diuisionem materiæ, quod est desumptum ex Philosopho lib. primo de Cælo à textu 92. vbi negat posse esse plures Cælos eiusdem rationis; eo

quod

quod forma occupat totam materiam, & lib. 7. Metaphyſ. tex. 28. & lib. 10. tex. 25. vbi ait homines differre numero ex materia, non ex forma, & lib. 12. Metaph. textu 49. negat poſſe eſſe plures numerò Motores cuiuſque Orbis Cæleſtis, quia quæcumque ſunt vnum ſpecie, & plura numerò habent materiam; Motores vero Cælorum ſunt immateriales. Ex dictis patet magis ad mentem S. Thomæ differere Thomiſtas illos, qui docent, diuinitus poſſe dari plures Angelos intra eamdem ſpeciem ſolo numerò differẽtes, quàm illi, qui negant. Quibus addo hoc conſtare etiam ex alijs capitibus. Primo quidem, quia aliquando vtitur ratione illa, quam ſupra adduximus pro principaliori ex Scoto deſumpta, vt in ſupradictis conſtat eiuſdem locis citatis. Secundo quia Opuſc. 32. apertè docet principium indiuiduationis non eſſe dimenſiones quãtitatis; eoquod quantitas eſt accidens, indiuiduum vero eſt ſubſtantia; ſed ſolum per illas demonſtrari ait indiuiduũ hic, & nunc tanquam per ſignum proprium indiuidui. Tertio; quia in quodam codice manuſcripto inuento in Bibliotheca Cænobij S. Marci Florentiæ Relig. PP. Prædicatorum ſub titulo S. Thomæ; habentur duæ celebres quæſtiones; quarum prior eſt de principio indiuiduationis, poſterior vero eſt de motoribus Cælorum. In fine prioris dicit, & docet Principium indiuiduationis animæ, & conſequenter rerum Spiritualium eſſe multiplex; & primo quidem principium effectiuum indiuiduationis eſſe Deum; ſecundo materiale reſpectu ipſius animæ eſſe corpus; tertio principium formale eſſe ipſam entitatem animę, ipſa enim ſe indiuiduat per modum principij formalis: Ex quibus patet ipſum ſentire nec etiam in rebus corporeis adæquatum indiuiduationis principium eſſe materiam affectam quantitate. Quarto expreſsè in Opuſc. 16. dicit, ruditer argumentari eos, qui probant non poſſe multiplicari intellectus; quia ex natura ſua non habent cauſam multiplicationis numericæ; nam licet intellectus non habeat illam ex natura ſua, poſſet tamen illam ſortiri ex naturali cauſa. Horum verborum S. Tho. ſenſus non eſt ille quem eis tribuit Vaſquez; ſcilicet, quod Voluntas Dei poſſit eſſe formale principium indiuiduationis; hoc namque apertè implicat; Deus enim nequit ſupplere vicem cauſę formalis intrinſecę; propterea ipſemet Angelicus D. loco ſupra citato docet; Deum eſſe ſolum principium effectiuum indiuiduationis, & principium formale ſumendum eſſe ſolum ex entitate rei. Senſus ergo Doctrinæ Angelicæ eſt quod cum natura Angelica ex proprijs principijs naturalibus ſiue intrinſecis, ſiue extrinſecis non exigat neceſ-

necessario pluralitatem indiuiduorum, sicut exigit natura materialis, non nisi supernaturaliter ex Diuina virtute procedere debet in illis multiplicatio numerica; Deus enim in agendo se accommodat rebus agẽdo modo illis proportionato iuxta exigentiam illarum secundum propria principia naturalia.

Quæres hic vndè habeatur quod natura materialis corruptilis exigat pluralitatem numericam intra eamdem speciem, & quod eam non exigat Natura Spiritualis completa ℞. communiter Thomistę hanc exigentiam in rebus corporeis haberi ex quadruplici capite. Primo ex parte ipsius materiæ; cum enim hæc exigat naturaliter sub quantitate existere, & per illam in varias partes extendi; naturaliter potest secundũ eamdem partem successiuè, vel secundum diuersas simul varias formas eiusdem rationis recipere, & positis ab agente naturali dispositionibus requisitis necessario illas exigit. Secundo ex parte formæ; nam hæc proportionatur materiæ; vnde sicut materia per quantitatem diuiditur in partes eiusdem rationis, ita & forma; præterea cum forma introducatur in partem materiæ, non autem in tota materia; vnde fit vt sit minor in entitate quam esset si in tota introduceretur, limitatur à parte materiæ vt possit, vel in illa eadem parte materiæ successiuè, vel in diuersis numero partibus simul multiplicari. Tertio dicunt huiusmodi exigentiam haberi ex parte Agentis; cum enim hoc sit multiplex numero nec vnum possit in totam materiam agere, sed tantum in partẽ; necessario, vel in illa eadem, vel in diuersis alijs partibus reliquit locum alijs agentibus inducendi formas eiusdem speciei. Quarto haberi dicunt ex fine; vnde sumitur ratio necessitatis materiæ; finis enim multiplicationis numericæ est conseruatio speciei, vt habetur lib. 2. de Anima Text. 33. Species enim in vno indiuiduo corruptibili conseruari non potest, & hinc oritur necessitas vt materia debeat esse in potentia secundum varias sui partes, vel secundum eamdem successiuè ad plures formas eiusdem speciei. Ex his quatuor capitibus igitur oritur exigentia multiplicationis numericæ in natura materiali corruptibili iuxta principia Scholæ S. Th. Non sic est in natura immateriali completa, quę ex nullo prædictorum quatuor capituum exigit pluralitatem numericam: non enim exigit ex parte materiæ, cum ea careat; neque ex parte formæ; hæc enim sufficienter secundum totam perfectionem intensiuam; & entitatiuam existit in vno indiuiduo; ac proindè diuisio illi naturaliter competens secundum modum suæ naturæ, est solum formalis, & essentialis, non verò numerica,

ca,

ca, vt patet in formis cælestibus, quę vnicum solum indiuiduum naturaliter exigunt; cum tamen debuissent plura indiuidua eiusdem rationis produci, si numerica multiplicatio ab illorum natura exigeretur. Pręterea cũ differentię indiuiduales non perficiant essentialiter naturam specificam, eoquod sint extra quidditatem illius, non exiguntur ab illa plures, nisi propter conseruationem speciei, quæ ratio cessat in formis materialibus occupantibus totam materiam; siue constituentibus composita incorruptibilia, & in Naturis spiritualibus, putà Angelicis. Nec exigitur ex parte agentis qui est infinitæ virtutis, cum sit ipse D. O. M. Nec denique ex parte finitis.

Natura enim Angelica, cum sit spiritualis, est immortalis, & incorruptibilis, & solum per annichilationem potest desinere; & propterea in vnico indiuiduo potest conseruari. Hæc sunt præcipua fundamenta in Schola Thomist: pro solutione huius difficultatis, quantum potui colligere ex classicis D. D. illius supra relatis; quæ placuit hic breuiter, & clarè proponere tum propter variam eruditionem, quam continent, tum etiam, vt illis expensis, possim colligere, & inferre quid sentiat S. P. in hoc puncto.

In his aduerto primo non esse certum Angelorum multiplicationem intra eamdem speciem solum extraordinariè, & per solam Diuinam Omnipotentiam absolutè consideratam, non vero de lege ordinaria posse haberi, immò de facto haberi; quia ex nullo principio Theologico, aut Philosofiico potest hoc certo probari. Precipuum enim fundamentum Sententiæ Thomisticæ est illud Axioma Aristotelicum supra relatum, quod naturaliter loquendo principium multiplicationis indiuiduorum intra eamdem speciem sit materia signata, siue affecta quantitate; quod tamen hodie extra Scholam S. Thomæ non est communiter receptum.

Aduerto secundo quod licet ex illis 4. capitibus relatis non habeatur, quod Natura Angelica exigat multiplicationem indiuiduorum intra eamdem speciem, non tamen inde rectè colligi quod non exigatur; aut saltem si non exigitur quod non possit haberi, etiam operante Deo solum vt Auctore Naturæ, prædicta multiplicitas; nam vltra illa 4. posset assignari ex parte Naturæ Spiritualis indifferentia, quam habet vt sit vel in vno, vel in pluribus indiuiduis: Ex parte Agentis potest Assignari Scientia, Voluntas, & Omnipotentia Diuina, quæ sunt attributa Dei non alligata etiam naturaliter operando ad producendum magis vnum solum, quam plura indiuidua. Denique ex parte finis posset assignari etiam pulcritudo Vniuersi, &

non solà conseruatio speciei; quemadmodum enim in sententia valde probabili ponuntur plures cæli eiusdem speciei; ac etiam plura sydera intra eamdem speciem etiam ab illis, qui ponunt illa esse incorruptibilia; itaut tota diuersitas, quæ in eis apparet, non ex differentia specifica; sed vel ex differentia indiuiduali, vel ex differentijs accidentalibus proueniat, tam in figura, quam in coloribus, vel etiam in operationibus quemadmodum in his indiuiduis corruptibilibus videmus intra eamdem speciem maximam diuersitatem, & varietatem in his omnibus, quibus positis.

Dico tertio tres esse plausibiles sententias circa quęstionem de facto nam Thom. tenent omnes Angelos de facto differre specie. Alij omnes esse eiusdem speciei. Alij verò dari plures species, & intra quamcumq; speciem dari plura indiuidua, & vnamquamque ex his tribus sententijs habere Patronos graues, & rationes probabiles non contemnendas.

Prima Sententia, quæ est communis inter discipulos S.Thom.& à qua solũ nostrum Franciscum Syluestrum Ferrariensem lib. 2. contra Gentes c. 55. scio discessisse: quam etiam sequuntur noster B. Egidius quodlib. 2. qu. 2. & noster Thomas Argentina in 2. dist. 3. qu. 2. art. 2. Probatur ab illis primo hac ratione. Quando non cõstat Deum de facto fecisse aliquid de potentia absoluta, dicendum est fecisse id; quod conueniebat, & exigebat natura rei, secundum propriam naturam, & principium; sed non constat de facto Deum per absolutam potentiam, vel omnes Angelos, vel aliquos solo numero differentes creasse; constat autem ex supradicta Doctrina eorumdẽ Thom. multiplicitatem numericam non exigi à natura Angelica secundum rationem speciei, & propria principia naturalia; ergo dicendum est omnes Angelos differre specie. Maiorem probant; quia Deus secundum potentiam ordinariam operatur modo proportionato, & accommodato rebus, & iuxta exigentiam ipsarum; hoc enim pertinet ad perfectionem ipsarum rerum, & totius Vniuersi, vt quod à Deo factum est, sit perfectum. Minor probatur, quia hoc non constat, ex S.Scriptura; nam quod in ea dicatur multos Angelos mininistrare Deo, mitti ad custodiẽdos homines, vel ad alia munera obeunda, & quod omnes Angeli Sancti simul cum hominibus Beatis constituant vnam Rempublicam, siue Ciuitatem Sanctam Hierusalem, non arguit pluralitatem numericam intra eamdem speciem; nam hæc omnia stare possunt cum diuersitate specifica singulorum Angelorum inter se: vtrumque enim stare potest cum diuersitate specifica

ca naturæ; ratioque ministerij non est potius huius naturæ intellectualis, quam alterius, vt videre est in hominibus,& Angelis;pendet namque ex voluntate Dei;Et societas ipsa Patriæ cælestis magis fundatur in communicatione gratiæ, quæ non postulat identitatem specificam in Natura,quam in ipsa identitate specifica naturæ. Probatur secundo, quia sicut sub genere substantię corporeæ constat esse diuersas specie Naturas, ita videtur consentaneum rationi,quod admittatur etiam sub genere Substantiæ spiritualis diuersitas specifica, & sicut Vniuersitas Substantiarum spiritualium cum sit longe perfectior vtraque, & multiplicatio numerica non sit per se intenta, sed ob conseruationem speciei,nec per se faciat ad perfectionē Vniuersi, cum sit multiplicatio materialis, non verò formalis, qualis est specifica, necesse erit dicere omnes Angelos inter se specie differre.

Secunda Sententia in qua dicitur omnes Angelos cuiusque ordinis,& Hierarchiæ esse eiusdem speciei, & solo numero differre, est S. Basilij lib. 3. contra Eunomium, quem sequuntur B. Alb. Magn. parte secunda Tract. 2. qu. 8. Sanctus Buonauentura in secundo dist. 3. art. 2. qu. prima vbi cum §. *Respondeo dicendum* sub num. 27. marginali retulisset Sententiam Thomistarum subdidit. *Nobis nec per Scripturam, nec per dicta SS. nec per Officia innotescit tanta diuersitas; ideo non videtur nisi præsumptio hoc dicere, maxime cum non appareat in promptu aliqua ratio cogens. Subiungit postea opinionem suam sic. Alia est positio sobria, & Catholica, quod in Angelis est ponere distinctionem quantum ad personalitatem tantummodò, aut in omnibus, aut in aliquibus, & concedendæ sunt rationes ad hoc inductæ tum ex parte ministerij, tum ex parte assimilationis ad Deum, tum ex parte assimilationis mutuæ.* Probatur hæc Sententia ratione satis valida deducta ex Doctrina S. P. qui in Enchiridione cap. 29. Respondens Quæstioni cur Deus voluerit reparare ruinam hominum, non verò ruinas Angelorum ℞. *Placuit itaque Deo vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat in perpetua perditione remaneret &c. Alia verò creatura rationalis &c quoniam peccatis, & originalibus, & proprijs tota perierat ex parte reparata, quod Angelicæ Societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret.* At si tota Natura alicuius speciei saluaretur in vnico indiuiduo, iam pereunte vno Angelo tota natura illius speciei perijsset; Ergo dicendum est totam aliquam Naturam specificam non saluari in Angelis in vno indiuiduo; sed vel omnes, vel saltem plures Angelos solo numero differentes contineri intra eamdem speciem. ℞. Aliqui Thomistæ ex

Doctrina, quam tradit S. Tho. in Q. de spiritualibus creaturis art. 3. ad primum S. P. N. A. non comparare naturam humanam cum Angelica in Naturalibus, quia ista non perierunt in Dæmonibus, sed in Beatitudine supernaturali, secundum quam solum perierunt, & in hoc docere S. P. distingui totam naturam Angelicam ab humana ex diuersis modis perueniendi ad illam; Omnes enim Angeli conueniunt in hoc quod per vnam electionem acquirunt, vel perdunt Beatitudinem irreparabiliter; homo autem discursu temporis paulatim illam acquirit, vel perdit, & ideo absurdum fore totum hunc ordinem deficere ab illa Beatitudine, cum alter totus non defecerit. Hæc tamē explicatio, salua pace, & veneratione quàm profiteor DD. qui ea vtuntur, est nimis violenta; nam modus acquirendi ipsam Beatitudinem, cum sit via ad ipsam, est extra Essentiam, & quidditatem ipsius Beatitudinis. Præterquam quod non repugnat, quod aliquis homo vnico actu electionis in extremo suæ vitæ constitutus in vltimo instanti Beatitudinem acquirat, vt rectè probat Noster P. Ioannes Gregorius à Iesù Maria in suo Opusculo de vltimo instanti; immò aliquibus sic contigisse quandoque apud Sacros Historicos habetur: ex quo patet mentem, & rationem S. P. esse quod non erat conueniens in illa Monarchia Spirituali Summi Regis deesse aliquam speciem ex spiritualibus creaturis.

Probatur secundo auctoritate S. Basilij qui lib. 3. contra Eunomium, cum iste Hereticus obiecisset, *Spiritum S. esse natura diuersa à Patre, & Filio,* quandoquidem *ordine est vltimus in Diuinis personis*; ℟. S. D. hoc non sequi; nam constat in Angelis esse *Ordinem*, & tamen *vltimum Angelum non idcircò esse diuersæ naturæ ab alijs.* Probatur tertio auctoritate S. Athanasij qu. 4. ad Antiochum, vbi ait; *Vna est, & eadem essentia Angelorum: sicut etiam vna tantum est Essentia hominum.*

Tertia Sententia, quæ hodie videtur esse plausibilior extra scholam S. Tho. est, nec omnes esse diuersæ speciei, nec omnes omninò esse eiusdem speciei; sed in quacumq; specie dari plures Angelos eiusdem speciei. Diuisionem harum specierum aliqui pro suo arbitratu petunt ex diuersitate Hierarchiarum. Alij ex diuersis choris &c. Prædictam sententiam dicunt esse S. Cirilli lib. 3. Thesauri, quem sequuntur Alensis secunda parte qu. 20. memb. 6. art. 1. & 2. Gabriel. Dyonisius Carthusianus, & Marsilius in secundo dist. 3. qu. 3. & ferè omnes Scotistę, nec non, & ferè omnes DD. societatis. Probatur communiter hæc assertio; primo quia ordo, & pulcritudo Vniuersi videtur talem varietatem postulare; vt patet in diuersis in

diui-

diuiduis eiuſdem ſpeciei in rebus inferioribus; ſecundo quia cum fides doceat inter Angelos varias eſſe Hierarchias, & ordines, & propterea magnam dignitatis diuerſitatē, colligitur valde probabiliter eſſentialis, & ſpecifica diuerſitas inter ipſos ordines, quod licet aliqui refundant in diuerſitatem gratiarum pro libito Diuinæ voluntatis; Nihilominus cum dona gratuita ſint Angelis collata iuxtà proportionem donorum naturalium, iuxtà D. Tho. videtur dicendum in tanta multitudine eos, qui magis conueniunt in muneribus gratiæ, conuenire etiam in prædicatis eiuſdem naturę ſpecificę. Probant alij ex eo, quod ideò dicuntur homines prædeſtinati ad reparandas ruinas Angelorum, quia proportionaliter gradus gloriæ hominum reſponſurus ſit gradui gloriæ quem habuiſſent Angeli mali, ſi non cecidiſſent, itaut ſicut innumeri infantes poſt Baptiſmum morientes ſunt habituri æquale præmium, ita & plures Angeli mali, ſi non cecidiſſent, cum illis fuiſſet collata gratia iuxtà proportionem naturalium: conſequenter prædictos Angelos eſſe ſolo numero differentes, ſicut ſunt ipſi infantes. Verum nec etiam iſta ratio conuincit; nam Beatiſſima Virgo eſt Prima inter puras creaturas: quæ reparat ruinas Angelorum, & tamen ipſa ſola habet plus gratiæ, & gloriæ quam habuerint non ſolum Angeli, qui ceciderunt, ſed omnes Angeli ſimul. Vbi etiam obiter aduerto non eſſe certum, quod ſolum tot homines ſint ſaluandi, quot Angeli perierunt; neq; hoc docēt S. P. & S. Anſelmus; vt aliqui volunt, ex lib. 22. de Ciuit. Dei cap. primo, & ex libr. Cur Deus homo &c. docent enim ſolum per homines electos reparandas ruinas Angelorum; ſed an alij ſupra prædictum numerum ſint ſaluandi nec ne, non dicunt, vt legētibus prædicta loca clarum fiet; immò S. P. in cap. 29. Enchiridionis: Notitiam huius numeri hominum ſaluandorum reſeruat ſolum cognitioni Diuinę, quod non faceret, ſi ſolum tot ſaluandos eſſe putaret, quot ſunt Angeli, qui perierunt: hoc enim pacto numerus horum hominum ſaluandorum poſſet naturaliter ſciri ab Angelis cognoſcentibus numerum dæmonum, quem tamen in ſola viſione Beatifica cognoſcituros Angelos bonos, & Sanctos in finem docet idē S.P. in Enchiridione cap. 61. immò S. Iſidorus lib. primo de Sum. bono cap. 2. nu. 13. dicit ſoli Deo eſſe notum conformiter ad dicta S. P. in cap. 29. eiuſdem Enchiridionis. Vide S. P. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. primo, & S. Anſelmum lib. cur Deus homo cap. 18.

In hac ſententiarum varietate puto hoc eſſe problema quod pro libito in quauis ex prædictis ſententijs poſſit ſuſtineri, cum præciſa auctoritate

tate prædictorum SS. & aliorum DD. non habeamus maius fundamentum pro vna, quam pro alijs sététentijs. Propterea optimè docuit S. P. lib. contra Priscillanistas cap. vltimo; vnde desumptum est Axioma pro fundamento huius dubij: hoc soli Deo esse notum, & parū referre ad Fidem Catholicam quidquid dicatur de hac re. Hoc idem post ipsum docuit S. Ioannes Damascenus lib. 2. de Fide Orth. cap. 3. vbi non per transitum: sed ex professo de hac re agit. Præterea S. Pater Noster in lib. 12. de Genesi ad litteram de hoc puncto agens perpensis singulorum rationibus, & fundamentis, concludit. *Potest fieri vt etiam in Spiritualibus, vel intellectualibus multos quosdam gradus quisquam esse contendat, aut ipsos, si possit, ostendat; eosque distinctos iuxtà aliquem prouectum magis, vel minus reuelationum illustriū; Sed vtcumq; se ista habeant, accipiantur, vt libet ab alio sic, &c. ab alio autē sic. Quot, & quantæ singulorum sint generū differentiæ, vt in vno quoque aliud alio gradatim superferatur, ignorare me fateor:*

Et Ego quoque cum S. Patre.

AXIOMA QVINTVM.

De Numero Angelorum.

Ex Enchiridione ad Laurentium Cap. 29.

SVperna illa Hierusalem mater nostra Ciuitas Dei, nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur, sed vberiore etiam copia fortaßè regnabit. Neque enim numerum, aut Sanctorum hominum, aut immundorum Dæmonum nouimus, in quorum locum succedentes filij S. Matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terris in ea pace, de qua illi ceciderunt, sine vllo temporis termino permanebunt. Sed illorum Ciuium numerus, siue qui est; siue qui futurus est in contemplatione est eius Artificis, qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, atque in mensura, & numero, & pondere cuncta disposuit.

D V B I V M

An Angeli sint in magno numero.

DIco primo esse de fide, Angelos esse in magno numero, quod probatur primo Auctoritate S. Scripturæ. Danielis enim cap. 7. habe-

habetur. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* & Iob. 25. *Numquid est numerus militum eius?* & Matth. cap. 25. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo, plusquam duodecim Legiones Angelorum.* & Lucæ cap. 2. *facta est cum Angelo multitudo militia cælestis &c.* Probatur secundo ratione, qua vtitur S. Thomas prima parte qu. 50. Artic. 3. in corpore. Quò aliqua sunt perfectiora, eo in maiori excessu sũt creata, vt patet in corporibus cælestibus ratione magnitudinis; perfectio enim Vniuersi est principaliter intenta: sed Angeli inter omnes creaturas sunt perfectissimi: ergo sicut cæli superant magnitudine, ita Angeli debent superare multitudine res inferiores.

Dices, Aurum, & Lapides pretiosi sunt nobiliora multis mixtis, vt patet, & tamen ab istis illa superantur in magnitudine, & multitudine; Ergo non est vniuersaliter verum, ea quæ sunt perfectiora esse creata in maiori excessu. Respondent Thomistæ, prædictam propositionem esse veram de entibus nobilioribus secundum gradum ordinis, non vero secundum specificum; ac proindè cũ aurum, & lapides pretiosi simul cum omnibus alijs mixtis faciant solum vnum gradum ordinis; habent enim eumdem modum essendi, & permanendi in esse, & participandi esse; ac proinde non potest fieri comparatio inter ista. Hæc responsio supponit illam Doctrinam communem, quam tradunt Thomistę nempe, quod perfectio vniuersi spectatur penes varios gradus, & ordines rerum, qui sumuntur ex modis essendi; cùm enim perfectio cuiuslibet rei constituat differentiam graduum rerum, quæ pertinent ad perfectionem vniuersi, quæ differentia debet sumi per ordinem ad varios modos essendi, vel differentia ipsius esse; variatur autem modus ipse essendi ex ordine, & potentia ad esse; nam in triplici gradù, & ordine possunt esse ea, quę participant esse; aliqua enim ita participant, vt non habeant in sè aliquid, quod sit ens in potentia tantum, vt sunt Angeli, loquendo de potentia subiectiua, & substantiali.

Aliqua ita participant esse, vt habeant in sè partem materialem, quæ est essentialiter ens in potentia; ita tamen, vt huius potentialitas sit completa per vnicam formam, vt sunt corpora cælestia; vel habent materiam, cuius potentia non completur per vnicam formam, sed per plures successiuè, vt sunt corpora sublunarium; differunt verò ista in esse per D. Thomam lib. 10. Metaph. lect. 9. per esse corruptibile, & incorruptibile; illud enim potest etiam per vires agentium naturalium naturaliter, & ordinariè operantium non esse; hoc verò non potest non esse

esse nisi per omnipotentiam Dei illud annihilantis, vel extraordinariè operantis. Hoc esse incorruptibile, vel est omninò separatũ ab eo, quod est potentia ad esse, modo supra explicato, vt Angeli, vel est coniunctum cum eo, vt cæli; & sic patet, quomodo, esto ponantur cæli incorruptibiles, adhuc habent Angeli gradum ordinis, & modum essendi nobiliori modo participatum; cum sint in supremo gradù, & ordine modi essendi, ex tribus assignatis; & quomodo prædicta instantia de Auro, & Lapidibus pretiosis, non conuincat falsitatem Regulæ assignatæ; cum comparatio sit facienda solum penes tres gradus in toto vniuerso. Hæc Doctrina est valde speciosa, sed non recepta communiter nisi in Schola D. Thom. primo quia adhùc vertitur in controuersiam inter Discipulos S. Thomæ, & S. Bonauenturæ, an detur in Angelis materia propriè dicta, vt supra visum est.

Secundo quia incertum est, an cæli sint corruptibiles, vel de facto etiam aliquando corrumpendi: Nõ nego tamen quin sit valde probabilis; ex qua saltem duos modos, & gradus essendi possumus constituere. Alterum incorruptibilẽ, & hunc Angelorum, & Animarum rationalium, ac etiam materiæ primæ, quæ solum per annihilationem possunt desinere. Alterum verò corruptibilem, in quò ponantur omnia composita physica substantialia, si corpora cælestia sunt corruptibilia, & ex proportione magnitudinis, quã habent corpora cælestia ad alia corpora excedendo ista; satis probabiliter arguere excessum multitudinis, & numeri Angelorum, respectù horum inferiorum; tãto magis quod S. Dionisius Areopagita, cui multum deferunt Scholæ, cum agitur de Angelis in lib. de Cælesti Hierarchia cap. 14. docet numerum Angelorum excedere numerum rerum materialium; Ait enim *Multi sunt Beati Cælestium mentium Exercitus, qui infirmum, & contractum numerorum corporeorum quibus vtimur modum superant, & transeunt, atq; scienter definiuntur à sola earum summa, Cælestique intelligentia, ac scientia, &c.* Ex quo loco colligitur rectius sensisse de multitudine Angelorum excedente numerum omnium indiuiduorum huius vniuersi, eos qui admittunt talem excessum, inter quos, non solum est Lyranus, sed etiam D. Thomas parte prima qu. 50. artic. 3. in corp. vbi ait, *dicendum est quod etiam Angeli secundum quod sunt immateriales substantiæ in quadam multitudine maxima sunt, omnem materialem multitudinem excedentes*. Et vtitur prò suo intento prædicto loco D. Dionisij; quam modernos illos, qui illum negant, quibus miror adhæsisse Io. Baptistã Gonnet tom. 6. disp. 2. Artic. 2. §. 2.

vt certum; cum tamẽ se Thomistam ex seuerioribus profiteatur, tanto magis quod ipse Angelicus Doctor finem corporis dicti articuli claudit his verbis. *Vnde rationabile est, quod substantiæ immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales, quasi incomparabiliter*. Aliqui exponunt hæc loca S. Dionisij, & S. Thomæ de excesſù specierum, non verò de excesſù singulorum indiuiduorum; tanto magis quod ipse Angelicus Doctor qu. 6. de Potentia, artic. 6. ait, *substantia incorporea vt dicit Dionysius 14. cap. Cælestis* Hierarch. *omnem multitudinem specierum materialium transcendunt*. & quidem eos excedere numerum omnium specierum rerum materialiũ patet, quia singulis speciebus earũ sunt assignati singuli Angeli tutelares, vt docent S. P. N. Lib. 85. qu. 16. Origenes hom. 13. in lib. Numer. S. Gregorius Nazianz. Oratione de Theol: Theodor. lib. de Diuinis decretis cap. de Angelis; & est communis apud Theologos, & pręter illos sunt alij deputati singulis hominibus, vt habetur in actibus Apostolorum cap. 12. *Angelus eius est*: & Math: cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*; vel singuli singulis, vel etiam vni plures, vel boni, vt asserit idem S. Tho. prima parte qu. 113. artic. 2. ad primum, & colligitur ex illo Zachar. cap. 3, *dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt*, vt exponit Ribera, vel vnus bonus, alter malus ad hominum luctam, & exercitium, vt ait S. Hieronym. in cap. 18. S. Mathei; præter quos sunt, & alij deputati singulis Regnis, & Prouĩcijs iuxta illud Daniel: *Princeps Persarum*; ac etiam singulis Vrbibus, & Communitatibus, vt docet S. Tho. loco mox citato. Præter quos sunt etiam Motores Orbium Cælestium. Præter hos sunt alij adstantes ante Deum quasi expectantes quid illis præcipiatur ad mundi gubernationem, cui præsunt, vt habetur Apoc. cap. 5. vbi dicuntur septem Spiritus missi in omnem terram. Denique sunt plurimi alij præter ministrantes qui dicuntur assistentes, iuxta illud Danielis cap. 7. *Decies centena millia assistebant ei*. qui vt docet D. Greg. lib. 2. moral. cap. 3. soli secreta Diuinorum mysteriorum in ipsa claritate Diuinæ essentiæ percipiunt, & per illos alijs denunciantur; Propterea solum illi supremæ Hierarchiæ dicuntur assistentes, & hi numquam dicuntur missi, sicut nec etiã Dominationes, quod intelligitur de missione locali, & exteriori; non autem de quacumque pręsertim directiua; vt docent S. Thom. in cap. primum ad Hebr. & prima parte qu. 112. art. 3. & 4. & S. Dionysius cap. 7. & 8. de cęlesti Hierarch. & D. Gregor. hom. 34. in Euang. Ex quibus patet excessus valde notabi-

 lis

lis omnium Angelorum collectiuè sumptorum supra omnes species, de quo non est dubium. Verum quod hæc solum fuerit mens D. Thomæ in dicto artic. 3. qu. 50. partis primæ, vt vult Gonetus loco citato, & alij cum ipso, & ante ipsum, non credo; do quidem, quod in dicta quæstione de potentia faciat mentionem de multitudine specierum; nam si excedunt numerum omnium indiuiduorum profecto excedunt etiam numerum omniũ, specierũ materialium, sed aduerto in hoc eodem loco dici signanter *omnem multitudinem specierũ materialium*, per quod videtur significari non solum excedi numerum ipsarum specierum, sed etiam numerum quorumcumque iudiuiduorum, in quibus sunt prædicata specifica cuiusque speciei materialis, sed quidquid sit de hoc; aduerto vlterius in artic. 3. qu. 50. supra citato, sileri studio, illud verbum specierum; & dicit *omnem materialem multitudinem excedentes* non enim excederetur omnis materialis multitudo, nisi excederetur multitudo omnium, & quorumcumque indiuiduorum quarum cumque specierum. Præterquam quod ratio ipsa D. Thom. & paritas de corporib⁹ cælestibus in ordine ad hæc inferiora nihil concluderent, si comparatio esset solum facienda cum speciebus non verò cum singulis indiuiduis quarumcumque specierum. Ratio enim est quia perfectio Vniuersi est illud; quod Deus intendit in creatione rerum, & propterea quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto sunt in maiori excessu creata; non esset autem tam notabilis excessus, si solum excederet numerum specierum, non vero etiã numerum omnium indiuiduorum; nam etiam guttę maris, & arenæ littoris excedunt hunc numerum; non ergo casu siluit hic S. Thom. species sicut etiam lib. 2. contra Gen. cap. 92. Nec etiam comparatio corporum cælestium, cum inferioribus aliquid probaret, corpora enim cælestia magnitudine superant magnitudinem cuiusque corporis singularis, & cuiusque indiuidui corporei.

Dices, ex Deut: cap. 32. habetur, quod Deus constituit terminos populorum iuxtà numerum filiorum Dei, idest Angelorum, vt explicant communiter DD. quem locum exponens D. Gregorius ait, Angelos Beatos tot esse, quot sunt Electi ad Patriam ex hominibus; sed homines electi ad gloriam non excedunt numerum indiuiduorum quarumcumque specierum; ergo nec etiam Angeli. ℞. cum Lirano locum illum ad litteram esse intelligendum de diuisione gentium facta à Deo occasione confusionis linguarum, de qua Propheta immediatè ante loquitur cum ait. *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios*

Adam

Adam quando ſcilicet confudit linguas eorum, vt vnus alterum non intelligeret,& tunc diuiſi ſunt in varias gentes, & linguas, & tot conſtitutæ, quot ex filijs Iſrael ingreſſi ſunt Ægyptum,qui fuerũt 70.Illud quod aſſe rtur ex D.Gregorio non eſt certum, nec recipitur communiter; nam cum omnes habeant ſuum Angelum tutelarem,& præterea ſint alij multi, vt cum plurimis SS. PP. vidimus ſupra, neceſſe eſt dicere numerum Angelorum in notabiliſſimo exceſſu ſuperare numerum electorum; tanto magis quod non ſolum electi, ſed etiam reprobi habent ſuum Angelum Cuſtodem, & in communiori ſententia idem Angelus non mittitur ſucceſſiuè ad cuſtodiendos plures homines; itaut vno defuncto deputetur ad cuſtodiendum alterum naſciturum. Confirmatur primo ex doctrina Patrum in cap. 18. Matthei vbi habetur parabola de 99. ouibus relictis in deſerto, & centeſima cum magno labore requiſita, & inuenta, quam S. Ireneus lib. 3. cap. 21. & 29. & Origenes hom. 2. in Gen. & 7. in Ioſue. S. Cyrillus Hieroſolimitanus Cathecheſi. 15. S. Amb. in Apologia Dauidica cap. 5. S. Hilarius ad dictum locum S. Matthei. S. Greg. loc. citato, & S. Athan. qu. 2. qui per nonaginta nouem intelligũt numerum Angelorum, & per vnam deperditam Naturam humanam. Præterea Dyoniſius Carthuſ. in comment. lib. de cæleſti Hierarch. S. Dyoniſij Areopagitæ ad cap. 14. refert quamdam reuelationem factam Sanctæ Birgittæ,quod tot ſunt Angeli, vt vnicuique hominum decem Angeli poſſint aſſignari ad cuſtodiendum &c. Loquitur autem ibi de Angelis infimi Chori, quibus eſt appropriatum nomen, quod eſt comune omnibus; nam alij non mittuntur ad cuſtodiendos homines ſingulares, niſi vel ratione officij, vel ex ſpeciali Dei priuilegio, quo pacto pie creditur B. Virg. fuiſſe in Cuſtodem deputatum S. Gabrielem, qui & Archangelus nominatur, & de Choro Seraphim eſſe communiter docetur, & hoc de ſolis Angelis bonis; nam & mali ſunt etiam ipſi in magna multitudine, itaut aliqui arbitrentur eos eſſe tertiam partem Spirituum creatorum ex illo Apoc. vbi dicitur quod Draco traxit cauda tertiam partem ſtellarum; vbi nomine ſtellarum accipiuntur cõmuniter Angeli; quibus poſitis.

Dico ſecundo definitũ numerum Angelorum à nobis ſciri non poſſe, ita vt S. Hier. in expoſitione illius capitis ſeptimi Danielis *Millia Millium &c.* dicat poſitum eſſe ibi numerum finitum pro infinito, & hoc indicant verba illa Iob. 25. *Numquid eſt numerus militum eius*. Hoc idem docent alij PP. ideſt S. Ioan. Chriſoſtomus hom. 2. contra Anomęos S. Anſelmus in cap. 5. Apoc. S. Greg.

Mag. lib. 17. Mor. cap. 7. S. Basilius lib. de vera Virginit. S. Dyonisius Areopag. lib. 6. de cælesti Hierarch. cap. 14. vbi dicit talem numerum soli cælesti intelligentiæ notum esse; idest vel Deo; vt exponit Hugo de S. Vict. vel ipsi Angelo, vt exponunt Alésis, & Alb. Mag. quod etiam licet non ita clarè videtur indicare S. P. in Ench. cap. 61. Probatur etiam ratione; quia talis numerus pendet, ex sola voluntate Dei; ac proinde non potest cognosci nisi ex reuelatione Diuina, quæ nulla extat de hac re; neque enim habemus talem numerum expressum in Scripturis; vel ex traditione Ecclesiæ, aut P. P. neque euidenti ratione colligi potest, cum Angeli sint perfectissimæ substantiæ, quæ primo, & per se fuerunt propter Deum conditæ.

AXIOMA SEXTVM.

Angelus Natura sua respectu potentiæ creatæ est immortalis, & incorruptibilis.

Ex Lib. 2. de Ciuitate Dei Cap. 16.

IN his, quæ intelligunt, præponuntur immortalia mortalibus, sicuti Angeli hominibus, sed ista præponuntur naturæ ordine.

D V B I V M

Vtrum Angeli natura sua sint incorruptibiles.

HÆc est vna ex illis disputationib⁹ in quibus explicatis terminis nulla remanet quæstio, quod maximè in præsenti præstandum est propter diuersos modos loquendi PP. & DD. propterea.

Dico primo: corruptibile, & incorruptibile tripliciter sumi posse. Primo pro eo quod in se habet principium alicuius mutationis siuè substantialis, siuè accidentalis, & hoc modo Angeli non sunt incorruptibiles, nec immortales; quia omnes sunt mutabiles accidentaliter secundum operationes intellectus, & voluntatis, & possunt mutari de bono in malum, vt patet in Angelis qui ceciderunt. Vnde Iob cap. 4. dicitur

Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles & in Angelis suis reperit prauitatem, & S. Athan. in cõp. de Spiritus S. ait *In creatis nihil esse Natura immutabile cum Angeli non seruauerint suum ordinem; Diabolus ceciderit de cælo; Adam sit prçuaricatus, & omnia alterentur*; hæc tamen acceptio est valde ampla, & in cõmuni vsu loquendi non ita propriè vsurpata. 2° Secundo sumitur corruptibile pro eo, quod habet in se principium corruptionis propriæ dictæ; quæ fundatur in parte physica, & conuenit compositis per ordinem ad agens naturale; hoc modo Angeli non sunt ex natura sua corruptibiles, aut mortales; à nulla enim creatura possunt naturaliter destrui, & hoc intendebant P.P. quando asseruerunt Angelos esse ex natura sua incorruptibiles, & immortales. S. Dyon. Areop. cap. 4. de Diuinis nominibus D. Iulianus lib. primo de futuro sæculo cap. 2. in Bibliot. PP. S. Athan. lib. p. de communi Essentia Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & S. Ioannes Damascen. lib. p. Institutionum cap. 7. quos sequuntur communiter Scholastici, & præcipuè S. Thomas prima parte qu. 50. art. 5. in quo etiã sensu definitum est in Conc. Later. id quod habetur in Bulla Leonis X. idest animas rationales esse immortales, quod multo magis valet in Angelis; cum sint natura superiores: definiuit enim ibi Pontifex contra illos philosophos: seu Atheos, qui dicebant animas simul cum corporibus interire, & eamdem esse causam corruptionis vtriusque: quam definitionem collegit ex illo D. Matthei cap. 10. vbi dicitur Christianis, nè timeant eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timeant eum, qui & Animam, & Corpus potest perdere in Gehennã, quod plane intelligitur de corruptione in ordine ad causam secundam. Tertio potest sumi 3° corruptibile, & mortale prò eo, quod non habet repugnantiam ex natura sua, vt possit à Deo annihilari, à quo pendet in esse, & conseruari; quæ corruptibilitas à Caietano appellatur potentia Logica; non ex eo, quod sit solum per intellectum; sed quia non fundatur in aliqua parte rei Physica, & substantiali contradistincta realiter ab altera comparte, vt fundatur corruptio corporum; sed habet prò fundamento totam entitatem rei, & hoc modo etiãm Angeli sunt natura sua corruptibiles, & mortales, quia ex natura sua non repugnat illis à Deo annihilari, & possent de facto, si Deus vellet; nec potest illis hoc modo communicare incorruptibilitatem, sicut non potest communicare creaturæ, quod non egeat sua conseruatione; vt docet S. Thom. qu. 5. de Potentia, artic. 2. Hoc est illud quod docuerunt PP. qui dixerunt Angelos esse natura

ſua corruptibiles, & mortales, & ſolum eſſe incorruptibiles, & immortales per gratiam. Ita S. Io. Damaſc. lib. 2. de fide Orth cap. 3. Sophronius in ſua Epiſt. quæ habetur in ſexta Synodo Generali Conſtantinopolitana art. 2. S. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, & l. 8. Theſauri cap. 2. S. Ambroſius lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. S. Ireneus lib. 2. contra hæreſes cap. 2. & S. Iuſtinus Martir. lib. 99. qu. 23. ipſoſque in hoc ſensù locutos fuiſſe, patet ex rationibus, quas illi adducunt; nam S. Cyrillus, & S. Io. Damaſc. adducunt hanc, quod omne quod cępit eſſe, poteſt natura ſua deſinere eſſe. S. vero Gregorius, quia omnis creatura ex nihilo facta eſt, quod autem eſt tale, per sè ipſum tendit ad nihilum: quod antea ſepe docuerat S. P. N. Sanctus autem Iuſtinus, quod Angelorum immortalitas, ex alterius voluntate dependet. Conſequenter ad horum PP. doctrinam, Scotus, S. Bonauentura, Ricardus, OKam. & Gabr. in ſecundo diſt. 3. docent omnem creaturam ex sè eſſe mutabilem, & accidentaliter, & ſubſtantialiter. Prò clariori dictorum intelligentia, tria in hoc puncto, ſunt valde obſeruanda.

Primum eſt huiuſmodi corruptibilitatem Angeli reſpectu Dei non eſſe ſolam denominationem extrinſecam à Potentia actiua Dei; ſed eſſe veram, & realem potentiam fundatam in natura rei, ſine vlla tamen inclinatione ad non eſſe; cum enim omnis inclinatio ſit ad bonum, non poteſt dari potentia inclinans ad nō eſſe, quod de sè eſt malum; & hoc eſt quod intendunt PP. cum dicunt Angelos eſſe natura ſua corruptibiles, & ſolum per gratiam incorruptibiles; & quod cæpit, poſſe etiam ex ſua natura deſinere; & probari ſolet ea ratione, quà vtitur S. Tho. prima parte q. 25. art. 2. & Henricus quodlib. 6. & 8. qu. 3. quia non ideo ſolum res eſt poſſibilis, quia Deus poteſt illam facere; ſed etiam quia non repugnat, nec eſt implicantia, in prędicatis talis rei; & præterea quia obiectum eſt prius potentia, ſi non realiter, ſaltem ratione, cum iſta ab illo ſpecificetur, & denominetur, ita & res eſt annihilabilis, non ex eo ſolum, & præciſe, quia Deus poteſt illam annihilare; ſed præterea quia ob eandem rationem non eſt repugnantia, & conſequenter eſt potentia obiectiua, ſeù Logica in ipſa rè vt poſſit annihilari. Thom. contendunt huiuſmodi potentiam eſſe ſolummodo obedientialem, & hoc dè mente S. Thom. ita vt P. Io. Baptiſta Gonnet. tom. 6. diſp. 2. art. 4. §. *ex quibus* redarguat Arriagam eo quod diſp. 2. de Angelis, Sect. 6. ſubſect. prima dixerit rationem D. Thom. *probare quidem Angelos corruptione proprie dicta deſtrui nō poſſe, & per annihilationem deſtrui non poſſe*

posse minime probare. quasi non penetrauerit profundum discursum S. Thom. Quęstio. est de voce.

Secundum quod aduerto, est axiomata illa PP. in quibus dicitur Angelos esse incorruptibiles, & immortales per gratiam Dei, non esse intelligenda de gratia habituali iustificante; nec de gratia actuali supernaturali requisita ad operandum bene, quam S. P. Augustinus, & PP. Concilij Mileuitani contra Pelagiū, statuerunt requiri, præter illam gratiam, quam hæreticus ille vocabat donum creationis. Sed esse intelligenda dè dono conseruationis; nam Conseruatio non est Angellis debita, nec ex iustitia, nec ex gratitudine, vt obseruat Albertus Magn lib. dè quatuor Coeuis. qu. 5. artic. 3.

Tertium, quod aduerto, est per gratiam immortalitatis, & incorruptibilitatis Angelis communicatam PP. non intelligere negationem potentiæ ad desitionem simpliciter, eo quod talis potentia, vel consideratur in Angelis in ordine ad Deum, vel in ordine ad causas secundas. Si primum Angelus per gratiam immortalitatis ex liberalitate Dei illi collatam non ammittit naturalem potentiam suæ naturæ, adhoc vt possit destrui; manet enim semper subiectus Omnipotentiæ Dei; nec potest communicari illi à Deo carentia talis subiectionis in ordinem ad conseruationem sui; alias enim eximeretur à dominio absoluto Dei; quod implicat. Si vero negatio talis potentiæ consideretur respectù cuiuscumque Creaturæ, neque hoc modo potest dici, Angelum esse incorruptibilem per gratiam; quia hoc modo est ex natura sua incorruptibilis, & immortalis, Sensus ergo illorum PP. est; negationem actus destructionis, seù annihilationis cum potentia tamen ad illum esse ipsis Angelis gratuitam; gratia est enim Angelis, quod non annihilentur, aut destruantur, cum possint destrui, & annihilari; Non posse autem destrui, & annihilari vllo modo; non est illis gratia, talis enim gratia est illis, & cuicumque Creaturæ incommunicabilis; & soli Deo ex natura sua cōuenit, iuxta illud ad Thimoth. cap. 6. *Qui solus habet Immortalitatem*, quia nec desinit esse; nec ab vllo destrui potest, quibus positis.

Quæritur hic: posito quod Deus nullam substantiam sit annihilaturus, vt colligitur ex illo Ecclesiastici cap. primo. *terra autem in aeternum stat*, & ex cap. 3. *Omnia opera quæ fecit Deus perseuerant in aeternum.* Et quod Deus operetur secundum potentiam ordinatam, & secundum modum proportionatum, & connaturalem naturis rerum; an dici possit Angelos esse Natura sua incorruptibiles etiam respectù Dei sic operantis. In quo.

Prima sententia est aliquorum Tho-

Thomistarũ affirmantium; qui putãt esse de mente S. Tho. prima parte qu. 50, artic. 5. ita Caietanus ibi, Sotus in quarto dist. 43. qu. 3. art. 8. concl. 2. & Medina in prima secundæ qu. 8. art. 4.

Secunda Sententia est communis extra Thomistas; eamque tuentur communiter recentiores propterea Dicendum est; Angelos etiam suppositis illis duabus condicionibus esse natura corruptiles respectu Dei solummodo. Probatur primo; quia Decretum de non annihilando Angelos est gratia illis facta; sed solummodo tollit actum, & relinquit potentiam, vt dictum est. Ergo &c. Probatur secundo; quia tale decretum, est quid consequens ad Omnipotentiam Dei, per quam sicut ex nihilo conditi sunt, ita & in nihilum redigi possunt: sed tale decretum nihil minuit de illa potentia; ergo sicut præcise à decreto sunt ex natura sua annihilabiles; ita etiam posito decreto. Probatur tertio; quia ad hoc vt incorruptibilitas conueniens Angelis sit physica, & ad hoc vt dicatur Deus operari conuenienter naturæ Angelicæ, satis est vt illam physicè non dextruat, nec concurrat cũ causa secunda ad illorum corruptionem. Cum quo tamen stat, quod illos annihilare possit: Angeli enim ex natura sua non petunt necessario sui conseruationem; ac proinde nec etiam incorruptibilitatem per annihilationem, sed solum per negationem physicę corruptionis, cuius sũt incapaces. Qnod confirmari potest à simili: nam ignis ille qui est in centro, seu in concauo terræ, cum sit longè positus à contrarijs, petit perpetuitatem in actu secundo, & tamẽ adhuc natura sua, & physicè dicitur corruptibilis; hæc enim illi ex natura sua non repugnat; ergo similiter Angeli, licet per ordinem ad causas secundas petant perpetuitatem, cũ tamen non repugnet illis ex natura sua à Deo annihilari, poterunt dici corruptibiles respectù illius. Probatur vltimo, quia suppositis quibuscumque non potest Deus comunicare creaturæ vt sine illo conseruari possit. Sed hoc est idem, ac dicere semper remanere in creatura naturam corruptibilem; ergo adhuc illis duobus suppositis remanet natura Angeli corruptibilis respectu Dei, esto sit incorruptibilis respectu creaturarum.

Dices primo Angelus dicitur simpliciter producibilis; licet à solo Deo possit produci, ergo simpliciter dicetur corruptibilis; quia à solo Deo corrumpi potest. Sed hoc communiter negant PP. ergo simpliciter dicendum erit esse incorruptibiles respectu Dei; ℞. negando consequentiam; nomen enim productionis est commune productioni ex materia, & productioni ex nihilo; At nomẽ corruptionis propriè, & rigorosè dicitur

citur solum in ordine ad agens naturale, quod destruat rem per introductionem contrarij in materia; quo pacto Angeli non sunt corruptibiles, & hoc solum voluerunt PP. asserentes Angelos esse incorruptibiles per naturã, & hoc pacto se explicauit S. Cyrillus loco supra citato, vbi ait quod Angelus est quidem immortalis, sed non Deo.

2 Dices secundo, Angeli postulant conseruationem ex natura sua; nihil autem producitur vt statim corrumpatur, vt habetur lib. 8. Physic. textu 43. Sed hæc conseruatio quam exigunt Angeli non est limitata ad tempus; ergo infinita. ℞. Angelos cõparatos ad causas secundas exigere durationem infinitam, cum à nulla creatura possint vnquã destrui; per ordinem verò ad causam primam postulare solum tantam, quantam voluerit ille concedere, Deus enim nõ est plus debitor creaturę post creationem illius, quam ante, & propterea sicut potuit non creare, ita potest non conseruare; vt obseruat S. Tho. qu. 5. de Potentia artic. 3. arg. 3. neq; enim tenetur, aut ex vi creationis aut ex debito iustitiæ, aut ratione gratitudinis illã conseruare non annihilando, vt aduertit Alb. Mag. loco supra citato; sed quantum ipse voluerit, tantum potest illam conseruare.

Dices tertio. si Deus Angelum annihilaret, operaretur aut contra aut supra naturam ipsius; annihilatio enim non est illi connaturalis; sed hoc non potest stare cum eo, quod est esse natura sua corruptibilem respectu Dei. ergo &c. ℞. talem annihilationem forè supernaturalem in ordine ad causas secundas; quia excedit vires omnium earum: non tamen respectu Dei, neque respectu Angeli; cui sicut non erat supernaturale non esse antequam produceretur; sic nec etiam illi est supernaturale non esse postquam productus fuit; nec etiam respectu Dei etiã operantis, vt est Auctor naturæ; nam hoc non excederet vires ipsius, qua talis est, si hoc modo operari vellet.

Dices quarto. Aqua dicitur natura sua frigefactiua, & humefactiua, & ignis calefactiuus, & combustiuus, esto dependeant à Deo in omnibus suis operationibus, ergo etiam Angelus poterit dici natura sua incorruptibilis; licet dependeat à Deo in suo esse. ℞. esse disparem rationẽ de prædictis elementis, & alijs agentibus creatis in ordine ad suas operationes, & de Angelis in suo esse; nam ante Dei cooperationem supponitur ignem habere vim calefactiuam; combustiuam, &c. & Aquã similiter vim humectantem, & refrigerantem, per quas ita inclinãtur ad agendum, vt sua natura postulent concursum Dei. (Quem dicunt aliqui, quod si negaret, fieret aliquod contra naturam dictorum agentiũ;

& paterentur violentiam; eo quod sit violentum, quando quis contra internum impetum, & inclinationē rei ipsam mouet, vel detinet.) Alij verò cum quibus Ego sentio, dicunt quod non paterentur quidem violentiam; eoquod subiectio essentialis, quam habet quælibet creatura Deo, facit vt nihil sit ei violentum ex illis, quę Deus disposuerit de illâ; At in illo casu Deum solummodo operaturum, vt absolutum Dominū non verò vt Auctorem Naturæ, qui de lege ordinaria omnibus præbet concursum requisitum ad operandum. Non sic se habet res in natura Angelica; in ea enim non supponitur aliquid, tamquam potentia, vel inclinatio realis ad ipsum suum esse, propter quod Angelus natura sua postulet esse. Natura enim seu existentia Angeli est idem realiter, & formaliter in sententia, quam Ego sequor, vt fusè explicàui in Axiomatibus Metaphysicis cap. 6. & consequenter pendet à voluntate Dei quoad suum esse totum; nec Deus conseruat ipsius Essentiam cooperando cum inclinatione Angeli ad esse, sed omninò per se solus conseruat in esse; neque enim potest conseruari existentia, quin etiam conseruetur essentia eius; cum sint omninò idem, & re, & ratione; vnde respectu illius Angelus vt dictum est natura sua est destruibilis, corruptibilis, & annihilabilis.

CONTROVERSIA SECVNDA

De Angelorum potestate circa Corporalia.

AXIOMA PRIMVM.

Angeli quandoque assumunt corpora.

Ex Lib. 15. de Ciuitate Dei. Cap. 23.

VTrum possint Angeli, cum spiritus sint, corporaliter coire cum fæminis; Scriptum est enim; qui facit Angelos suos spiritus, idest eos qui natura spiritus sunt, facit esse Angelos suos, iniungendo iis officium nunciandi, &c. Sed vtrum eorum corpora consequenter adiunxerit dicendo, & ministros suos ignem arden-

ardentem: an quod charitate tamquam igne Spiritali feruere debeant ministri eius, ambiguum est: apparuisse tamen hominibus Angelos in talibus corporibus, vt non solum videri, verum etiam tangi possent, eadem verissima Scriptura testatur. Et quoniam creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant Siluanos, Panes, & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos sapè extitisse mulieribus, & earum appetisse, ac peregisse concubitum; & quosdam Dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam, & tentare, & efficere plures, talesque asseuerant, vt hoc negare impudentia videatur, non hìc aliquid audeo temerè definire: vtrum aliqui Spiritus elemento aereo corporati (nam hoc elementum etiam cum agitatur flabello, sensu corporis, actuque sentitur) possint etiam hanc pati libidinem, vt quomodo possint, sentientibus fœminis misceantur? Dei tamen Angelos Sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse crediderim; &c.

DVBIVM

Vtrum Angeli assumant corpora, & quomodo.

1 ANgelos non habere corpora sibi naturaliter vnita, supra in præcedenti controuersia etiam ex mente, & Doctrina Sancti Patris demonstratum est. In præsenti tria videnda sunt; primò an assumant corpora vera, & realia; secundo quomodo assumant; tertio ex quo corpore forment talia corpora. Hęc sequentibus assertionibus breuiter explico. &

2 Dico primo. Angelos posse, & quandoque de facto assumere vera corpora. Hæc assertio est Sancti Patris in Axiomate, quo loco vtitur etiam Sanctus Thomas prima parte, quæst. quinquagesima prima articulo secundo ad hoc probandum, & est certa apud Scholasticos in secundo dist. 8. & ante ipsos hoc docuerunt communiter PP. dicentes, Angelos interdum in veris corporibus visibilibus apparuisse. Sic habet SanctusPater non solum in axiomate posito, sed etiam in Enchiridione cap, 59. & alibi S. Athanasius ser. 4. contra Arrianos. S. Gregorius Magnus lib. 28. moral. cap. 4.

& S. Ioannes Damascenus lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 3. & alij. Probatur etiam ratione illa, qua vtitur S. Thom. loco citato, quæ sic explicari potest. Tribus modis possunt fieri Angelorum apparitiones, idest vel sola imaginatione, vel præstigiosa illusione, vel realiter, & verè existẽte exterius re sensibili, & per realem speciem apparente; Sed ex scripturis Sanctis habentur plures Angelorum apparitiones, quæ solum tertio modo fieri potuerunt: ergò dicendum illas fuisse in veris corporibus assumptis. Maior patet ex sufficienti partium enumeratione. non enim videtur esse alius modus excogitabilis, quo Angeli apparere possint, quĩ ad vnum ex illis tribus non pertineat, aut sit reducibilis. Minor probatur, quia apparitiones illæ, quę narrantur factæ primò Agar Ancillæ eiectæ de domo Abraham; secundo ipsi Abraham; tertio Loth. 4. Tobiæ, & 5. illa facta Sancto Patriarchæ Ioseph Sponso Beatissimæ Virginis, Sancto Petro, & alijs, non potuerunt fieri nisi in corporibus assumptis; ergò dicendum est, hoc modo factas fuisse stante Regula Sancti Patris Nostri Augustini communiter recepta, quod ea, quæ in Sacris Scripturis docentur, aut narrantur, sunt cum proprietate intelligenda, quando sinè vllo incommodo fieri potest; vt est in præsenti. Si dicas fuisse visiones imaginarias. Contra est, quia quod taliter videtur est solum in imaginatione videntis. Si dicas fuisse præstigiosas. Contra est primò, quia hoc suspicari de illis viris Sanctis, & quibus factæ sunt, & qui eas retulerunt, nefas est. Secundo quod apparet præstigiosè apparet existenti in mala dispositione, illudit, nec diù durat; sed illæ relatæ ex Scripturis, & aliæ similes habuerunt veros, & reales effectus, non fuerunt illusoriæ, diù durarunt, & fuerunt factæ viris Sanctis vt plurimum; ergò dicendum est eos apparuisse in veris, & realibus corporib⁹.

Dices primo: ad formationem veri corporis sensibilis requiritur figura, color, & temperies primarum qualitatum, mollities, & durities, nec non alia huiusmodi accidentia; sed Angelus nihil potest facere in corporibus præter motum localem, vt docet S. Thom. prima parte quæst. 110. ergò non possunt assumere vera corpora. Confirmatur ex Concilio Ancyrano, quod à Gratiano appellatur Anchiritanum, ab alijs verò Anquiranum, quod, licet fuerit Prouinciale, fuit tamen receptum in sexta Synodo generali, vt patet ex secundo Canone huius Synodi; in fine dicti Concilij habetur; *quod scelerata quædam mulieres Dæmonum illusionibus seducta nocturnis horis cũ Diana Paganorum Dea, & innumera multitudine mulierum credunt se equitare super quasdam bestias, & multa terra-*

terrarum spatia pertransire, quæ falsa opinione deceptæ hæc vera esse credũt, & credendo à recta fide deuiant, &c. & sic etiam in Iure Canonico in Decr. 26. qu. 5. can. *Si quis aliarum*; & aliquot sequentibus; & in cap. Episcopi in eadem quæstione habetur illud, quod referunt Lamiæ se vidisse, & peragrasse varias mundi partes, solum secundum imaginationẽ id contigisse. Sic etiam quod quibusdam hominibus dicitur contigisse: vt videantur transformari in bestias, & deferre onera; in somnijs solum per imaginationem hoc contigisse videtur, & confirmatur auctoritate S. P. A. lib. 18. de Ciuitate Dei capite 18. vbi cum in capite præcedenti narrasset commutationem sociorum Vlyssis in bestias; & in hoc aliquas alias fieri solitas, conclusit. *Hæc vel falsa sunt, vel tam insitata, vt meritò non credantur* &c. *Nec sanè Dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à verò Deo sunt creata commutant, vt videantur esse, quod non sunt. Non itaque solum animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim Dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti: sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, siue somniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, sopitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci, ita vt corpora ipsa hominum alicubi iaceant viuentia quidem, sed multò grauius atque vehementius, quàm somno suis sensibus obseratis. Phantasticum autem illud veluti corporatum in alicuius animalis effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri possit in somnis, & portare onera, quæ onera si vera sunt corpora, portantur à Dæmonibus, vt illudatur hominibus partim vera onerum corpora partim iumentorum falsa cernentibus.* Hæc ibi Sanctus Pater cõfirmat aliquibus exemplis, &c. ergò pariter hoc videtur dicendum de apparitionibus factis à Sanctis Angelis. Confirmatur secundo: quia cum Angeli possint apparere per visionem immaginariam, non est ratio, cur appareant in corporibus assumptis. ℞. ad argumentum, quod cum 6 Angeli possint mouere localiter poterunt etiam formare corpora sensibilia, & quidquid ad illa consequitur, vt sonos in aere, figuras, quæ resultant in materia quanta per condensationem, rarefactionem, & diuisionem, sic etiam colores applicando actiua passiuis, si oriantur ex mutua actione elementorum, vel apponendo aliquod corpus lucidum, vel obijciendo corpus assumptum corpori lucido, vel condensando corpus

pus lucidum, si colores oriantur ex præsentia luminis in perspicuo terminato per opacum, vt docet Sanctus Thomas lib. 3. meteor. lect. 6, Possũt etiam producere primas qualitates, earumque temperiem celeritate mirabili miscendo corpora simplicia, licet corpus ab ipsis formatum non habeat perfectam temperiem, qualis est illa corporum animalium; possunt etiam facere imperfectam mollitiem, & duritiem, vel applicando vapores induratos, vel ita condensando corpus, vt durum appareat. Aliqui dicunt tales mollities, & durities esse phantasticas, non veras, quatenus Angelus sua virtute impedit tactum hominis, vel cedit ei in aliqua parte illius corporis assumpti, itaut partim appareat molle, partim durum, taliter tamen quod si homo attenderet, & perfectum tactum haberet, facilè discerneret in tali corpore non esse veram duritiem, nec veram mollitiem, qualis est in ossibus, & carnibus nostris, vt accidit in illo casu, quem refert Caietanus secunda secundæ qu 95. ad artic. 3. Hoc clarius fiet, si attendantur ea, quæ Christus Dominus post suam Resurrectionem dixit Apostolis, vt habetur Io: cap. 20. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet*. Nam si non posset sensu tactus discerni corpus phantasticum à vero, illud argumentum, vel nullum esset, aut certè non efficax.

Ad confirmationem Respondetur primò; nos hìc loqui de apparitionibus Angelorum, quas refert Sacra Scriptura. ℞. secundo cum Abulensi in cap. 4. Matth. quæst. 47. & Victoria in relectionib⁹ de Magia num. 23. duo contineri in prædicto Concilio: vnum est, quod verè illæ mulieres putarent se equitare super bestias, & multa terrarum spatia peragrare. Alterum est, quod putarent se equitare cum Diana, & hanc esse Deam Paganorum, & quantum ad hoc secundum definiuit Concilium illusionem istarum mulierum esse cõtrariam Sanctæ Fidei, & qui talia credunt fidem perdere; credere enim esse plures Deos, est contra fidem. De primo puncto nihil determinat de fide, sed solum explicat veram sententiam, quod vt plurimum hæc in imaginatione opera Dæmonis perficiuntur. Ad auctoritatem S. P. Respondetur ipsum ibi velle solum hominibus, qui putant se in bestias conuersos fuisse, & sub graui onere multum laborasse, id in grauissimo sopore, & somno accidisse; nam si haberent sensus liberos, facilè iudicarent se non esse conuersos in bestias, non tamen propterea negat aliquãdo alijs spectantibus aliquem apparere posse conuersum in bestiam ratione corporis assumpti à Dæmone sub tali figura. Videantur Alensis parte secunda suç summæ quæst. 43. memb. 3. art. primo, & Gabriel in secun-

secundo dist. 8. quæst. 2. ad secundum, Alphonsus à Castro libro primo de iusta hæreticorum punitione cap. 16. & Caietanus loco citato. Ad secundam Confirmationem ℞. conuenienter apparuisse Angelos in veris corporibus assumptis, vt habet S. P. lib. 3. de Trinit. cap. 11. quia eorum apparitiones ordinabātur ad significandam apparitionem Filij Dei in vero, & reali corpore. Secundo Respondetur ex S. Dionysio epist. ad Titum, Angelos sic apparuisse, vt per eos totus homo perficeretur, idest secundum intellectū per visionem, & illuminationem intellectualem, secundum imaginationem per visionem imaginariam, & secundum sensum externum per realem verorum corporum represéntationem. ℞. tertio ex S. Thom. prima parte quæst. quinquagesima prima art. 2. & quæst. 6. de Potentia artic. 7. vt familiariter cum hominibus conuersando demonstrarent intelligibilem societatem, quam homines expectant se cum illis habituros in vita futura Sanctorum.

Dico secundo: huiusmodi corpora, quæ assumunt Angeli, esse quidem vera secundum formas per se sensibiles, non verò semper veritate secundum naturam speciei, quam reprefentant, v. g. Hominis, Leonis, Aquilæ, Columbæ, &c. Probatur quia cum Angeli non indigeant corporibus assumptis propter se, sed propter nos, vt scilicet exerceant in illis aliquas operationes iuxtà exigētiam infirmitatis nostræ, vt locutionem, motum localem, & manifestationem sui, vel proprietatum superioris substantiæ; iste enim est finis, vt ait S. Dionysius lib. de cælesti Hierarchia cap. 2. & 15. visibilium formationum; sed corpora vera veritate naturę, vt humana, &c. non sunt apta, immò maximè inepta ad exequenda ministeria Angelica, & ad prædictam repræsentationem, nam ratione grauitatis sunt inepta ad motum, & velocia ministeria ipsorum, & ratione animæ non possunt esse simul manifestatiua proprietatum Angeli; etenim vt docet S. Thom. in secundo sententiarum distinctione 8. quęst. prima: Proprietates, quę secundum veritatem sunt in aliquo corpore, ducunt in cognitionem principiorum subiecti, non autem substantiæ spiritualis; secus verò proprietates, quæ solum secundum similitudinem sunt in corpore, nam sub illis non intelligitur res aliqua subesse præter ipsam substantiam spiritualem, & corpus illud tenuissimū, v. g. ignis, aut aeris, quod est subiectum necessarium illorum accidentium, vt patet cum apparent in figura ignis, Leonis, Aquilæ, &c. ergò dicendum est Angelum non assumere corpora vera veritate naturę. Cōfirmatur, quia, vt notauit S. Thom. per dictam operationem nō dicitur

Ange-

Angelus assumpsisse linguam asinæ, quando loquutus est ad Balaam; nec Dæmon serpentem in quo loquutus est Euæ: nec corpus hominis, quod habitat, & vexat.

Dices: si Angeli non assumerent vera corpora veritate naturæ, esset fictio in ipsis Angelis, & aliquid frustrà in talibus corporibus assumptis esset, vt formatio oculorum, aurium &c. cum hæc ad proprium vsum Angelorum non pertineant. ℞ neque fictionem esse, neque frustrà fieri, quia non assumunt Angeli formas humanas, vt homines esse credantur, sed vt per humanas proprietates, & opera spirituales Angelorum virtutes, & opera designentur; quēadmodum nec etiam metaphoricæ loquutiones sunt falsæ, in quibus ex aliorum similitudinibus res aliæ significantur; & sic patet nec etiam sequi secundum inconueniens: oculi enim; & aures, & similia membra non assumuntur ab Angelis, vt in illis exerceant opera vitæ, sed ad significandas varias proprietates Angelorum, & ad congruam instructionem eorum, ad quos mittuntur, vt docet S. Dionysius cap. vltimo de cælesti Hierarchia. Dixi in conclusione *non semper*, quia si appareant in forma ignis, nihil vetat, quin minus assumant verum corpus ignis eo modo, quo possūt assumere, vt mox explico; nam tale elementum ex sua natura non est ineptum ad prædicta; & preterea sicut communiter dicitur corpora alia, quæ assumunt, esse vt plurimum formata ex aere, qui per suam tenuitatem est aptus ad prædicta officia; sic idem poterit dici de igne, qui habet maiorē tenuitatem, & velocitatem, nec non & actiuitatem.

Dico tertio: non assumere corpus vniendo se illi per modum formę, vt videtur sentire Aureolus relatus à Capreolo in secundo distinctione tertia quæst. prima, artic. secundo, nec etiam per modum hypostasis, vt videtur velle Tertullianus lib. de carne Christi; affirmat enim ibi Angelos *assumpsisse carnem humanā, & eo ipso factos esse, quod natura non sunt*: sed solum per modum intrinseci motoris mobili ad sui, vel ad superioris substantiæ manifestationem. Hæc assertio est communis inter Doctores in secundo dist. 8. eam que docet, & explicat S. Thom qu. 6. de potentia ad primum, & in 2. dist. 8. quęst. prima art. 6. in corpore ad primum. Probatur communiter quoad primam partem, quia Angelus est substantia completa, & cōsequenter non potest esse forma alterius; forma enim est quid incompletum faciens simul cum materia vnum per se, & completum, quod repugnat Angelo. Secunda pars probatur, quia nulla creatura potest viribus naturę mutare naturalem modum essendi alterius; sed modus natura-

rius; sed modus naturalis essendi cuiusque substantiæ est per se subsistere independenter ab alio; ergò non potest Angelus separare subsistentiam alterius naturæ, & illi communicare suam. Præterea superuacaneum videtur pro breuissimo temporis spatio talem vnionem hypostaticam facere. Denique Sanctus Pater epistola tertia, quæ est ad Volusianum, appellat mysterium Incarnationis singulare, eo quod non habeat exemplum, quod esset falsum, si Angelus hypostaticè sibi vniret corpora. Tertia pars probatur à sufficienti partium enumeratione: cum enim assumere corpus sit illud sibi vnire; assumere enim est idem, ac ad se sumere, quod est idem ac illi se coniũgere, itaut sint quidem realiter distincta entia, sed localiter indistantia; Angelus non vnit se corpori informatiuè, aut hypostaticè, vt dictum est; ergo per modum motoris mobili, cum quo non facit quidem vnum simpliciter, quod docet Philosophus lib. primo Physic. fieri solum tribus modis, idest continuatione, indiuisibilitate, & ratione; sed solum secundum quid; quo pacto figurata vniuntur figuræ, causa mouens suo instrumento, & quilibet motor mobili, quod mouet; propterea potest Angelus assumere, & deponere corpus assumptum; quando vult, quod non esset, si illi vniretur per modum formæ, vel hypostasis: nam vniones istæ sunt naturanis secundum esse, supra quod non potest voluntas creata, sed solum diuina; vt docet S. Thom. dist. 8. qu. 1. artic. 2. ad 2. & qu. 6. de Potentia artic. 7. ad 4. Aduerte tamen quod non sufficit ad assumptionem vnio motoris cum mobili Angeli enim motores orbium cælestium non dicuntur illos assumere; sed præterea requiritur, vt assumens corpus vniatur illi tamquam instrumento ad sui, vel alterius manifestationem; vnde ipsemet assumens format tale corpus; quod probatur à priori ex doctrina S. Dionysij loco citato, vbi docet finem omnium assumptionum esse cognitionem virtutum spiritualis substantię. A posteriori verò ostenditur, quia de facto Angeli formant talia corpora, quæ sint apta ad talem representationem, & vt plurimum non vtuntur illis corporibus veris veritate naturæ specificæ, quam foris repræsentant, vt cum exterius representatur Homo, Aquila, Leo, Agnus, Columba, &c. eoquod ista sint inepta ad talem repræsentationem; illorum enim proprietates non repræsentarent proprietates assumẽtis, sed naturam corporis, cuius sunt proprietates. Dictum est debere vniri tamquam instrumento vel ad sui, vel alterius manifestationem, vt Dei, vel Angeli superioris; omnes enim apparitiones, quæ leguntur factæ in veteri testamento, in quibus

Angelus assumpsisse linguam asinæ, quando loquutus est ad Balaam; nec Dæmon serpentem in quo loquutus est Euæ: nec corpus hominis, quod habitat, & vexat.

Dices: si Angeli non assumerent vera corpora veritate naturæ, esset fictio in ipsis Angelis, & aliquid frustrà in talibus corporibus assumptis esset, vt formatio oculorum, aurium &c. cum hæc ad proprium vsum Angelorum non pertineant. ℞ neque fictionem esse, neque frustrà fieri, quia non assumunt Angeli formas humanas, vt homines esse credantur, sed vt per humanas proprietates, & opera spirituales Angelorum virtutes, & opera designentur; quēadmodum nec etiam metaphoricæ loquutiones sunt falsæ, in quibus ex aliorum similitudinibus res aliæ significantur; & sic patet nec etiam sequi secundum inconueniens: oculi enim; & aures, & similia membra non assumuntur ab Angelis, vt in illis exerceant opera vitæ, sed ad significandas varias proprietates Angelorum, & ad congruam instructionem eorum, ad quos mittuntur, vt docet S. Dionysius cap. vltimo de cælesti Hierarchia. Dixi in conclusione *non semper*, quia si appareant in forma ignis, nihil vetat, quin minus assumant verum corpus ignis eo modo, quo possūt assumere, vt mox explico; nam tale elementum ex sua natura non est ineptum ad prædicta; & preterea sicut communiter dicitur corpora alia, quæ assumunt, esse vt plurimum formata ex aere, qui per suam tenuitatem est aptus ad prædicta officia; sic idem poterit dici de igne, qui habet maiorē tenuitatem, & velocitatem, nec non & actiuitatem.

Dico tertio: non assumere corpus vniendo se illi per modum formę, vt videtur sentire Aureolus relatus à Capreolo in secundo distinctione tertia quæst. prima, artic. secundo, nec etiam per modum hypostasis, vt videtur velle Tertullianus lib. de carne Christi; affirmat enim ibi Angelos *assumpsisse carnem humanā, & eo ipso factos esse, quod natura non sunt*: sed solum per modum intrinseci motoris mobili ad sui, vel ad superioris substantiæ manifestationem. Hæc assertio est communis inter Doctores in secundo dist. 8. eamque docet, & explicat S. Thom. qu. 6. de potentia ad primum, & in 2. dist. 8. quęst. prima art. 6. in corpore ad primum. Probatur communiter quoad primam partem, quia Angelus est substantia completa, & cōsequenter non potest esse forma alterius; forma enim est quid incompletum faciens simul cum materia vnum per se, & completum, quod repugnat Angelo. Secunda pars probatur, quia nulla creatura potest viribus naturę mutare naturalem modum essendi alterius; sed modus natura-

rius; sed modus naturalis essendi cuiusque substantiæ est per se subsistere independenter ab alio; ergò non potest Angelus separare subsistentiam alterius naturæ, & illi communicare suam. Præterea superuacaneum videtur pro breuissimo temporis spatio talem vnionem hypostaticam facere. Denique Sanctus Pater epistola tertia, quæ est ad Volusianum, appellat mysterium Incarnationis singulare, eo quod non habeat exemplum, quod esset falsum, si Angelus hypostaticè sibi vniret corpora. Tertia pars probatur à sufficienti partium enumeratione: cum enim assumere corpus sit illud sibi vnire; assumere enim est idem, ac ad se sumere, quod est idem ac illi se coniũgere, itaut sint quidem realiter distincta entia, sed localiter indistantia; Angelus non vnit se corpori informatiuè, aut hypostaticè, vt dictum est; ergo per modum motoris mobili, cum quo non facit quidem vnum simpliciter, quod docet Philosophus lib. primo Physic. fieri solum tribus modis, idest continuatione, indiuisibilitate, & ratione; sed solum secundum quid; quo pacto figurata vniuntur figuræ, causa mouens suo instrumento, & quilibet motor mobili, quod mouet; propterea potest Angelus assumere, & deponere corpus assumptum; quando vult, quod non esset, si illi vniretur per modum formæ, vel hypostasis: nam vniones istæ sunt naturalis secundum esse, supra quod non potest voluntas creata, sed solum diuina; vt docet S. Thom. dist. 8. qu. 1. artic. 2. ad 2. & qu. 6. de Potentia artic. 7. ad 4. Aduerte tamen quod non sufficit ad assumptionem vnio motoris cum mobili Angeli enim motores orbium cælestium non dicuntur illos assumere; sed præterea requiritur, vt assumens corpus vniatur illi tamquam instrumento ad sui, vel alterius manifestationem; vnde ipsemet assumens format tale corpus; quod probatur à priori ex doctrina S. Dionysij loco citato, vbi docet finem omnium assumptionum esse cognitionem virtutum spiritualis substantię. A posteriori verò ostenditur, quia de facto Angeli formant talia corpora, quæ sint apta ad talem representationem, & vt plurimum non vtuntur illis corporibus veris veritate naturæ specificæ, quam foris repræsentant, vt cum exterius representatur Homo, Aquila, Leo, Agnus, Columba, &c. eoquod ista sint inepta ad talem repræsentationem; illorum enim proprietates non repræsentarent proprietates assumẽtis, sed naturam corporis, cuius sunt proprietates. Dictum est debere vniri tamquam instrumento vel ad sui, vel alterius manifestationem, vt Dei, vel Angeli superioris; omnes enim apparitiones, quæ leguntur factæ in veteri testamento, in quibus

Angelus assumpsisse linguam asinæ, quando loquutus est ad Balaam; nec Dæmon serpentem in quo loquutus est Euæ: nec corpus hominis, quod habitat, & vexat.

Dices: si Angeli non assumerent vera corpora veritate naturæ, esset fictio in ipsis Angelis, & aliquid frustrà in talibus corporibus assumptis esset, vt formatio oculorum, aurium &c. cum hæc ad proprium vsum Angelorum non pertineant. ℞ neque fictionem esse, neque frustrà fieri, quia non assumunt Angeli formas humanas, vt homines esse credantur, sed vt per humanas proprietates, & opera spirituales Angelorum virtutes, & opera designentur; quẽadmodum nec etiam metaphoricæ loquutiones sunt falsæ, in quibus ex aliorum similitudinibus res aliæ significantur; & sic patet nec etiam sequi secundum inconueniens: oculi enim; & aures, & similia membra non assumuntur ab Angelis, vt in illis exerceant opera vitæ, sed ad significandas varias proprietates Angelorum, & ad congruam instructionem eorum, ad quos mittuntur, vt docet S. Dionysius cap. vltimo de cælesti Hierarchia. Dixi in conclusione *non semper*, quia si appareant in forma ignis, nihil vetat, quin minus assumant verum corpus ignis eo modo, quo possũt assumere, vt mox explico; nam tale elementum ex sua natura non est ineptum ad prædicta; & preterea sicut communiter dicitur corpora alia, quæ assumunt, esse vt plurimum formata ex aere, qui per suam tenuitatem est aptus ad prædicta officia; sic idem poterit dici de igne, qui habet maiorẽ tenuitatem, & velocitatem, nec non & actiuitatem.

Dico tertio: non assumere corpus vniendo se illi per modum formę, vt videtur sentire Aureolus relatus à Capreolo in secundo distinctione tertia quæst. prima, artic. secundo, nec etiam per modum hypostasis, vt videtur velle Tertullianus lib. de carne Christi; affirmat enim ibi Angelos *assumpsisse carnem humanã, & eo ipso factos esse, quod natura non sunt*: sed solum per modum intrinseci motoris mobili ad sui, vel ad superioris substantiæ manifestationem. Hæc assertio est communis inter Doctores in secundo dist. 8. eamque docet, & explicat S. Thom. qu. 6. de potentia ad primum, & in 2. dist. 8. quęst. prima art. 6. in corpore ad primum. Probatur communiter quoad primam partem, quia Angelus est substantia completa, & cõsequenter non potest esse forma alterius; forma enim est quid incompletum faciens simul cum materia vnum per se, & completum, quod repugnat Angelo. Secunda pars probatur, quia nulla creatura potest viribus naturę mutare naturalem modum essendi alterius; sed modus natura-

rius; ſed modus naturalis eſſendi cuiuſque ſubſtantiæ eſt per ſe ſubſiſtere independenter ab alio; ergò non poteſt Angelus ſeparare ſubſiſtentiam alterius naturæ, & illi communicare ſuam. Prætereà ſuperuacaneum videtur pro breuiſſimo temporis ſpatio talem vnionem hypoſtaticam facere. Denique Sanctus Pater epiſtola tertia, quæ eſt ad Voluſianum, appellat myſterium Incarnationis ſingulare, eo quod non habeat exemplum, quod eſſet falſum, ſi Angelus hypoſtaticè ſibi vniret corpora. Tertia pars probatur à ſufficienti partium enumeratione: cum enim aſſumere corpus ſit illud ſibi vnire; aſſumere enim eſt idem, ac ad ſe ſumere, quod eſt idem ac illi ſe coniũgere, itaut ſint quidem realiter diſtincta entia, ſed localiter indiſtantia; Angelus non vnit ſe corpori informatiuè, aut hypoſtaticè, vt dictum eſt; ergo per modum motoris mobili, cum quo non facit quidem vnum ſimpliciter, quod docet Philoſophus lib. primo Phyſic. fieri ſolum tribus modis, ideſt continuatione, indiuiſibilitate, & ratione; ſed ſolum ſecundum quid; quo pacto figurata vniuntur figuræ, cauſa mouens ſuo inſtrumento, & quilibet motor mobili, quod mouet; propterea poteſt Angelus aſſumere, & deponere corpus aſſumptum, quando vult, quod non eſſet, ſi illi vniretur per modum formæ, vel hypoſtaſis: nam vniones iſtæ ſunt naturalis ſecundum eſſe, ſupra quod non poteſt voluntas creata, ſed ſolum diuina; vt docet S. Thom. diſt. 8. qu. 1. artic. 2. ad 2. & qu. 6. de Potentia artic. 7. ad 4. Aduerte tamen quod non ſufficit ad aſſumptionem vnio motoris cum mobili Angeli enim motores orbium cæleſtium non dicuntur illos aſſumere; ſed prætereà requiritur, vt aſſumens corpus vniatur illi tamquam inſtrumento ad ſui, vel alterius manifeſtationem; vnde ipſemet aſſumens format tale corpus; quod probatur à priori ex doctrina S. Dionyſij loco citato, vbi docet finem omnium aſſumptionum eſſe cognitionem virtutum ſpiritualis ſubſtantię. A poſteriori verò oſtenditur, quia de facto Angeli formant talia corpora, quæ ſint apta ad talem repreſentationem, & vt plurimùm non vtuntur illis corporibus veris veritate naturæ ſpecificæ, quam foris repræſentant, vt cum exterius repreſentatur Homo, Aquila, Leo, Agnus, Columba, &c. eoquod iſta ſint inepta ad talem repræſentationem; illorum enim proprietates non repræſentarent proprietates aſſumẽtis, ſed naturam corporis, cuius ſunt proprietates. Dictum eſt debere vniri tamquam inſtrumento vel ad ſui, vel alterius manifeſtationem, vt Dei, vel Angeli ſuperioris; omnes enim apparitiones, quæ leguntur factæ in veteri teſtamento, in quibus

Angelus assumpsisse linguam asinæ, quando loquutus est ad Balaam; nec Dæmon serpentem in quo loquutus est Euæ: nec corpus hominis, quod habitat, & vexat.

Dices: si Angeli non assumerent vera corpora veritate naturæ, esset fictio in ipsis Angelis, & aliquid frustrà in talibus corporibus assumptis esset, vt formatio oculorum, aurium &c. cum hæc ad proprium vsum Angelorum non pertineant. ℞ neque fictionem esse, neque frustrà fieri, quia non assumunt Angeli formas humanas, vt homines esse credantur, sed vt per humanas proprietates, & opera spirituales Angelorum virtutes, & opera designentur; quẽadmodum nec etiam metaphoricæ loquutiones sunt falsæ, in quibus ex aliorum similitudinibus res aliæ significantur; & sic patet nec etiam sequi secundum inconueniens: oculi enim; & aures, & similia membra non assumuntur ab Angelis, vt in illis exerceant opera vitæ, sed ad significandas varias proprietates Angelorum, & ad congruam instructionem eorum, ad quos mittuntur, vt docet S. Dionysius cap. vltimo de cælesti Hierarchia. Dixi in conclusione *non semper*, quia si appareant in forma ignis, nihil vetat, quin minus assumant verum corpus ignis eo modo, quo posſũt assumere, vt mox explico; nam tale elementum ex sua natura non est ineptum ad prædicta; & preterea sicut communiter dicitur corpora alia, quæ assumunt, esse vt plurimum formata ex aere, qui per suam tenuitatem est aptus ad prædicta officia; sic idem poterit dici de igne, qui habet maiorẽ tenuitatem, & velocitatem, nec non & actiuitatem.

Dico tertio: non assumere corpus vniendo se illi per modum formę, vt videtur sentire Aureolus relatus à Capreolo in secundo distinctione tertia quæst. prima, artic. secundo, nec etiam per modum hypostasis, vt videtur velle Tertullianus lib. de carne Christi; affirmat enim ibi Angelos *assumpsisse carnem humanã, & eo ipso factos esse, quod natura non sunt*: sed solum per modum intrinseci motoris mobili ad sui, vel ad superioris substantiæ manifestationem. Hæc assertio est communis inter Doctores in secundo dist. 8. eamque docet, & explicat S. Thom. qu. 6. de potentia ad primum, & in 2. dist. 8. quęst. prima art. 6. in corpore ad primum. Probatur communiter quoad primam partem, quia Angelus est substantia completa, & cõsequenter non potest esse forma alterius; forma enim est quid incompletum faciens simul cum materia vnum per se, & completum, quod repugnat Angelo. Secunda pars probatur, quia nulla creatura potest viribus naturę mutare naturalem modum essendi alterius; sed modus natura-

rius; sed modus naturalis essendi cuiusque substantiæ est per se subsistere independenter ab alio; ergò non potest Angelus separare subsistentiam alterius naturæ, & illi communicare suam. Præterea superuacaneum videtur pro breuissimo temporis spatio talem vnionem hypostaticam facere. Denique Sanctus Pater epistola tertia, quæ est ad Volusianum, appellat mysterium Incarnationis singulare, eo quod non habeat exemplum, quod esset falsum, si Angelus hypostaticè sibi vniret corpora. Tertia pars probatur à sufficienti partium enumeratione: cum enim assumere corpus sit illud sibi vnire; assumere enim est idem, ac ad se sumere, quod est idem ac illi se coniũgere, itaut sint quidem realiter distincta entia, sed localiter indistantia; Angelus non vnit se corpori informatiuè, aut hypostaticè, vt dictum est; ergo per modum motoris mobili, cum quo non facit quidem vnum simpliciter, quod docet Philosophus lib. primo Physic. fieri solum tribus modis, idest continuatione, indiuisibilitate, & ratione; sed solum secundum quid; quo pacto figurata vniuntur figuræ, causa mouens suo instrumento, & quilibet motor mobili, quod mouet; propterea potest Angelus assumere, & deponere corpus assumptum; quando vult, quod non esset, si illi vniretur per modum formæ, vel hypostasis: nam vniones istæ sunt naturalis secundum esse, supra quod non potest voluntas creata, sed solum diuina; vt docet S. Thom. dist. 8. qu. 1. artic. 2. ad 2. & qu. 6. de Potentia artic. 7. ad 4. Aduerte tamen quod non sufficit ad assumptionem vnio motoris cum mobili Angeli enim motores orbium cælestium non dicuntur illos assumere; sed præterea requiritur, vt assumens corpus vniatur illi tamquam instrumento ad sui, vel alterius manifestationem; vnde ipsemet assumens format tale corpus; quod probatur à priori ex doctrina S. Dionysij loco citato, vbi docet finem omnium assumptionum esse cognitionem virtutum spiritualis substantię. A posteriori verò ostenditur, quia de facto Angeli formant talia corpora, quæ sint apta ad talem representationem, & vt plurimum non vtuntur illis corporibus veris veritate naturæ specificæ, quam foris repræsentant, vt cum exterius representatur Homo, Aquila, Leo, Agnus, Columba, &c. eoquod ista sint inepta ad talem repræsentationem; illorum enim proprietates non repræsentarent proprietates assumẽtis, sed naturam corporis, cuius sunt proprietates. Dictum est debere vniri tamquam instrumento vel ad sui, vel alterius manifestationem, vt Dei, vel Angeli superioris; omnes enim apparitiones, quæ leguntur factæ in veteri testamento, in quibus

K dici-

& S. Ioannes Damascenus lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 3. & alij. Probatur etiam ratione illa, qua vtitur S. Thom. loco citato, quæ sic explicari potest. Tribus modis possunt fieri Angelorum apparitiones, idest vel sola imaginatione, vel præstigiosa illusione, vel realiter, & verè existēte exterius re sensibili, & per realem speciem apparente; Sed ex scripturis Sanctis habentur plures Angelorum apparitiones, quæ solum tertio modo fieri potuerunt: ergò dicendum illas fuisse in veris corporibus assumptis. Maior patet ex sufficienti partium enumeratione, non enim videtur esse alius modus excogitabilis, quo Angeli apparere possint, qui ad vnum ex illis tribus non pertineat, aut sit reducibilis. Minor probatur, quia apparitiones illæ, quę narrantur factæ primò Agar Ancillæ eiectæ de domo Abraham; secundo ipsi Abraham; tertio Loth. 4. Tobiæ, & 5. illa facta Sancto Patriarchæ Ioseph Sponso Beatissimæ Virginis, Sancto Petro, & alijs, non potuerunt fieri nisi in corporibus assumptis; ergò dicendum est, hoc modo factas fuisse stante Regula Sancti Patris Nostri Augustini communiter recepta, quod ea, quæ in Sacris Scripturis docentur, aut narrantur, sunt cum proprietate intelligenda, quando sinè vllo incommodo fieri potest; vt est in præsenti. Si dicas fuisse visiones imaginarias. Contra est, quia quod taliter videtur est solum in imaginatione videntis. Si dicas fuisse præstigiosas. Contra est primò, quia hoc suspicari de illis viris Sanctis, & quibus factæ sunt, & qui eas retulerunt, nefas est. Secundo quod apparet præstigiosè apparet existenti in mala dispositione, illudit, nec diù durat; sed illæ relatæ ex Scripturis, & aliæ similes habuerunt veros, & reales effectus, non fuerunt illusoriæ, diù durarunt, & fuerunt factæ viris Sanctis vt plurimum; ergò dicendum est eos apparuisse in veris, & realibus corporib⁹.

Dices primo: ad formationem veri corporis sensibilis requiritur figura, color, & temperies primarum qualitatum, mollities, & durities, nec non alia huiusmodi accidentia; sed Angelus nihil potest facere in corporibus præter motum localem, vt docet S. Thom. prima parte quæst. 110. ergò non possunt assumere vera corpora. Confirmatur ex Concilio Ancyrano, quod à Gratiano appellatur Anchiritanum, ab alijs verò Anquiranum, quod, licet fuerit Prouinciale, fuit tamen receptum in sexta Synodo generali, vt patet ex secundo Canone huius Synodi; in fine dicti Concilij habetur; *quod scelerata quædam mulieres Dæmonum illusionibus seductæ nocturnis horis cũ Diana Paganorum Dea, & innumera multitudine mulierum credunt se equitare super quasdam bestias, & multa terra-*

terrarum spatia pertransire, quæ falsa opinione deceptæ hæc vera esse credũt, & credendo à recta fide deuiant, &c. & sic etiam in Iure Canonico in Decr. 26. qu. 5. can. *Si quis aliarum*; & aliquot sequentibus; & in cap. Episcopi in eadem quæstione habetur illud, quod referunt Lamiæ se vidisse, & peragrasse varias mundi partes, solum secundum imaginationẽ id contigisse. Sic etiam quod quibusdam hominibus dicitur contigisse: vt videantur transformari in bestias, & deferre onera; in somnijs solum per imaginationem hoc contigisse videtur, & confirmatur auctoritate S. P. A. lib. 18. de Ciuitate Dei capite 18. vbi cum in capite præcedenti narrasset commutationem sociorum Vlyssis in bestias; & in hoc aliquas alias fieri solitas, conclusit. *Hæc vel falsa sunt, vel tam insitata, vt meritò non credantur* &c. *Nec sanè Dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à verò Deo sunt creata commutant, vt videantur esse, quod non sunt. Non itaque solum animam, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim Dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti: sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, siue somniãdo per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, sopitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci, ita vt corpora ipsa hominum alicubi iaceant viuentia quidem, sed multò grauius atque vehementius, quàm somno suis sensibus obseratis. Phantasticum autem illud veluti corporatum in alicuius animalis effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri possit in somnis, & portare onera, quæ onera si vera sunt corpora, portantur à Dæmonibus, vt illudatur hominibus partim vera onerum corpora partim iumentorum falsa cernentibus.* Hæc ibi Sanctus Pater cõfirmat aliquibus exemplis, &c. ergò pariter hoc videtur dicendum de apparitionibus factis à Sanctis Angelis. Confirmatur secundo: quia cum Angeli possint apparere per visionem immaginariam, non est ratio, cur appareant in corporibus assumptis. ℟. ad argumentum, quod cum Angeli possint mouere localiter poterunt etiam formare corpora sensibilia, & quidquid ad illa consequitur, vt sonos in aere, figuras, quæ resultant in materia quanta per condensationem, rarefactionem, & diuisionem, sic etiam colores applicando actiua passiuis, si oriantur ex mutua actione elementorum; vel apponendo aliquod corpus lucidum, vel obijciendo corpus assumptum corpori lucido, vel condensando corpus 6

pus

pus lucidum, si colores oriantur ex præsentia luminis in perspicuo terminato per opacum, vt docet Sanctus Thomas lib. 3. meteor. lect. 6. Possũt etiam producere primas qualitates, earumque temperiem celeritate mirabili miscendo corpora simplicia, licet corpus ab ipsis formatum non habeat perfectam temperiem, qualis est illa corporum animalium; possunt etiam facere imperfectam mollitiem, & duritiem, vel applicando vapores induratos, vel ita condensando corpus, vt durum appareat. Aliqui dicunt tales mollities, & durities esse phantasticas, non veras, quatenus Angelus sua virtute impedit tactum hominis, vel cedit ei in aliqua parte illius corporis assumpti, itaut partim appareat molle, partim durum, taliter tamen quod si homo attenderet, & perfectum tactum haberet, facilè discerneret in tali corpore non esse veram duritiem, nec veram mollitiem, qualis est in ossibus, & carnibus nostris, vt accidit in illo casu, quem refert Caietanus secunda secundæ qu 95. ad artic. 3. Hoc clarius fiet, si attendantur ea, quæ Christus Dominus post suam Resurrectionem dixit Apostolis, vt habetur Io: cap. 20. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet*. Nam si non posset sensu tactus discerni corpus phantasticum à vero, illud argumentum, vel nullum esset, aut certè non efficax.

Ad confirmationem Respondetur primò; nos hìc loqui de apparitionibus Angelorum, quas refert Sacra Scriptura. ℞. secundo cum Abulensi in cap. 4. Matth. quæst. 47. & Victoria in relectionibꝰ de Magia num. 23. duo contineri in prædicto Concilio: vnum est, quod verè illæ mulieres putarent se equitare super bestias, & multa terrarum spatia peragrare. Alterum est, quod putarent se equitare cum Diana, & hanc esse Deam Paganorum, & quantum ad hoc secundum definiuit Concilium illusionem istarum mulierum esse cõtrariam Sanctæ Fidei, & qui talia credunt fidem perdere; credere enim esse plures Deos, est contra fidem. De primo puncto nihil determinat de fide, sed solum explicat veram sententiam, quod vt plurimum hæc in imaginatione opera Dæmonis perficiuntur. Ad auctoritatem S. P. Respondetur ipsum ibi velle solum hominibus, qui putant se in bestias conuersos fuisse, & sub graui onere multum laborasse, id in grauissimo sopore, & somno accidisse; nam si haberent sensus liberos, facilè iudicarent se non esse conuersos in bestias, non tamen propterea negat aliquãdo alijs spectantibus aliquem apparere posse conuersum in bestiam ratione corporis assumpti à Dæmone sub tali figura. Videantur Alensis parte secunda suę summæ quæst. 43. memb. 3. art. primo, & Gabriel in

secun-

secundo dist. 8. quæst. 2. ad secundum, Alphonsus à Castro libro primo de iusta hæreticorum punitione cap. 16. & Caietanus loco citato. Ad secundam Confirmationem ℞. conuenienter apparuisse Angelos in veris corporibus assumptis, vt habet S. P. lib. 3. de Trinit. cap. 11. quia eorum apparitiones ordinabātur ad significandam apparitionem Filij Dei in vero, & reali corpore. Secundo Respondetur ex S. Dionysio epist. ad Titum, Angelos sic apparuisse, vt per eos totus homo perficeretur, idest secundum intellectū per visionem, & illuminationem intellectualem, secundum imaginationem per visionem imaginariam, & secundum sensum externum per realem verorum corporum represéntationem. ℞. tertio ex S. Thom. prima parte quæst. quinquagesima prima art. 2. & quæst. 6. de Potentia artic. 7. vt familiariter cum hominibus conuersando demonstrarent intelligibilem societatem, quam homines expectant se cum illis habituros in vita futura Sanctorum.

Dico secundo: huiusmodi corpora, quæ assumunt Angeli, esse quidem vera secundum formas per se sensibiles, non verò semper veritate secundum naturam speciei, quam repræsentant, v. g. Hominis, Leonis, Aquilæ, Columbæ, &c. Probatur quia cum Angeli non indigeant corporibus assumptis propter se, sed propter nos, vt scilicet exerceant in illis aliquas operationes iuxtà exigētiam infirmitatis nostræ, vt locutionem, motum localem, & manifestationem sui, vel proprietatum superioris substantiæ; iste enim est finis, vt ait S. Dionysius lib. de cælesti Hierarchia cap. 2. & 15. visibilium formationum; sed corpora vera veritate naturę, vt humana, &c. non sunt apta, immò maximè inepta ad exequenda ministeria Angelica, & ad prædictam repræsentationem, nam ratione grauitatis sunt inepta ad motum, & velocia ministeria ipsorum, & ratione animæ non possunt esse simul manifestatiua proprietatum Angeli; etenim vt docet S. Thom. in secundo sententiarum distinctione 8. quęst. prima: Proprietates, quę secundum veritatem sunt in aliquo corpore, ducunt in cognitionem principiorum subiecti, non autem substantiæ spiritualis; secus verò proprietates, quæ solum secundum similitudinem sunt in corpore, nam sub illis non intelligitur res aliqua subesse præter ipsam substantiam spiritualem, & corpus illud tenuissimū, v. g. ignis, aut aeris, quod est subiectum necessarium illorum accidentium, vt patet cum apparent in figura ignis, Leonis, Aquilæ, &c. ergò dicendum est Angelum non assumere corpora vera veritate naturę. Cōfirmatur, quia, vt notauit S. Thom. per dictam operationem nō dicitur

Ange-

Angelus assumpsisse linguam asinæ, quando loquutus est ad Balaam; nec Dæmon serpentem in quo loquutus est Euæ: nec corpus hominis, quod habitat, & vexat.

Dices: si Angeli non assumerent vera corpora veritate naturæ, esset fictio in ipsis Angelis, & aliquid frustrà in talibus corporibus assumptis esset, vt formatio oculorum, aurium &c. cum hæc ad proprium vsum Angelorum non pertineant. ℞ neque fictionem esse, neque frustrà fieri, quia non assumunt Angeli formas humanas, vt homines esse credantur, sed vt per humanas proprietates, & opera spirituales Angelorum virtutes, & opera designentur; quẽadmodum nec etiam metaphoricæ loquutiones sunt falsæ, in quibus ex aliorum similitudinibus res aliæ significantur; & sic patet nec etiam sequi secundum inconueniens: oculi enim; & aures, & similia membra non assumuntur ab Angelis, vt in illis exerceant opera vitæ, sed ad significandas varias proprietates Angelorum, & ad congruam instructionem eorum, ad quos mittuntur, vt docet S. Dionysius cap. vltimo de cælesti Hierarchia. Dixi in conclusione *non semper*, quia si appareant in forma ignis, nihil vetat, quin minus assumant verum corpus ignis eo modo, quo possũt assumere, vt mox explico; nam tale elementum ex sua natura non est ineptum ad prædicta; & prçterea sicut communiter dicitur corpora alia, quæ assumunt, esse vt plurimum formata ex aere, qui per suam tenuitatem est aptus ad prædicta officia; sic idem poterit dici de igne, qui habet maiorẽ tenuitatem, & velocitatem, nec non & actiuitatem.

Dico tertio: non assumere corpus vniendo se illi per modum formę, vt videtur sentire Aureolus relatus à Capreolo in secundo distinctione tertia quæst. prima, artic. secundo, nec etiam per modum hypostasis, vt videtur velle Tertullianus lib. de carne Christi; affirmat enim ibi Angelos *assumpsisse carnem humanã, & eo ipso factos esse, quod natura non sunt*: sed solum per modum intrinseci motoris mobili ad sui, vel ad superioris substantiæ manifestationem. Hæc assertio est communis inter Doctores in secundo dist. 8. eamque docet, & explicat S. Thom qu. 6. de potentia ad primum, & in 2. dist. 8. quęst. prima art. 6. in corpore ad primum. Probatur communiter quoad primam partem, quia Angelus est substantia completa, & cõsequenter non potest esse forma alterius; forma enim est quid incompletum faciens simul cum materia vnum per se, & completum, quod repugnat Angelo. Secunda pars probatur, quia nulla creatura potest viribus naturę mutare naturalem modum essendi alterius; sed modus natura-

rius; sed modus naturalis essendi cuiusque substantiæ est per se subsistere independenter ab alio; ergò non potest Angelus separare subsistentiam alterius naturæ, & illi communicare suam. Præterea superuacaneum videtur pro breuissimo tempo ris spatio talem vnionem hypostaticam facere. Denique Sanctus Pater epistola tertia, quæ est ad Volusianum, appellat mysterium Incarnationis singulare, eo quod non habeat exemplum, quod esset falsum, si Angelus hypostaticè sibi vniret corpora, Tertia pars probatur à sufficienti partium enumeratione: cum enim assumere corpus sit illud sibi vnire; assumere enim est idem, ac ad se sumere, quod est idem ac illi se coniũgere, itaut sint quidem realiter distincta entia, sed localiter indistantia; Angelus non vnit se corpori informatiuè, aut hypostaticè, vt dictum est; ergo per modum motoris mobili, cum quo non facit quidem vnum simpliciter, quod docet Philosophus lib. primo Physic. fieri solum tribus modis, idest continuatione, indiuisibilitate, & ratione; sed solum secundum quid; quo pacto figurata vniuntur figuræ, causa mouens suo instrumento, & quilibet motor mobili, quod mouet; propterea potest Angelus assumere, & deponere corpus assumptum; quando vult, quod non esset, si illi vniretur per modum formæ, vel hypostasis: nam vniones istæ sunt naturales secundum esse, supra quod non potest voluntas creata, sed solum diuina; vt docet S. Thom. dist. 8. qu. 1. artic. 2. ad 2. & qu. 6. de Potentia artic. 7. ad 4. Aduerte tamen quod non sufficit ad assumptionem vnio motoris cum mobili Angeli enim motores orbium cælestium non dicuntur illos assumere; sed præterea requiritur, vt assumens corpus vniatur illi tamquam instrumento ad sui, vel alterius manifestationem; vnde ipsemet assumens format tale corpus; quod probatur à priori ex doctrina S. Dionysij loco citato, vbi docet finem omnium assumptionum esse cognitionem virtutum spiritualis substantię. A posteriori verò ostenditur, quia de facto Angeli formant talia corpora, quæ sint apta ad talem representationem, & vt plurimum non vtuntur illis corporibus veris veritate naturæ specificæ, quam foris repræsentant, vt cum exterius repræsentatur Homo, Aquila, Leo, Agnus, Columba, &c. eoquod ista sint inepta ad talem repræsentationem; illorum enim proprietates non repræsentarent proprietates assumẽtis, sed naturam corporis, cuius sunt proprietates. Dictum est debere vniri tamquam instrumento vel ad sui, vel alterius manifestationem, vt Dei, vel Angeli superioris; omnes enim apparitiones, quæ leguntur factæ in veteri testamento, in quibus

dicitur Deus fuisse loquutus, vel apparuisse, factæ sunt ministerio Angelorum, vt probat S. P. lib. 3. de Trinitate ferè per totum. Angelus enim assumens corpus aliquando figurabat illud ad exprimendas suas proprietates, & tunc dicitur assumere, & apparere; aliquando figurat illud ad exprimendam diuinam Maiestatem vel proprietatem superioris Angeli, & tunc ipse Deus, vel Angelus superior dicitur formare, & assumere illud corpus, & in illo apparere. Videatur S. Gregorius lib. 28. moral. capite secundo, vbi explicat apparitionem factam Moysi, vt habetur Exodi cap. 3. & Glossa Ordinaria ait. *Angelus qui Moysi apparuisse describitur modo Dominus, modo Angelus memoratur. Angelus, quia exterius loquendo seruit: Dominus, quia interius præsidens loquendi efficaciam tribuit; Cum enim loquens ab interiore regitur, & per obsequium Angelus, per inspirationem Dominus memoratur.*

Dico quarto. Angelos assumere corpora ex substantia tenuissima, & vt plurimum ex aere mixto, eaque propria virtute formare. Prima pars huius assertionis est communis apud Theologos in secundo distinctione 8. cum enim Angeli in corporibus assumptis subitò appareant, & subitò illa relinquant, debent illa formare ex substantia apta ad subitò euanescendum, qualis est substantia tenuis, & vt plurimum noster aer; tum quia est maximè transmutabilis, & citè continuabilis; tùm quia cum sit mixtus vaporibus, facilè potest condensari, & sic figuram recipere, & retinere, & per alicuius corporis lucidi oppositionem diuersimodè colorari, vt patet in nubibus, & maximè quando formatur Iris; Dixi vt plurimum, quia possunt Angeli prædicta corpora formare ex singulis elementis, vt quando apparent in forma ignis &c. vel ex pluribus elementis; non tamen ita facilè ex terra ratione densitatis, & duritiei. Altera pars assertionis est Scoti, Gabr. & Sancti Bonauenturæ in commentarijs dictæ distinctionis 8. & ratio est, quid illa formatio non excedit vires naturales Angeli, cum perficiatur solum per motū localem, quem omnes Angeli possunt efficere; vnde quando S. Thomas prima parte quæst. 51. artic. 2. ad 2. & 3. dicit Angelos formare corpora virtute diuina, id dicit, quia in tali assumptione sequuntur imperium, & directionem Dei, cum præsertim formēt huiusmodi corpora ad repræsentandum ipsum Deum; & hoc quidem quoad Angelos Sanctos. Probatur secundo quia quando Dęmones assumunt corpora ob malos fines, non possumus dicere tunc Deum illis ad hoc supernaturalem, vel specialem virtutem communicare, aut illis talia corpora præparare. Si quæras an

ex

ex eadem materia tam Angeli boni, quam mali sibi forment corpora. Respondetur nullam esse efficacem rationem ad dicendum, quod sit differentia; cum eadem corpora ad diuersos fines valere possint; nam & homines corporibus eiusdem rationis nunc benè, nunc malè vtuntur; quapropter sine fundamento à quibusdam dicitur Angelos bonos ex cælesti, malos verò ex terrestri materia corpora formare.

AXIOMA SECVNDVM.

Non potest Angelus in corpore assumpto exercere actiones vitales quoad substantiam.

Ex Lib. 4. de Trinit. Cap. 11.

Facile est spiritibus nequissimis per aerea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggrauatæ, etiam melioris affectus &c. Quid magnum est Diabolo, & Angelis eius de corporeis elementis per aerea corpora facere quæ caro miretur; aut etiam occultis inspirationibus ad illudendos humanos sensus phantasmata imaginum machinari, quibus vigilantes, dormientesue decipiat, vel furentes exagitet? Sed sicut fieri potest vt homo vita, ac moribus melior spectet nequissimos homines, vel in fune ambulantes, vel multimodis motibus corporum multa incredibilia facientes, nec vllo modo talia facere concupiscat, nec eos propterea sibi præponendos existimet, &c. sic anima fidelis, & pia non solum si videat, verumetiam propter fragilitatem carnis exhorreat miracula Dæmonum, non ideò tamen aut non se posse talia dolebit, aut ob hoc illos meliores iudicabit.

DVBIVM

Vtrum Spiritus possint in corporibus assumptis producere aliquam formam substantialem, vel accidentalem.

Dico primo Angelum neque in corpore assumpto, neque simpliciter posse producere vllam formam substantialem, vel vllam qualitatem disponentem ad illam. Hæc assertio est communis apud Theologos; eamque docent communiter cum Magistro in secundo sent. dist.

7. & 8. S. Thom. prima parte quęst. 110. S. Bonauentura, Scotus, Ric. Gabriel, Durandus, & alij tam antiqui, quam recentiores. Probatur primo auctoritate S. P. qui in lib. 3. de Trinit. cap. 7. cum comparasset Angelos agricolis, postea cap. 9. negat illis huiusmodi virtutem; & S. Ambrosius lib. primo de fide contra Arrianos cap. 8, ait; dum ab Angelis assumuntur corpora, non mutari substantiam; Hoc habetur etiam definitum in Concilio Bracarensi, can. 2. de conceptione, & formatione hominis, & can. 8. in vniuersum definitur quod nullas naturas in mundo Diabolus fecerit. Probatur secundo ratione, quia forma substantialis non potest produci nisi vel per creationem, vel per eductionem de potentia materiæ; sed neutrum possunt Angeli; ergò &c. Probatur minor quoad primam partem tum auctoritate S. P. loco citato, ac etiã lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 24. vbi ait; *Angeli etiam si adhibent, vel iussi, vel permissi operationem suam rebus, quæ gignuntur in hoc mundo, tamen non eos dicimus creatores animalium, quam nec Agricolas frugum, atque arborum.* Idem docet S. Io. Damascenus lib. primo de fide cap. 3. quos sequuntur ferè omnes Scholastici. Ratio, quam assignant, est, quia creare per modum causę principalis arguit infinitam virtutem in creante, quæ soli Deo competit. Probatur etiam quoad secundam, quia Angelo, cum sit solum substantia intellectualis, nõ competit alia operatio, quam intellectualis, quapropter non potest operari ad productionem rerum corporearum nisi per modum artis; sed ars non potest simpliciter per se inducere formam substantialem; ergò nec etiam Angeli. Probatur etiam, quia semel dato, quod possent formas substantiales producere saltem materiales, easque corrumpere, totus orbis esset illis subiectus, quod est contra illud Apostoli ad hebr. cap. 2. *non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ.* Hoc quod dictum est de formis substantialibus, est etiam intelligendum de qualitatibus disponentibus ad illas.

Dices primo, quod est causa causæ est causa causati; sed Angeli sunt causa motus cæli, qui est causa generationis, & productionis formarũ; ergò &c. Respondet S. Thom. prima parte qu. 105. artic. primo ad primum, & qu. 110. artic. 3. ad secundum Angelos causare formas rerum non influendo, sed mouendo ad ipsas, idest mediatè tantum adducendo, vel reducendo corpora illa cælestia concurrentia ad generationem. Contra hanc solutionem videtur militare illud, quod idem Angelicus Doctor docet qu. 70. dictæ primæ partis artic. 3. ad 3. & alibi sæpè; idest cælum virtute sui motoris producere animalia, & actionem

instrumenti tribui principali agenti, & consequenter quod motor cæli im mediatè generabit viuẽtia. ℞. ex eodem S. Thom. in secundo loco citato cælos producere viuentia in virtute sui motoris, quatenus scilicet est director, & moderator actionis mediante motu cæli ad modum artificis per artem temperãtem virtutem agentium naturalium, non autem physicè agendo, aut influendo per modum causæ naturalis propter rationes supra adductas. Hoc idem docuerat S. Pater lib. 3. de Trinit. cap. 9.

Dices secundo S. P. N. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. asserere Angelos malos se miscuisse mulieribus; vnde etiam narrat aliquos sensisse, quod ex illis nati sint gigantes; ergò non est deneganda eis potestas ad producendas substantias. ℞. communiter D. D. admittere Dæmones incubos, & succubos; non tamen inde sequi eos potuisse suá virtute generare, sed semine aliunde recepto. Videatur S. Thom. prima parte qu. 51. art. 3. ad sext. & quodlibeto 6. art. 8 ad 6. Abulensis in cap. 6. Genesis qu. 8. & cap. 7. Exodi qu. 12. & colligitur ex doctrina S. P. N. Augustini lib. 3. de Trinitate cap. 8. & 9. Videatur noster Leonardus Coquæus in commentarijs de Ciuitate Dei addictum caput. 23. lib. 15 de Ciuit. Dei. Non defuerunt tamen qui existimarunt Angelos bonos fęminarum pulcritudine captos ad obscænum earum amorem, & cõcubitum lapsos; ita Iosephus lib. pr. Antiquitatum cap. 5. citatur etiam pro hac sententia S. Iustinus Martyr apologia prima pro Christianis. Clemens Alexandrinus lib. 3. stromatum, & lib. 5. describit quosdam Angelos mulierum amore lapsos cælestia eis consilia communicasse. In eadem sententia sunt Athenagoras oratione ad Antoninum; Eusebius lib. 5. de præparatione Euangelica cap. 4. Methodius apud S. Epiphanium hæresi 64. Tertullianus lib. de habitu muliebri, & lib. de velandis Virginibus, vbi ad Angelos refert illud D. Pauli Ep. prima ad Cor. c. 11. mulieres in Ecclesia debere velari propter Angelos Dei; S. Ambrosius lib. de Arca, & Noe. Lactãtius etiam lib 2. diuinarum institutionũ cap. 15. qui putat fuisse illos Angelos qui missi erant à Deo ad custodiam generis humani; sic etiam Seuerus Sulpitius in exordio prioris libri de Sacra Historia. Reijciunt tamen hos, & meritò S. P. N. Augustinus in dicto capite 23. lib. 15 de Ciuit. Dei, S. Ioannes Chrysostomus hom. 22. in Genesim, Theodoretus quæst. 47. in Genesim, vbi acriter inuehitur contra dictam sententiam, & contra eius assertores, & multis Sacræ Scripturę testimonijs probant eos, qui deliquerunt fuisse filios hominum, non Angelos. Philastrius libro

bro de hæresibus cap. 108. censet esse hæresim, asserere Angelos miscuisse se cum fæminis ante diluuium, & inde natos esse gigantes. Videatur Leonardus Coquæus loco citato de Ciuitate Dei.

Dico secundo, Angelos posse producere motum localem, & qualitates ex natura sua non disponentes ad formę substantialis productionē, vt ex qualitatibus materialibus sonum, lumen, species sensibiles; ex spiritualibus verò signa quædam intellectualia; & species intelligibiles. Prima pars de motu locali est certa apud omnes; nam ipsa corpora, quæ assumunt, mouent; ac etiā cælos, & cooperantur Deo in administratione vniuersi applicando actiua passiuis; & ratio est, quia talis motus non excedit vires Angeli; cum habeat virtutem longè vniuersaliorem, & altiorem, quam anima rationalis, quæ mouet suum corpus localiter. Ex quibus infertur virtutem Angeli se extendere ad omnia, ad quæ se extendit motus localis; & primò quidem potest ex causis naturalibus eas applicando elicere plures effectus aliquando secundum, aliquando præter cursum consuetum naturę tum propter vehementiam virtutis actiuæ, vel propter multitudinem rerum aggregatarum, tum etiam propter habitudinem passiuorum; propterea effectus, qui non sunt in potestate alicuius virtutis naturalis producere non possunt; vt v. g. suscitare mortuum, nisi virtute diuina; quādo enim conati sunt viribus naturæ hoc facere Dæmones, vt tentarunt tempore S. Petri incantamentis Simonis Magi, semper deprehensum fuit esse præstigium. Secundo possūt Dæmones per maleficas fascinare infantes excitando in ipsis vehementem passionem iræ, inuidiæ, odij, &c. vnde inficiantur Spiritus, qui per oculos inficiunt aerem, & hoc mediante corpus infantis propter teneritudinem aptissimum ad recipiēdum infectionem, quo pacto dicitur in libro de somno speculum nouum infici ad aspectum mulieris menstruatæ. Tertiò possunt inducere homines ad iudicium falsum, vel præstigijs facta solum mutatione ex parte cognoscentis, vel ex parte obiecti, vel ex parte medij; ex parte quidem obiecti, vel summa celeritate res varias, & veras occultando, vel apponendo, vel assumendo varia corpora habentia figuram verorum corporum secundum speciem, vel dispo nendo varias res, ex quibus aliquid tertium apparens resultet, eo modo, quo aliqui dicunt ex dispositione candelæ, & paleę naturaliter apparere serpentes; ex parte verò medij aerem cōdensando ad hoc, quod obiectum appareat maius, vel minus eo, quod in se est; ex parte verò organi apponendo, vel applicando aliquid naturaliter actiuum, vnde

de resultet illusio. Denique ex parte specierum sensibilium illas vario modo componendo, agitando, mutando, vel faciendo illas ad organa sensuū refluere. Videantur Gabriel in secundo dist. 8. qu. 2. & Alensis secunda parte quæst. 43. memb. 3. artic. primo.

De qualitatibus, quæ non sunt ordinatæ ad generationem substantialem, siue sint corporales, vt sunt lux, sonus, species sensibiles, & huius modi qualitates impresſæ, dummodo non sint disponentes ad productionem substantiarum, concedunt communiter D. D. eas posse ab Angelis produci; tum quia non apparet implicantia, vel repugnantia sufficiens ad denegandam illis talem virtutem; nec vidētur superare vires actiuas naturæ Angelicæ; immò spectāt ad rectam administrationem vniuersi; nec obstat ratio materialitatis talium accidentium; nam materiale potest eminenter contineri in ente spirituali; nec perfectio talium qualitatū; virtus enim Angeli est perfectior, & vniuersalior, quam cuiuslibet agentis creati virtus. Quod possint Angeli producere qualitates impressas deducitur ex S. Thoma. prima secundæ qu. 23. artic. 4. vbi docet, quod omne mouens trahendo ad se patiens tria facit. Primò dat ei inclinationem, siue aptitudinem, vt in ipsum tendat. Secundo si corpus generatum est extra locū proprium, dat ei moueri ad locum. Tertiò dat ei quiescere in loco, cum peruenerit: quod similiter ait esse intelligendum de causa repulsionis Inclinatio illa ad motum nihil aliud est, quam virtus impressa mobili ad hoc, vt moueatur. Ex quo sic arguo; licèt Angelus quando immediatè mouet corpus, v. g. cælum, fortasſè non imprimat illi talem qualitatem, quia solum ponitur adhoc, vt sit instrumentum mouentis quando separatur à mobili, nihilominus aliquando debet necessariò talem qualitatem producere, vel quando detinet corpus graue suspensum in aere, vel quando mouet ipsum ita eleuatum, vel quando existens definitiuè in corpore assumpto proijcit lapidem sursū; Ergò necessariò est ponenda talis potestas in Angelis. Antecedens probatur, quia in talibus casibus, saltem in tertio, non potest assignari aliud perqnòd Angelus ille moueat tale corpus. De sono consentiunt omnes posse fieri ab Angelo; Angelus enim in corpore assumpto loquitur; & præterea sonus sequitur ad plurimos motus locales, quos Angelos posse producere est certum. Si quæras an possit efficere sonum sine motu locali. Respondeo aliquos affirmare, eoquod non implicet eamdem qualitatem terminare actiones specie diuersas; exemplificant in vbicatione, quam putant esse qualitatem physicam, vel realiter distinctā à su-

à subiecto, aut saltem modaliter, quam dicunt posse terminare actiones specie diuersas, creationem videlicet, generationem, & motum localem, & præsertim si sit terminus secundarius, vt in præsenti ponitur esse sonus; sic enim etiam calor, raritas, & leuitas propter eandem rationem possunt terminare varias actiones. Alij negant, quia videtur imperceptibile, quomodo sine collisione corporum possit fieri sonus, qui requirit illam fractionem aeris; quorum sententia mihi videtur magis probabilis; nam ratio, & exemplum non conuincunt oppositum; non ratio, quia nihil impedit quominus per varias specie motiones fiat talis sonus, dummodo necessariò interueniat motus localis corporum, sine quo indispensabiliter non producitur sonus; nec exemplum; nam in sẽtentia, quam sequor, non datur tale vbi contradistinctum realiter, aut modaliter à mobili.

De speciebus sensibilibus docent aliqui eas posse ab Angelis produci in imaginatione hominis, & hoc modo eos loqui hominibus, quod probant à pari de impulsu, qui & ipse est qualitas corporea, quando per eum mouentur corpora.

De lumine, & similibus qualitatibus est expressa sententia eorum, qui docent Angelum esse in loco per operationem motus, vel luminis, & alicuius rei similis, quos sequitur noster Ferratiensis in tertio contra gentes cap. 68, immò Angelicus Doctor in tertio dist. 22. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula prima ait Christi Domini animam fuisse in Limbo, & tenebras exteriores ab eis exclusisse locum illum illuminando.

De speciebus intelligibilibus cõmuniter docent Scotistæ eas posse produci ab Angelis, & hoc modo vnum loqui alteri imprimendo ei talem speciem eius, quod vult illi manifestare; immò & aliqui Thomistæ docuerunt ab Angelis imprimi animabus hominum tales species, quãdo eis aliquid reuelant, esto sentiant, quod vnus Angelus eas non imprimat in intellectu alterius: quia putãt omnibus Angelis fuisse infusas ab exordio suæ creationis; de quo infra cum de loquutione Angelorum dicam,

Dices primò. Si possent producere qualitates materiales supradictas, possent etiam disponere primo, & per se ad generationem substantialem; non enim datur maior ratio cur contineant eminenter, itaut possint producere, vnam qualitatem corpoream, & non contineant hoc modo alteram; ergò vel negandum est de omnibus, vel admissa continentia vnius admittenda est continentia alterius; vel assignanda est maior ratio, quæ non apparet. ℞. maiorem rationem esse illam supra assignatam ex sacra Scriptura, idest quod

Deus

Deus non subiecit illis orbem terrarum; subiecisset autem, si dedisset illis talem continentiam qualitatum per se disponentium ad generationes, & corruptiones substantiales; possent enim totum hunc orbem in generabilibus, & corruptibilibus substantijs immutare.

Dices secundo cum B. Egidio nostro. Modus agendi proportionatur modo essendi; sed esse Angeli est omninò immateriale; ergo nullo modo potest producere qnalitates materiales. ℞. argumentum hoc nimis probare; & propterea nihil probare; si enim esset vniuersaliter verum modum agendi debere proportionari in omnibus, & per omnia modo essendi, nec etiam Deus, qui est omninò immaterialis, & in summo gradu spiritualitatis, posset producere aliquid materiale. Prædictum igitur axioma est intelligendum de actione primaria, & immanente; non verò de secundaria, & transeunte.

Dices tertio cum Durãdo. Deus, & natura nihil faciunt frustra; sed iam dantur in mundo sufficientes causæ prædictorum effectuum præter ipsos Angelos, vt est manifestum discurrentibus per singula ex prædictis; ergò frustra, & gratis conceditur Angelis vlla alia virtus in hæc inferiora præter virtutem, & potestatem motus localis. ℞. non esse frustra, quod eorumdem specie effectuum dentur plures causæ specie differentes, vt patet in calore; lumine, & in productione plurium animalium imperfectorum; fortasse enim plurium qualitatum producibilium ab Angelis non dantur in hoc mundo corporeo causæ sufficientes. Sed quidquid sit dehoc, etiam dato quod essent, non propterea Angelorum operatio in illo esset superflua; pertinet enim ad diuitias diuinę Bonitatis, & Liberalitatis, & ad ostensionem harum diuinarum perfectionum tum naturæ fæcunditas, tum etiam quod eiusdem effectus dentur plures causæ sufficientes.

Dices quarto S. Thomas sæpissimè negat Angelis potestatem producendi vllam formam præter motum localem; ergò &c. ℞. cum nostro Ferrariensi lib. 3. contra gentes cap. 68. Sanctum Thomam loqui de forma substantiali, vel si de accidentali, de omninò materiali, & disponente per se ad generationem, & corruptionem, quales non sunt prędictæ, de quibus suprà dictum est, quæ communiter dicuntur qualitates intentionales. Maneat ergò cum S. P. N. *non esse magnum Diabolo, & Angelis eius de corporeis elemẽtis per aerea corpora facere, quæ caro miretur etiam occultis inspirationibus ad illudendos humanos sensus, phantasmata imaginum machinari, quibus vigilantes, dormientesque decipiat, vel furentes exagitet*. quod si hæc possunt viribus naturæ Spiritus mali, & per-

mittuntur agere in pœnam peccatorum, quis dubitet hoc posse eisdem viribus Sanctos Angelos in bonum vsum ad vtilitatem bonorum?

Occasione huius Doctrinæ S. P. quæri potest hìc primò; quomodo Dæmon possit huiusmodi occultis inspirationibus, & phantasmatibus imaginum, vel alio modo eludere humanum sensum. Pro solutione. Aduertendum est ex Gabriele in secundo dist. 8. qu. 2. art. 3. esse discrimen inter errorem, illusionem, & præstigium; Error enim dicitur quodcumque falsum iudicium ex quacũque causa illud falsum esse contingat; illusio verò appellatur in præsenti materia illud iudicium falsum, quod accidit propter aliquam immutationem factam circa obiectum, vel circa sensum, vel circa medium, per quod obiectum percipitur à sensu; præstigium verò appellatur solum error ille, qui contingit ob immutationem factam solum circa sensum aliquem interiorem, vel exteriorem. Quibus positis, ℞. cum Alexandro Alensi in summa parte secunda qu. 43. memb. 3. artic. primo, ac aliis Theologis in commentarijs, & quæstionibus ad distinctionem tertiam libri 2. posse tribus præcipuè modis fieri, vt sensus humani in eo genere decipiantur. Primò per immutationem aliquam circa obiectum addendo illi aliquid, ob quod huius, vel illius figuræ appareat, etiamsi in rei veritate secundum se maneat idem; cum res corporales, in ijs, quæ ad motum spectant, obediant Angelis siue bonis, siue malis, vt docet S. Thom. prima parte qu. 110. artic. 3. & sic possunt facere vt aliqua corpora appareant alterius formæ, seu figuræ ac sint in se; & hoc modo docet S. P. N. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 18. Dæmonis opera factum quod fertur de Arcadibus in lupos conuersis, & de socijs Diomedis conuersis in aues, & de socijs Vlyssis conuersis in bestias à Circe venefica. Secundo modo potest Dæmon organum sensus afficere, seù inficere aliquo humore, ob quem res aliqua aliter appareat, quam sit in se; quo pacto naturaliter experimur sensui gustus aliquo prauo humore infecto aliter videri esse sapores, quam sint in se. Tertio potest immutare medium, sicut potest organum, nam, vt docet S. Thom. in secundo dist. 8. quæst. vnica artic. 5. ad 4. potest facere, vt species sensibiles, quæ sunt in phantasia, transeant ad sensus externos, & ita eos immutent, ac si re vera à rebus externis ad eos deducerentur eo modo, quo fit, quando est vera sensatio rei externæ. Potest etiam certo aliquo modo ita componere, & ordinare phantasmata, vt facilè quis in hoc genere decipiatur putans se id sentire, quod non sentit, eo modo quo dormientibus contingit, vt notat Caietanus

in

in secunda 2. quæst. 95. artic. 3. & his tribus modis posse decipere admittunt omnes Theologi; isti enim possunt fieri per solum motum localem, quem omnes posse Angelos efficere concedunt; & sic applicando actiua passiuis mutare possunt res illis dictis modis prout voluerint, seu vt permittuntur. Quartum modum possumus addere ex doctrina illorũ D D. qui censent præter motum localem posse eos efficere supradictas qualitates, vt lucem, sonum, & species; hæc producendo, vel in medio, vel in organo, quia, vt notauit noster Thomas Argentina in secundo dist. 11. qu. prima artic. 2. potest Angelus loqui ei, ad quem mittitur duobus modis. Vno modo ex collisione aeris formando quosdam sonos ab homine intelligibiles. Alio modo nouas species sensibus immittendo per ostensionem nouorum sensibilium.

Quæres hic secundo: an Angelus quando mouet corpus assumptum, in quo est, moueatur, & ipse, & quomodo. ℞. communiter moueri per accidens moto corpore, quando ipsum corpus totum mouetur motu recto secundum se totum, non verò quando mouetur solum secundum partem, vel quando mouetur totum circulariter, Hæc assertio est S. Thomæ prima parte quæst. 51. artic. 3. ad 3. & in primo dist. 37. qu. 4. & in secundo dist. 8. qu. 7. artic. 4. quæstiuncula 4. & nostri Beati Egidij ad eamdem distinctionem qu. 2. ad primum dubium: Probatur primò à posteriori, quia in ordine ad motum ita se habet Angelus in corpore assumpto, sicut se habet anima in ordine ad suum corpus, quod informat; conuenit enim vtrique ratione suæ spiritualitatis hoc, quod est esse totum in toto, & totum in qualibet parte; sed anima dicitur moueri solum per accidens, quando totum corpus mouetur motu recto, non autem quando mouetur motu circulari, vel quando solum vna pars corporis mouetur in recto; ergò &c.

Probatur secundo à priori; quia tunc solum moto mobili motor mouetur per accidens, quando in eo est definitiuè; propterea enim non dicitur moueri Deus per accidens moto corpore, in quo est, quia in eo nõ est definitiuè. Ea verò, quæ sunt in loco definitiuè, idest ita sunt hic, vt non sint alibi, licet sint tota in toto, & tota in qualibet parte mobilis, necesse est vt moto mobili, in quo sunt, nisi illud deferant, moueantur per accidens, idest ad motum alterius; tunc enim solum ad motum illius mouentur, quod primo, & per se respiciunt; motus enim proportionatur modo essendi mobilium; sed nec anima, nec Angelus sunt definitiuè in qualibet parte corporis, in quo sunt, sed solum in toto: licet enim verè sint in qualibet parte, ita tamẽ

sunt in ea, vt sint etiam in alijs partibus; ergò non mouentur per accidens, nisi moto toto corpore motu recto, non verò motu circulari, eo quod in hoc nõ mouetur totum, sed semper manet in eodem loco. Ex quo colligunt motorem cæli non moueri per accidens ad motum illius; tum quia cælum non mutat locum secundũ se totum; tum quia nõ determinatur motori locus secundum aliquam partem substantiæ orbis, quæ nunc est in oriente, & postea in occidente, sed secundum determinatum situm quia semper est in oriente virtus mouens, vt docet Aristoteles lib. 8. Physic. text. 84. & S. Thom. in commentarijs illius loci, & in prima parte quæst. 51. art. 2. in corpore.

Huic doctrinæ, quamuis valde plausibili, non assentior in omnibus, & ratio est, quia tunc reuera aliquid dicitur moueri, vel per se, vel per accidens, quãdo deserit vnum locum, & acquirit alium; sed de facto datur motus circularis, in quo mobile deserit vnum locum, & acquirit alium; ergò etiam in hoc motu circulari dabitur motus per accidens tam Animæ, quam Angeli. Probatur minor, in illis circulis, qui notabilissimè excedunt quantitatem molis ipsius mobilis, putà hominis, qui in eo moueatur, tunc designatis in eo quatuor punctis, v. g. A ad Orientem, B ad Meridiem, C ad Occidentem, D ad Septentrionem, profectò quando homo deseruit spatium puncti A & acquisiuit spatium puncti B, cum non sit amplius nec secundum se totum, nec secundum partem in spatio A, tunc dicetur moueri totum corpus per se; & per cõsequens Anima rationalis, siuè Angelus moueri etiam per accidens, cum non minus acquirat nouũ spatium in hoc motu circulari, quam acquireret, si moueretur motu recto; Præterea in eo quod dicitur mota parte corporis, v. g. manu remanentibus reliquis corporis partibus immotis non moueri tunc animam, seù Angelum in ea parte existentes per accidens, nõ planè quiescit intellectus; cum enim motus localis essentialiter saluetur in hoc quod est deserere vnum locum, seu spatium, & acquirere alium, siue sit per se, siue per accidens, siue secundum se totum, siue secundum partem solum, semper dicetur verè, & realiter moueri; nec officit ly definitiuè; nàm do quidem in reliquis partibus corporis non moueri, cum istæ non moueantur; sed non capio, quod prout anima, seu Angelus existens in ea parte, si eam deserat, non moueatur per accidens, ea mota, & do instantiam in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo motis speciebus sacramentalibus dicitur moueri corpus Christi Domini per accidens, esto vna solum hostia moueatur, & non moueantur omnes ho-

stiæ,

stiæ, in quibus Sanctissimum illud corpus existit. Denique illud, quod dicitur de motoribus cælorum, habet quidem magnam probabilitatẽ tum ratione auctoritatis Sancti Thomæ, & Aristotelis, tum ratione communioris consensus. Sed cum sit hodiè etiam plausibilis in scholis sententia illa, quod cæli sint immoti, & in eis moueantur sydera, vt pisces in aqua, maximè si ponantur cæli fluuidi, vt nunc ponuntur à plurimis; Ea posita satis probabiliter diceretur in quolibet sydere esse proprium motorem, & eo moto moueri etiam ipsum per accidens; Principium enim illud, quod virtus mouens sit solum in Oriente videtur gratis excogitatum, & magis esse secundum phantasiam nostram, quam secundum rationem.

Quæres vlterius, an quando Angelus mouetur per accidens ad motum corporis assumpti, acquirat aliquid intrinsecum, ratione cuius dicatur mutari. ℞. Negatiuè, sed solũ esse denominationem extrinsecam à corpore acquirente nouum locum, & nouam distantiam. Probatur primo exemplo animę rationalis, quæ nihil intrinsecum acquirit, immò & in sententia, quam ego sequor, nec etiam corpus ipsum acquirit aliquod vbi, vel quid simile intrinsecum per solum motum localem. Probatur secundo quia cum Angelus, & anima rationalis abstrahant secundum se à quantitate molis, à situ, & distantia, non habent distantiam vllam ad locum, vel punctum fixum, nisi ratione corporis, cui coniunguntur; si enim nulla essent corpora, nulla esset distantia secundum locum; ergò illam mutare non poterunt nisi ratione mutationis factæ in corpore; ergò inuariata coniunctione ad corpus tam Anima, quam Angelus dicentur moueri per accidens ad motum corporis per solam denominationem extrinsecam.

AXIOMA TERTIVM.

Angelis non conuenit illapsus in Animas hominum.

Ex Lib. de Fide ad Petrum Cap. 3.

INest singulis spiritibus naturalis terminus, quo à se inuicem distinguuntur, & vnus in altero non est.

Pono hic Axioma istud, quia licet Liber ille de Fide ad Petrum communiter hodie censeatur esse S. Fulgentij; nihilominus

nus antiquitus habebatur pro germano opere S.P.N. Augustini, & vt tale citat illum S. Thomas, quando ex eo desumit aliquid. Et hoc axiomate ex dicto Libro vtuntur S.Bonauentura in secundo dist. 8. artic. 4. quæst. 2. Beatus Egidius noster pariter in secundo eàdem distinctione artic. 5. & noster Thomas Argentina in secundo dist. 7. quęst. prima artic. primo concl. 3. sub nomine Sancti Patris ad probandum Dæmonem non posse illàbi animabus nostris.

DVBIVM

Vtrum Angeli posint illabi Animæ rationali, vel corpori.

Dico primo. Angelos non posse illabi animabus nostris. Hanc assertionē probant antiquiores Doctores ex lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 46. & 83. inter quos sunt S. Bonauentura, & B. Egidius noster, & Argentina locis citatis sub nomine Sancti Patris Augustini; sed reuera liber ille nō est Sancti Patris, vt rectè obseruarunt Doctores Louanēses in censura dicti libri, & Cardinalis Bellarminus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in obseruationibus ad opera Sancti Patris; est tamę communiter recepta doctrina illa, quæ in citatis locis habetur, nempe quod proprium est solius Dei illabi animæ nostræ; quod idem docet Venerabilis Beda in cap. 5. Actuum Apostolorum ad illa verba Apostoli Petri ad Ananiam *Cur tentauit Sathanas cor tuum &c.* Probatur etiam ratione communiter recepta, quia illapsus propriè dictus est esse præsens intimè non quomodocumque, sed secundum substantiam, præsidentiam, & plenum dominium regitiuum; itaut illabens conseruet esse rei, cui illabitur, & possit operari in illa, & de illa quidquid voluerit; sed hoc est proprium solius Dei, vt patet; ergò solius Dei, non verò Angeli, aut alterius Creaturæ est posse illabi in alteram. Hac ratione vtuntur communiter Thomistæ, & Gabriel in secundo dist. 8. qu. 2. & 5. S. Bonauentura, & prædicti nostri Doctores supràcitatis locis. Probatur secundo

do à nostro Argentina loco citato, quia quidquid est in essentia rei, vt essentia est, hoc facit ad esse rei, & conseruat eam in esse; propter hoc enim essentia dicitur ab esse, vt docet S. P. lib. 7. de Trin. cap. 10 Sed nullus Angelus facit ad esse rei, nec conseruat rem in esse: ergò nullus Angelus est in essentia animæ, vt essentia est, & per consequens non illabitur ei. Si dicas per hanc eandē rationem probari posse, quod Angelus non possit esse in essentia alicuius corporis, quia nec facit ad esse corporis, nec conseruat esse corporis, cuius rei contrarium communiter admittitur, & experientia Energumentorum compertum est. Respondet idem ibi hac ratione probari solum, quod Angelus non sit essentia corporis, vt essentia, siue substantia est, quod vltrò conceditur; quia reuera solum est in essentia, seù substantia corporis, vt extensa est, non verò vt essentia, & substantia est; & hanc testatur esse Doctrinam magnorum Doctorum. Consequenter ad hæc.

Dico secundo, Angelum non posse illabi corporibus illapsu propriè dicto. Probatur eàdem ratione, qua probatum est non posse illabi animabus nostris; nam nec etiam corpora conseruat in esse, nec habet plenum dominium in ea, itaut possit operari in illis, & de illis quantum vult; nam solum potest agere in eis, quod ei à Deo conceditur, mandatur, vel permittitur, & præterea, vt ait Argentina, non est intra essentiam, vt essentia est, sed solum vt extensa est. Probat eamdem assertionem Durandus in secundo dist. 8. qu. 3. art. 6. quia à quocumque remouetur superius remouetur etiam inferius; sed intra, & extra, cum sint differentiæ loci, se habent ad illum, sicut ad superius; substantiæ autem Angeli non competit locus; nam abstrahit à loco, sicut abstrahit à quantitate, & situ; ergò non potest ei competere prædictus illapsus, qui requirit intimam præsentiam secundum substantiam illabentis, & eius, in quo fit illapsus. Hæc ratio non habet vim, nisi in sententia eorum, qui docent Angelos esse in loco solum per operationem, vel per applicationem virtutis, non verò in sententia eorum, qui tenent esse in loco etiam ratione suæ substantiæ; propterea sisto in prima vt pote vniuersaliori, & efficaciori.

Dixi illapsu propriè dicto; nàm id, quod aliqui dicunt de illapsu Angelorum solum mediante operatione in corpus, eoquod ratione alicuius operationis sit intra terminos illius, vt videtur sentire Durandus loco citato num. 7. non est propriè illapsus, sed habet quamdam similitudinem cum eo; verum defectu pleni dominij supra ipsum corpus, vel etiā præsentiæ secundum substantiam, quam negant Thomistæ, non erit illap-

lapsus propriè dictus; hæc enim duo necessariò, & essentialiter requiruntur ad illapsum propriè dictum, vt patet ex definitione eius supra data, & communiter recepta.

Dices primò. Sanctum Patrem Augustinum libro 12. de Genesi ad litteram cap. 13. loquendo de vi diuinandi dicere *non sanè mirum est, si etiam Dæmonium habentes aliquando vera dicunt &c. quod certè nescio qua occulta mixtura eiusdem Spiritus fit, vt tamquam vnus sit patientis, atque vexantis*; ex quo loco sic arguitur. Non potest spiritus malignus se sic miscere, & facere quasi vnum spiritum cum anima humana, nisi illabatur ei; hoc enim requiritur ad veram mixturam, vt scilicet vnum miscibilium sit intra alterum &c. ergò re vera spiritus illabitur animæ. Respondet B. Egidius noster loco citato, dici ibi malignum spiritum facere vnū spiritum cum eo, quem vexat, eo quod ei vniatur applicatione, & oppressione, vt habetur in libro de Ecclesiasticis dogmatibus; non verò ex eo, quod illabatur ei. Quam responsionem explicare possumus per definitionem supra traditam de illapsu propriè dicto, in qua requiritur plenum dominium supra substantiam eius, cui fit illapsus; quod numquam habet vlla creatura in aliam: cui etiā, si placet, dic non posse fieri intimam præsentiam in essentia, seu substantia animæ, vel corporis, vt pluribus Theologis placet.

Dices secundo ex eodem S. P. in dicto libro 12. de Genesi ad litterā cap. 22. *Angeli nostras cogitationes non vtique oculis, quia non corpore, sed spiritu vident: verum hoc interest, quod illi nostras, etiam si nolumus, nouerunt: nos autem ipsorum, nisi ostendantur, nosse non possumus.* Ex hoc loco sic formatur argumentum. Sine illapsu in animam non potest spiritus cognoscere occultas, & internas cogitationes animæ rationalis ipsa inuita; sed spiritus, vt habet ibi S. P. etiam nobis inuitis cognoscunt nostras cogitationes; ergò illabuntur animabus nostris. Probatur maior ex epistola prima ad Corīthios cap. 2. vbi dicitur, quod nullus scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis; & quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei; ergò vel identitas, vel vnio intima requiritur ad hoc, vt vnus spiritus possit cognoscere intima animæ, etiam illa inuita; sed identitas non potest dari inter Angelum, & animam, vt patet; ergò intima vnio concedenda erit, quæ non potest stare sine illapsu. Respondet etiam huic loco B. Egidius ibi: Spiritum etiam malignum dici cognoscere cogitationes nostras, eo quod per aliquos effectus factos in corpore huiusmodi cogitationes illi innotescunt; ait enim numquam, vel rarò posse esse aliquam cogitationē in corde, quin vel exterius, vel saltem

tem interius reluceat in corpore aliquod signum, propter quod cogitationes nostræ Dæmonibus innotescant; quod dicit se fusius explicasse iu quæstionibus de cognitionibus Angelorum.

Maneat ergò ex dictis Angelum illuminare quidem, & producere species in anima, non tamen illabi intra illam; eo quod nec est causa essẽtię eius, nec vt pars illius, neque vt virtus eius, neque conseruans eam, nec habens plenum, & totale dominium in ipsam; dici verò illabi impropriè corpori, vel quod idem est, esse intra ipsum, quatenus scilicet potest esse intra ipsas dimensiones corporis, & ibi etiam operari; nàm licet corpus, quod mouet localiter alterum corpus, non sit, nec naturaliter possit esse intra illud, hoc tamen nõ repugnat spiritui; ratio discriminis est, quia quantitas ipsorum corporũ impedit ne corpus mouens sit intra corpus; quod ab eo mouetur; quod impedimentum non est in Angelo, & licet substantia, & operatio Angeli non recipiatur intra substantiam, & essentiam Angeli immediatè, itaut sit causa illius productiua, vel cõseruatiua; nihilominus rectè potest dici esse intra corpus illud, in quo operatur, quia adhoc satis est, vt recipiatur intra dimensiones eiusdem corporis, & ratione huius poterit dici esse intrinsecus ipsi corpori. Dices, Glossa ad illud Abac. cap. 2. *Dominus in templo Sancto suo*, dicit, quod Dæmones simulacris exterius prę-sidere possunt, non tamen interius adesse; ergò falsum est, quod Spiritus recipiantur intra dimensiones corporum. Præterea quæcumque sunt simul, & indiuisa loco, quidquid est intra vnum est etiam intra alterum; sed corpus humanum, & anima rationalis ipsum informans sunt indiuisa loco; ergò si Angelus non potest esse intra animam, nec etiam poterit esse intra corpus. ℞. sensum illius Glossæ esse, quod Dæmones non sunt intra simulacra, vt formæ informantes, itaut ex Dæmone, & simulacro fiat vnum tertium, vt fit ex anima, & corpore, & vt falsò putabant fieri Gentiles; non tamen negare, quod non possint esse intra illa, vt motores presentes mobili; Ad rationem ℞. negando maiorem; nam accidentia corporea sunt intra corpus, vt formæ propriæ illius, & tamen non sunt in ipsa anima; incapax enim est anima rationalis informari quantitate molis, & consequenter alijs accidentibus corporeis, quæ ipsam consequuntur; & sic licet Angelus non possit esse intra animam, vt dictum est, potest tamen esse illi præsens, vt sunt illa accidentia corporea ratione corporis, intra quod est, & in quo interius operatur

AXIOMA QVARTVM

De Comestione Angelorum in corpore assumpto.

Ex Epist. 49. ad Præsbyterum Deo gratias in solutione ad primam quæstionem.

QVomodo contrarium est, & Christum post Resurrectionem cibatum, & in resurrectione, quæ promittit ciborum indigentiam non futuram; cum & Angelos legamus eiusmodi escas, eodemq; modo sumpsisse non ficto, & inani phantasmate, sed manifestissima veritate, nec tam necessitate, sed potestate? Aliter enim absorbet terra aquam sitiens, aliter Solis radius cadens, illa indigentia, iste potentia.

D V B I V M

Vtrum Angeli in corpore assumpto posit exercere actiones vitales.

RAtio dubitandi est, quia vitalitas cõmuniter definitur principium se mouendi ab intrinseco; & cum supràdictum sit, Angelum posse esse intra dimensiones corporis, & intra illud operari, nihil videtur repugnare, quo minus possit exercere veras operationes vitales; quod etiã suadere videntur ea, quæ narrantur tum in scripturis diuinis, tum etiam in prophanis de comestione, locutione, deambulatione, & generatione exercitis in corporibus assumptis ab Angelis. His tamen non obstantibus.

Dico primo. Angelos in corporibus assumptis non posse exercere operationes vitales quoad substantiam. Probatur communiter hæc assertio, quia Angelus non informat substantialiter, & vitaliter corpus, quod assumit, sed solum per accidẽs illi coniungitur vt motor mobili; ergò nequit in tali corpore exercere actiones vitales quoad substantiam. Antecedens est certum, & patet ex dictis supra; consequentia probatur, quia actiones vitales sunt ipsa vita actualis, siuè in actu secundo, quæ supponit necessariò, & essentiali-

tialiter potentiam vitalem radicalẽ, & ſubſtantialem, à qua proueniant, quæ deficit in Angelo, & in corpore aſſumpto non ſolum diuiſim, ſed etiã coniunctim ſumptis; talis enim coniunctio eſt accidentalis. Probatur ſecundo, quia ad operationem verè,& ſubſtantialiter vitalem exercendam non ſolum requiritur principium vitale informans corpus, ſed etiam corpus organis realibus,& non ſolum apparentibus diſtinctum & ritè diſpoſitum ad tales operationes exercendas; ſed hæc diſpoſitio, & diſtinctio verè, & realiter non habet locum in corporibus,quæ ab Angelis aſſumuntur, ſed ſolum fictè, & apparenter. Ergò repugnat, quod Angeli in talibus corporibus exerceant operationes verè, & ſubſtantialiter vitales.

Dico ſecundo. Angelum in corpore aſſumpto actiones illas, quæ ſunt vitales quoadmodum, poſſe exercere quoad entitatem realem, non verò quoad modum vitalitatis. Prima pars probatur ex illis actionibus, quas Scriptura Sacra narrat exercuiſſe Angelos in corporibus aſſumptis, vt dictum eſt ſupra in ratione dubitandi, quæ quoad entitatem,& ſubſtãtiam habent magnam conuenientiam cum actionibus illis, quas nos vitaliter exercemus loquẽdo, comedendo,ambulando &c. Secunda pars probatur; quia adhoc, vt illæ actiones modo vitali exerceantur, exigunt procedere à principio vitali, & per certa inſtrumenta ad id à natura inſtituta, quod non habuère Angeli in caſibus prædictis; vndè eſto ſint ſimiles noſtris; nihilominus cum non habeant ordinem ad virtutes vitales exiſtentes in membris, per quas fiunt, nec ad phantaſiam, per quam in nobis diriguntur, manet preter entitatem materialem, & ſimilitudinem extrinſecam,quam habent cum noſtris, eas verè, & intrinſecè non eſſe vitales, vt dictum eſt,& magis,patebit diſcurrendo per præcipuas, de quibus ſolet fieri quæſtio.

Primo quoad Commeſtionem certum eſt, eam fuiſſe veram quoad diuiſionem, & traiectionem cibi, nõ verò quoad principium, & finem ipſius;nam principium illius eſt viuens conſtitutum ex anima informante, & corpore per ipſam animam viuente, quod per ipſam potentiam vitalem, ſeù organa ad id naturaliter diſpoſita cibum ſumit, diuidit, alterat, & traijcit: finis verò eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti.Ex quibus infertur comeſtionem Chriſti Domini poſt reſurrectionem ipſius fuiſſe veram, & efficax argumentum ad demonſtrandam veritatem ſuæ reſurrectionis; nam licet non adeſſet finis intentus vniuerſaliter à natura, nempe conuerſio illius in ſubſtantiam aliti; conuertebatur enim in materiam præiacentem, non ve-

rò in ſubſtantiam Chriſti viuentis, quemadmodum etiam cibus, quem videntur comedere Angeli in corporibus aſſumptis; erat tamen corpus Chriſti Domini talis naturæ, vt cibus potuerit conuerti in ſubſtantiam illius, & diuiſio illius fiebat ab anima per potentiam vitalem; quorum neutrum conuenit Angelis. Dices S. P. in axiomate poſito aſſerere Angelos eſcas ſumpſiſſe eodem modo, ac Chriſtus Dominus *non ficto, & inani phantaſmate, ſed manifeſtiſſima veritate*. Ergò ſi comeſtio Chriſti Domini fuit vera tam quoad entitatem, quam quoad modum vitalitatis, etiam illam Angelorum fuiſſe veram dicendum erit per S. P. Reſpondetur S. P. lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 22. reſumendo hanc difficultatem diſtinguere inter comeſtionem Angelorum, & illam Chriſti Domini relinquendo ſub dubio an fuerit vera comeſtio illa Angelorũ; cum enim adduxiſſet ſenſum verborum Angeli Raphaelis Tobiæ cap. 12. *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere; ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* ſubdit *Videbatis me manducare, ſed viſu veſtro videbatis: ideſt neceſſitate reficiendi corpus, ſicut vos facitis, me cibum ſumere putabatis.* vbi illud verbum *videbar*, quod in vulgata habetur, ac etiam illud *videbatis*, vt habet lectio ſeptuaginta, qua vtitur Sanctus Pater, ſatis indicant manducationem illam non fuiſſe veram omninò, ſed quoad vitalitatem ſolum apparentem; propterea Sanctus Pater ſtatim ſubdit; *ſed ſi fortè de Angelis aliud credibilius diſputari poteſt; certè fides Chriſtiana de ipſo Saluatore non dubitat, quod etiam poſt Reſurrectionem iam quidē in ſpirituali carne, ſed tamen vera, cibum, ac potum cum diſcipulis ſumpſit*, quibus verbis apertè diſtinguit inter comeſtionem Angelorum, & Chriſti Domini relinquens ſub dubio an illa fuerit vera, & vitalis; ſed de hac ſecundum ſcripturas affirmādo, quod fuerit vera; Si dicas, caro Chriſti Domini iam erat ſpiritualis, vt hic ait S. P. ergò eadem ratio eſt de Angelis, ac de Chriſto Domino. Reſpondeo ex verbis eiuſdem Sancti Patris quod *non poteſtas, ſed egeſtas edendi, ac bibendi talibus corporibus auferetur. Vnde, & ſpiritualia erunt, non quia corpora eſſe deſiſtent, ſed quia ſpiritu viuificante ſubſiſtent*, ideſt manebunt in ipſis verę partes corporis naturalis, quibus carent Angeli in corporibus aſſumptis; vndè licet non ſint habituri egeſtatem ſibi; vt ait S. P. habebunt tamen poteſtatem edendi, ſi voluerint. Dices cur Abraham tribus Angelis apparentibus illis obtulit cibos ſciens illos eſſe Angelos; vt patet ex adoratione ipſius? Reſpondet Alenſis parte 2. qu. 34. artic. 6. Abraham primò putaſſe eos eſſe homines. Si

dicas

dicas cur adorauit, si putabat homines esse; Respondet idem illam adorationem non fuisse latriæ, nec hyperduliæ, aut duliæ, sed reuerentiæ, quæ exhibetur hominibus excellentiæ causa; sed postea ex ipsorum loquutione, cum declararunt ad quid venerant, cognouit esse Angelos, & repræsentare Sanctissimam Trinitatem, & sic adorauit Trinitatem in vnitate, & dixit, loquar ad Dominum meum, &c. & ideo Sancta Ecclesia canit tres vidit, & vnum adorauit.

Secundo. loquendo de generatione communiter Patres, & Doctores docent non posse Angelos propriè exercere; eòquod sit opus viuentis tam secundum substantiam, quam secundum modum; vnde ad locum illum Genesis cap. 6. *Videntes Filij Dei filias hominum, &c.* quem locum putarunt aliqui esse intelligendum de Angelis, vt supràdictum est; Respondent communiter Patres esse intelligendum de filijs Seth, & Enos; iste enim, vt habetur Genesis cap. 4. cæpit inuocare nomen Domini, & ideo omnes ab eo trahentes originem Filij Dei dicti sunt, descendentes enim ab istis boni erant; per Filias verò hominum dicunt venire vxores, quas isti acceperunt ex progenie Caim, quæ dicebantur filiæ hominum, & non filiæ Dei, eoquod imitabantur prauos parentum mores. Dixi propriè, nam communiter conceditur, Dæmones impropriè loquendo posse generare exhibendo se succubos viris, & incubos mulieribus, vt obseruat Abulensis in cap. 6. Genesis qu. 8. & cap. 7. Exodi quæst. 12. Leonardus Coquæus loco supracitato conformiter ad ea, quæ docuit Sanctus Thomas prima parte quæst. 51. articol. 3. ad 6. & quodlibeto 6. artic 8. ad sextum, & S. P. lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23. Sic enim possunt humana semina applicare; sed tunc generatio eo modo facta non est ex virtute Dæmonis, sed seminis; vnde homo genitus nõ est filius Dæmonis, sed viri, cuius fuit semen, & tali modo non repugnat generare homines fortiores, & proceririoris staturæ, quam si nulla intercederet Dæmonum operatio; possunt enim propter suam impuritatem ad id cooperari obseruando ad id determinatum stellarum sitũ, necnon, & viri, & mulieris dispositiones, & simul alias circumstantias requisitas.

Tertiò, loquendo de vocibus, & locutionibus Angelorum in corporibus assumptis, dicendum est non fuisse propriè, & in rigore vitales; loqui enim propriè est formare voces per organa animata ad exprimẽdum conceptum; sed Angelorum corpora non habent vera organa ad hoc à natura instituta; ergò non sunt veræ, & naturales, ac vitales locutiones propriè dictæ; dicuntur tamen

men locutiones secundum aliquam similitudinem conceptuum, quibus intelligunt, & suas intellectiones exprimunt per sonos quosdam in aere formatos, qui nō sunt propriè voces.

Dices ex Nicesoro lib. 8.cap. 20. haberi Sanctum Amphilochium ab Angelis ordinatum fuisse, & illam ordinationem fuisse approbatam ab Episcopis, cum tamen sit certum; verum Sacramentum debere constare ex rebus, & verbis iuxta principium Sancti Patris Augustini receptum in tota vniuersali Ecclesia. *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum*, & non sit verum verbum, quod per veram locutionem non formatur. Ergò aut illud non fuit verum Sacramentum; aut Angeli possunt formare veram locutionē tam quoad substantiam, quam quoad modum. ℞. communiter reuerà illud non fuisse verum Sacramentum, sed solum fuisse veram, & ratam ordinationem ex Priuilegio illius, qui habet auctoritatem excellentiæ.

CONTROVERSIA TERTIA

De Loco, & Motu Angelorum.

AXIOMA PRIMVM.

Angeli sunt in loco.

Ex Lib. 8. de Ciuitate Dei Cap. 22.

Dæmones, credendum est, esse spiritus nocendi cupidissimos à iustitia penitus alienos, superbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aere habitant: quia de Cæli superioris sublimitate deiecti merito irregressibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere prædamnati sunt.

DV-

DVBIVM

Quænam ſit Angelo ratio exiſtendi in loco.

PRæmitto primo: certùm eſſe, Angelos ſecundum ſuam ſubſtantiam verè eſſe in loco, quod colligitur ex S. Scriptura vbicumque dicitur, eos loco moueri; vt cum in Geneſi dicitur veniſſe ad Abraham, & iuiſſe ad liberandum Loth. &c. Iob. cap. primo; vbi dicitur quod Satan circuiuit terram, & perambulauit eam. Lucæ 10. Videbam Sathan ſicut fulgur cadentem de Cælo; & Apocalypſis cap. 20. Diabolus legitur miſſus eſſe in infernum: Idem docent communiter PP. Ratione etiam oſtenditur hoc; nam ſi de Deo Ieremiæ cap. 31. dicitur *Cælum, & Terram; ego impleo:* & in pſal. 138. *ſi aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades.* & de anima rationali, licet ſit ſpiritualis, dicitur, quod ſit in loco ſecundum ſuam ſubſtantiam, ideſt vel in cælo, vel in purgatorio, vel in inferno; ergò etiam de Angelis hoc poterit dici, vt docet S. P. hic in axiomate.

Præmitto ſecundo, certum eſſe Angelos in loco determinato eſſe; (quid quid in oppoſitum dicant aliqui ex Doctrina Durandi, qui in primo lib. Sent. diſtinct 7. poſt duas quæſtiones de exiſtentia Dei in rebus agit de exiſtentia Angeli in loco, & paragrafo *Quarta opinio* ait, quod eſſentia Angeli nuſquam eſt, neq: ratione ſui, aut alicuius exiſtentis in ipſo, neque ratione operationis tranſeuntis extra, ſic quod ei debeatur locus, vel ſitus definitiuè, & ſicut Angelus nuſquam eſt ſecundum ſitum, ſic eſt præſens cuilibet corpori, quod poteſt mouere præſentia ordinis, non ſitus, ſiuè moueat corpus, ſiuè non; ſed quando mouet, dicitur eſſe ibi ſpecialiter, vbi mouet ſecundum quamdam appropriationem, quia ibi manifeſtatur ſua virtus, realis tamen præſentia Angeli ad locum præcedit operationē eius in loco:) Noſtram aſſertionem docent Niſſenus oratione de infantibus præmaturè ereptis, vbi dicit Angelorum domicilium eſſe cælum, quia illa ſedes naturæ illorum conuenit; S. Io. Damaſcenus lib. 2. de fide ortodoxa cap. 3. vbi ait Angelos loco circumſcribi, quia non verſantur in terra,

cum

cum sunt in cælo; quo pacto loquuntur etiam S. Gregor. lib. primo mor. cap. 2. & S. Athanasius in Epistola ad Serapionē, qui addit in hoc differre spiritum creatum ab increato, quod iste vbique est, ille verò in loco determinato est. Quo tamen loquendi modo non intendunt Patres (vt obseruat noster Greg. Arimin. in secundo dist. 72. qu. 2. art. 2. ex Magistro in primo distinct. 27. & Vgo de Sancto Victore lib. primo de Sacr. parte 3.) docere Angelos esse in loco circumscriptiuè, quemadmodum sunt corpora, idest dimēsiuè, sed alio modo excellentiore, idest definitiuè; quemadmodum etiamècontra, cum dicunt esse in locis intellectualibus, & spiritualibus, vt habent S. Io. Damascenus loco citato, & in lib. primo de fide cap. 17. & Nissenus lib. de homine &c. non negant propterea Angelos ratione corporum, quibus sunt præsentes, esse in loco secundum substātiam, vel per operationem, vel alio modo iuxta diuersitatem sententiarum; sed solum declarant, quinam sit locus proprius Angelorum conueniens eorum naturæ ratione propriæ operationis, quæ est contemplatio. Quo sensu loquens S. Dionysius lib. de diuinis nominibus dicit, quod sunt in vestibulo Sanctissimæ Trinitatis, vel lux, & lætitia Dei, vt habet S. Basilius lib. 2. Examerō c. 7. vel Dei virtutes, vt interpretatur S. Thomas in primo dist. 37. qu. 3. artic. 3. in corpore, & opusculis cap. 18. & S. Bonauentura in 2. dist. 2. parte 2. artic. 1.

Sententiam illam relatam ex Durando plures Doctores nituntur probare esse falsam multipliciter. Primò quia sequeretur ex ea, Angelum posse esse vbique, sicuti est Deus secundum præsentiam substantialem, cum possit Angelus mouere omnia corpora, nec sit necesse iuxta illam positionem; quod simul moueat plura corpora, vt in omnibus dicatur esse præsens. Hæc tamen ratio non conuincit; nam facilè respondere possent eius assertores; non sequi vbiquitatem Angeli, eoquod, & ipsa substantia Angeli sit finita, & limitata; & propterea sibi determinet quādam certam spherā, in qua sit actualiter, vltra quam nec possit operari, nec possit esse, nisi aptitudinaliter. Secundo conātur probare eius falsitatem ex eò, quod ea data Angeli mali possent esse in calo, cum possint mouere cælum. Verum neque hæc probat intentum; nam facilè respondere potest iuxta Sacram Scripturam, quod non est inuentus amplius locus eorum in cælo; & ex S. Patre N. in præsenti Axiomate quod *de cæli superioris sublimitate deiecti in hoc sibi congruo velut carcere prædamnati sunt*; ac proinde non dari amplius regressum ad cælum; nam licet secundum suam naturam possent

sent esse ibi, & mouere cælos, nihilominus eorum culpa requirit, vt in pænam ab illis eiecti non possint amplius ad illos redire, vt Principes à suo Regno exclusi propter proditionem; ac propterea non possunt cælos mouere. Tertiò; si Deus crearet infinitos mundos, in illis omnibus fore Angelos; sed hoc etiam, non conuincere ostenditur ex dictis, idest ratione suæ limitationis tam in virtute operandi, quam in substantia. Quarto dicunt, quod sequeretur Angelos semper esse in loco æquali, cum semper æquè se haheant ad omnia loca; Denique non posse moueri, quia iam occuparét omnia loca; sed neq; ista conuincunt, eo quod posset respondere Durandus, se loqui de modo essendi aptitudinaliter in loco, non verò actualiter; quod verò prædicta sententia loquatur de loco aptitudinali eo modo, quo dicitur locum ignis esse sphęram ignis, & locum saxi esse centrum, patet ex eo, quod dicit Angelum esse in omnibus corporibus, vt in loco communi, quæ nullo modo potest deserere; quo pacto etiam dicitur hanc terram, & hanc aerem, & hanc aquã esse locum communem omnium animalium; quod magis patet ex eo, quod postea subiungit; nempe quod dicatur esse definitiuè in aliquo corpore, cum determinatè agit in illud. Aliter tamen soluit Durandus prædicta argumenta dicendo, se illa sententia loqui de præsentia ordinis, non verò de pręsentia situs, & quod nullus Angelus potest mouere omnia corpora localiter; & dato, quod esset talis Angelus, ille non esset vbique, sicut Deus, quia non esset vt causa dans, & conseruãs esse. Præterea posset etiam responderi pro prædicta sententia id, quod dicitur de aliquo secundum similitudinem, & metaphoram, non esse ei simplicirer tribuendum; & propterea cum esse in loco, sicut etiam moueri dicantur de Angelis metaphoricè, non est simpliciter dicendum Angelum esse in loco, seu communi, seu determinato; quod etiam suaderi potest ex eo, quod omne id, quod est absolutum à situ, & à dimẽsionibus, non habet esse in loco, nisi per accidens, vt communiter dicitur de materia prima seclusis dimensionibus; sed essentia Angeli est omnino abstracta à situ, & à dimensionibus, cum sit incorporea; ergò non debetur illi locus nisi per accidens; sed Angelus non est in loco per accidens, nisi quando assumit corpus; ergò quando non assumit non est in loco, neque per se, neque per accidens. Verum licet hæc doctrina militet de modo essendi in loco circũscriptiuè, non militat tamen de modo essendi in loco definitiuè, qui modus essendi communiter conceditur à Doctoribus tam Angelis, quam Animæ rationali; ac proinde

cum hic loquamur de hoc modo, & pręterea de modo esendi actualiter in loco, non de aptitudine, quam habent Angeli secundum suam naturam pręciso quocumque dono supernaturali, vel quacumque pæna propter culpam illis inflicta, videndum est in præsenti, quænam sit illa ratio formalis, seù illud fundamentum proximum, per quod actu constituuntur in loco; sed prius.

Præmittendum est tertiò; ea, de quibus potest esse quæstio, an sint tales rationes formales proximè cõstituentes spiritum in loco definitiuè, esse desumenda proportionaliter ab illis, per quæ corpora dicuntur esse in loco actu, & circumscriptiuè; quorum primum est præsentia localis, quæ est quædam relatio realis in corpore ad locum, & viceuersa, & consistit in reali coexistentia, & propinquitate vnius corporis ad alterũ secundum extremam superficiem vtriusque, ratione cuius locatum verè contineatur intra superficiem locantis, & nihil mediet inter vnam, & alteram, quod impediat contactum vtriusque secundum quod consideratur, est ipse contactus; ideo enim corpns dicitur esse in loco, quia tangit illum, & est applicatum illi per immediatam approximationem, seù contactum; contingit verò multipliciter rem applicari loco, & ipsum tangere, idest vel secundum situm tantum, quo pacto admittentes puncta realiter distincta à linea, & superficie, dicunt ea esse in ipsa linea, quã sibi determinant, vel in principio, vel in medio, vel in fine; vel secundum informationem; quo pacto anima est in corpore; vel secundum cõtactum propriè dictum, qui est coniunctio duorum terminorum duarum quantitatum, quo pacto vnum corpus est in alio corpore tamquam in loco, & ipsum tangit, vt dictum est. Tertium est forma, per quam vnum corpus tangit aliud corpus, & est fundamentum proximum ex parte corporis præsentiæ localis ad locum, quæ est quantitas molis; nam per hanc corpus tangit aerem verbi gratia, in quo est tamquam in loco; & in hac proximè fundatur formaliter relatio præsentiæ; dico formaliter; nam efficienter fundatur, vel in productione, vel in motu locali, quibus corpus applicatnr, ad hoc vt per suam quantitatem possit tangere quantitatem alterius. Proportionaliter ad hæc philosophandum est de spiritibus; est enim Angelus, siuè anima rationalis præsens corpori, in quo est definitiuè; & quod suo modo tangit; & pręterea habet formam siuè physicam, siuè metaphysicam solũ; per quam virtualiter tangit ipsum corpus, siuè ipsum locum, & quę est illi fundamentum præsentię localis. Tota difficultas reuocatur ad istã formam, quænam illa sit, in qua sunt quattuor celebriores sententiæ.

Pri-

Prima eſt Molinæ in prima parte diſput. in quæſt. 52. artic. 1. membro quinto, & plurimorum recentiorum; qui docent per motum localẽ produci modum quemdam intrinſecum mobili, & realem, modalem tamen, per quem dicitur mobile eſſe in loco, ſeu in ſpatio.

Secunda Sententia eſt eorum; qui docent Angelum eſſe in loco per applicationem virtutis, pro qua citatur Gofrid. quod lib. 8. quæſt. 13. Noſter Argentina in primò diſtinct. 37. quæſt. prima art. 2. ad primum; quibus fauet Caietanus in commentario artic. primi quæſt. 52. primæ partis, vbi ita ſe explicat; vt ſaltem incompletè hanc eſſe rationem dictam ſtatuat; ad quos etiam reuocatur Capreolus in ſecundo diſt. 2. quæſt. 1. dum ait Angelos eſſe in loco tum per veram operationem externam, tum etiã per aliquid ſe habens per modum operationis, vt ſunt præſidentia, cuſtodia, & aſſiſtentia ad operandum, quandocumq; opus fuerit.

Tertia Sententia eſt Sancti Thomæ in primo diſt. 37. qu 3. artic. 1. vbi ait, Angelum eſſe in loco per operationem, qua aliquem effectum cauſat in corpore, verbi gratia motum, lumen, vel quid ſimile; ſic etiã artic. 2. ad 3. & quæſt. 4. artic. 2. in corpore, & artic. 3. ad 4. & in ſecundo diſtinct. 8. qu. prima artic. 3. ad 3. & quod lib. 3. artic. 7. quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, Ferrarienſis lib. 3. contra gentes cap. 68. Caietanus prima parte quæſt. 52. artic. primo ſaltem incompletè, & cõmuniter omes recentiores Thomiſtæ, ac etiam noſter B. Egidius in primo diſtinct. 37. 2. part. artic. primo quæſt. primæ, & alibi, qui omnes docẽt Angelum eſſe in loco per operationem exercitam immediatè circa corpus.

Quarta Sententia eſt S. Bonauenturæ in lib. 2. ſent. diſt. 2. part. 2. art. primo quæſt. prima, vbi docet formam, ſeu rationem, per quam Angelus eſt in loco, eſſe eius ſubſtantiã ratione limitationis ſuæ naturæ. Eſt etiam Alenſis 2. parte quæſt. 32. membro primo, & tertio, & Scoti in 2. lib. ſenten. diſt. 2. quæſt. 6. pro qua citatur etiam Ricardus in primo diſt. 37. artic. 2. quæſt. 1. vbi licet aſſerat Angelum eſſe in loco efficienter per voluntatem, & potentiã exequendi, finaliter verò propter maiorem vnitatem vniuerſi, deindè formaliter per ſuam ſimultatem cum loco, vel corpore, tamen quæſt. 2. ait Angelum eſſe in ſpatio imaginario per ſimplicitatem poſitiuam ſpiritualis magnitudinis, quæ eſt debilis imitatio diuinæ immenſitatis; in quo videtur docere idem, quod habet S. Bonauentura; hanc ſententiã ſequuntur plures moderni, & nouiſſimè eam amplectitur P. Petrus à S. Ioſeph lib. 3. Theologiæ ſpeculatiuę cap. 2. reſolutione 3.

In hac sententiarum varietate placet ex parte mihi resolutio Patris Gregorij de Valentia in prima parte disp. 4. generali quæst. 3. puncto 2, paragrafo *mihi verò* vbi relatis paulo aliter quattuor prædictis opinionibus eas ad concordiam reuocat, supposito quod Angeli non cõtineantur propriè in loco; quod docuerat S. Pater lib. 83. quæst. 20. vbi ait, *quod alicubi est continetur loco, quod continetur loco corpus est.* & lib. 3. de libero arbitrio cap. 11. *Non enim loco mole corporum, sed parilitate affectuum iungi, & disparilitate seiungi possunt spirituales creaturæ; quãuis corpora sua quæque possideant.* idest vel per inhabitationem gloriosam, vt Angeli, SS. vel per alligationem, vt Dæmones in hoc aere, & in inferno; vt suprà dictum est in præcedenti cõtrouersia: solum ergò metaphoricè locus eis à Patribus, & Doctoribus assignatur. Quo posito Valentiæ discursus talis est.

Quolibet modo ex illis (non meminit tamen ipse sententiæ asserentis Angelos esse in loco per vbi modale intrinsecum, de quo infra) est in Angeli existentia in loco similitudo quædam, siue analogia ad contactum quantitatiuum, quo est corpus propriè in loco; ergò quolibet ex illis modis potest locum contingere metaphoricè. Probat antecedens discurrẽdo per omnes illos modos, quos ipse retulit, & primò quod sit per suam substantiam sic; substantia Angeli est præsens loco entitatiuè quidem, ac substãtialiter, & ita est modo quodam simul cum loco, sicut est corpus cum loco simul per contactum quantitatiuum; nam etiam aquæ substantia detracta quantitate censeri potest metaphoricè contingere vas, & esse simul entitatiuè cũ illo, sicut erat simul propriè cum eo, quantitatiuè, quando habebat quãtitatem molis. Secundo modo, & tertio quibus dicitur Angelus esse in loco per operationem vel latè accipiendo operationem, quo pacto venit custodia, præsidentia, assistentia; vel strictè, & rigorosè sumendo operationem; probat, quia tunc ratione suæ operationis, quæ à loco non distat entitatiuè, est Angelus aliquo modo simul cum loco analogicè, sicut corpus est simul cum alio corpore per quantitatem; Quarto modo; qui est per applicationem virtutis; est etiam Angelus in loco ratione suæ potentiæ executiuæ sic ad illum applicatæ; siquidem ipsa est tunc entitatiuè simul cum illo loco. Quintum modum de vbi intrinseco modali, cuius Valentia non meminit, possumus excludere ex illis, quæ dixi in Axiomatibus metaphysicis S. Patris cap. de diuisionibus entis, in quo ostendi non esse admittendas huiusmodi entitates modales; & ex tomo primo phylosophiæ naturalis capite de loco; vbi ostendi non esse admit-

admittendum tale vbi intrinsecum
in corpore; exquo à fortiori sequi-
tur non esse admittendum in spiritu,
si enim non cõceditur enti illi, quod
propriè est in loco, multominus de-
bet admitti in illo, quod solum me-
12° taphoricè est in eo. Probatur secun-
do intentum Valentiæ; quia propriè
loquendo de simultate, & contactu
Angelus non minus per potentiam
executiuam, quam per operationem
quocumque modo acceptam, nec
magis per operationem, quam per
substantiam suam est simul cum loco
corporeo, seu contingit illum; quan
doquidem hæc omnia, (vt se tenent
ex parte Angeli, sunt spiritualia, licet
terminus operationis transeuntis vt
plurimum sit corporeus, vt potè re-
ceptus, & informans ipsum corpus;
quod si loquamur de simultate, &
contactu metaphoricè, sic æquè per
omnia ista est simul cum loco, & cõ-
tingit illum metaphoricè, & æquè
per omnia illa (secluso, vt dixi, vbi
intrinseco modali, vt potè superfluo)
censeri potest contingere locum cõ-
tactu quodam virtutis, vt loquitur
Sanctus Thomas, cum non solum po
tentiam, sed etiam ipsam perfectio-
nem essentialem rei spiritualis soleat
appellare perfectionem virtualem,
quo sensu prima parte, quæst. 42.
artic. primo in responsione ad pri-
mum essentiam diuinam vocat quan
titatem virtutis.

Pro huius sententiæ explicatione
duo sunt aduertenda. Primum est,
quod cum dicitur Angelum esse in
loco præsentia substantiæ, qua etiã
existentia in loco continetur, impor-
tatur etiam contactus quidam loci,
quem requiri ad existentiam in loco
dictum est; non quidem propriè, sed
metaphoricè; nam contactus pro-
priè dictus est commensuratio par-
tium, secundum quam extrema cor-
porum sunt simul; quod Angelo, vt
potè substantiæ indiuisibili, & caren-
ti partibus competere non potest;
sed quia in illa commensuratione
inuoluitur indistantia eorum, quę di-
cuntur habere extrema simul, & An-
gelus existens in aliquo corpore est
indistans ab illo secundum substan-
tiam, propterea ratione huius con-
uenientiæ dicitur esse in loco meta-
phoricè, seù æquiuocè, vt loquitur
Sanctus Thomas. Secundum est,
quod numquam Angelus est in loco
per suam substantiam, quin etiam sit
in eo per virtutem, seu potentiam;
hæc enim cum sit connexa, & for-
te, vt probabilius censeo, identifica-
ta, necesse est, vt vbi est illa, etiam
omninò sit ista. Non est tamen ne-
cesse, quod semper sit in loco per ope
rationem, si est in eo per substãtiam,
& virtutem suam, nisi forte nomine
operationis accipias solum assisten-
tiam; vt accipiunt aliqui; tunc enim
vbi est per substantiam, ibi etiam est
per suam assistentiam; sed accipien-
do operationem alio modo, seu latè,

seu

seu strictè rectè potest Angelus esse in loco aliquo, quin in eo operetur; talis enim operatio non est necessariò connexa cum substantia, aut cũ virtute Angeli.

Explicando hoc modo existentiam Angeli in loco facili negotio soluuntur ea omnia, quæ occurrunt in sententijs aliorum, (qui vnum solummodum admittunt alijs exclusis) nec facilè solui possunt; nam qui asserunt Angelos esse in loco solum per operationem, ægrè possunt explicare, quomodo sint Angeli Beati in cælo Empyreo; quorum tamen millia millium ibi esse; est communis sententia Catholicorum; cum tamẽ cælum illud sit incorruptibile, & immobile; Nec valet cum Caietano ad qu. 52. artic. primo primæ partis respondere Angelos ibi, non propriè, sed impropriè esse, quatenus fruuntur essentia diuina, quæ ibi peculiariter se Angelis manifestat; (quod non est mirum, quia negauit existentiam cæli Empyrei, vt ponitur communiter; vt videre est in commentarijs Epist. 2. ad Cor. cap. 12. ad illa verba *raptum huiusmodi hominem vsque ad tertium cælum*; & propterea temeritatis arguitur à Ruuio lib. 2. de cælo cap. qu. 3. iure ne, an iniura, iudica,) Sed re vera in sententia ferè ab omnibus alijs recepta non possunt commodè explicari ea, quę habentur Isaiæ cap. 14. & Apocal. cap. 18. de Angelis, qui ceciderunt, & dicuntur ibi fuisse in cælo; quod de cælo Empyreo communiter explicant, in quo licet conditi, non tamen Beatitudine fruebantur. Præterea qui censent Angelos esse in loco solum per operationem, & non alio modò, necessariò admittere debent, quod aliquando nusquam sint; cum scilicet nusquam aliquid operantur; quod sanè sinè absurditate nequit concedi; cum alioquin ex vna parte verè Angelus semper sit in ipso mundo, & ex alia S. P. censeat ea, quæ nusquam sunt, nõ esse; in Epist. enim ad Dardanum, vbi agit de immensitate Dei, & quomodo Deus sit vbique ait, *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, non erunt*; quod licet de corporibus dictum sit, tamen etiam spiritibus conuenire dicendum est, quod tamen de lege ordinaria puto esse dictum, & de alijs corporibus quæ sunt intra supremum corpus; nam de hoc ratione suæ extremæ, & externæ superficiei non potest dici, quod sit in loco; & præterea quæ ũque sunt in mundo, etiam si non continerentur in aliquo loco corporeo, continerentur tamen intra omnipotentiam, & immensitatem ipsius Dei, qui potest se ipso supplere defectum rei creatæ saltem efficienter.

Dices primo. Si Angelus est in loco formaliter per suam substantiã, non potest postea constitui in loco per operationem; iam enim antequã ope-

operetur est formaliter in loco per ipsam substantiam; & implicat id, quod est formaliter tale fieri tale formaliter per aliquid superueniens; ergò aut non est in loco formaliter, aut non est per operationem. ℞. negando antecedens, cum enim contactus ille non sit proprius, sed metaphoricus, admittit latitudinem quãdam; & sicut similitudo in alijs rebus dicitur multis modis, maximè quando est metaphorica; ita similitudo illa, per quam Angelus est simul cum loco metaphoricè, diuersimodè contingit: quod non contingit corpori, quod est in loco per contactum quantitatiuum quantitate molis, qui non est, nisi vnicus.

Dices secundo cum Caietano. Pręsentia rei in loco est quędam relatio, sed in nuda substantia Angeli non potest assignari fundamentum huius relationis; ergò Angelus non est in loco, nec propriè, nec metaphoricè per suam substantiam. Maior est certa: Minor probatur, quia vel illud fundamentum esset substãtia secundum se, vel esset substantia cum negatione distantiæ à tali loco; neutrum dici potest; ergò nullo modo substantia potest esse fundamentum talis relationis. Maior probatur quòad primam partem, quia alias semper Angelus esset præsens illi loco, in quo semel fuit, cum semper maneat, & substantia Angeli, & locus ille; & præterea substantia Angeli nihil habeat magis cum hoc quam cum illo loco. Neque posse stare quoad secundam partem patet, quia sequeretur Angelum fore præsentem huic loco, etiam si diuinitus collocaretur extra hunc mundum; nam etiam eo casu illius substantia non distaret ab eo loco, cum distare sit corporum, non verò substantiæ spiritualis secundum se. ℞. fundamentum illius præsentiæ esse substantiam Angeli cum negatione distantiæ, idest cum çarentia loci, vel spatij medij inter substantiam Angeli, & ipsum locum; nam licet distare secundum quantitatem sit proprium corporum, tamen verè etiam conuenit substantię spirituali distantia quędam entitatiua, sicut etiam propinquitas; hanc enim habet Deus vbique cum quocumque ente siue corporeo, siue incorporeo, & Angelus, ac anima rationalis vbi sunt; quod explicari etiam potest ex suppositione, quod Deus auferret quantitatem molis à corpore, quod nunc est hìc Romæ, non transferendo eius entitatem substantialem alibi, tunc entitas ista, & esset propinqua entitatiuè corpori, cui antea erat præsens quantitatiuè, seu per contactum propriè dictum, & esset distans à corporibus, quę sunt Parisijs. Hinc ad casum adductum à Caietano Respondeo tunc Angelum fore entitatiuè distantem ab hoc loco, quia iam multa corpora, & spatia mediarent inter

entitatem Angeli, & entitatem huius loci. Quod si dicas substantiam Angeli verè non distare ab vllo loco secundum se, vt videtur asserere Caietanus, necessariò incidis in illam sententiam, quam affert Durandus, & in quã videtur propendere, licet eam se non affirmare, aut tenere, sed solum proponere protestetur; nempe quod Angelus sit vbiq; quã tamen censura dignam aliqui existimant; eoquod videatur repugnare scripturis illis, in quibus dicitur Angelos esse in cælo, & Dęmones in cælo fuisse, & de cælo cecidisse, vt supra dictum est.

Dices tertio: prius est Angelum esse in loco, quam operari in loco, vt patet in corporibus, quę prius saltẽ natura sunt in loco, quam in eo operentur; ergò operatio non potest esse Angelo ratio formalis essendi in loco. ℞. esse disparem rationem de corpore, ac de spiritu; nam, vt dictũ est, corpus habet modum proprium essendi in loco, qui vnicus tantum est, ac proinde operatio non potest dici esse illi propriè ratio essendi in loco: at Spiritus, cum habeat solum modum essendi in loco æquiuocè, vel metaphoricè; qui est multiplex, & admittit latitudinem, vt diximus, hinc est, quod tam vno, quam altero modo potest dici esse in loco.

Dices quarto. Peripatetici ex doctrina Aristotelis lib. 4. Physic. & ex S. Thom lib. 4. contra gentes contactum metaphoricum communiter dicunt esse per operationem; ergò non est per substantiam ℞. eum, qui vnum asserit, alterum non negare; ac proinde non negari, nec à S. Tho. nec ab Aristotele, quod contactus metaphoricus non possit esse alio modo, quam per operationem.

DVBIVM ALTERVM.

Vtrum Angelus sit tantum in vno loco, vel possit etiam esse in pluribus, & plures Angeli in vno.

Breuiter ab his difficultatibus me expedio; non enim habeo de his axiomata S. P. consequenter ad quæ eas explicem; sed suppositis prædictis modis metaphoricis, quibus Angeli dicuntur esse in loco

etiam

etiam ex sententia eiusdē S. Patris.

Dico primo cū S. Thoma, quęst. 52. artic. 2. Angelum non posse naturaliter esse simul in pluribus locis adæquatis suæ perfectioni virtuali. Dico *naturaliter*, quia per absolutā Dei potentiam non dubito, hoc posse fieri, cum enim, vt dixi in tomo primo Philosophiæ naturalis cap. de loco, possit facere, vt vnum corpus sit in pluribus locis sibi adæquatis, quod est plus, potest etiā facere, vt sit spiritus, quod est. minus. quo posito. Probatur conclusio ratione illa, qua vtitur S. Thom. sic. Perfectio illa, qua Angelus est præsens loco, est finita, & limitata; ergò etiam finitus, & limitatus locus ei respondere debet, extra quem simul, & semel esse non possit alibi præsens. In omni enim genere virtuti finitæ respondet aliquid finitum, & limitatum, in quo creatura differt à Deo: hic enim cum habeat perfectionem infinitam, per illam necessariò est præsens omnibus omninò locis, itaut non possit dari locus, cui non sit præsens Deus. Angelus verò ratione dictæ limitationis ita est determinatus ad vnum tantum locum; vt licet alium, maiorem tamen illo occupare non possit. Hoc docuerunt etiam Patres antiqui, videlicet S. Athanasius in epist. ad Serapionem, S. Ambr lib. primo de Spiritu S. cap. 7. & Sanct. Gregor. Magnus libro secundo mor. cap. 3. qui in sensu explicato dicunt Angelum circumscribi loco.

Aduerte hic non esse indiuisibilē formaliter locum Angelo adæquatum; primò, quia per me non datur nec dari potest in rebus corporeis entitas vlla indiuisibilis formaliter. Secundo quia de ratione loci est, quod sit superficies, quæ in suo conceptu essentiali inuoluit diuisibilitatem formaliter, tam secundum longitudinem, quam secundum latitudinem, & indiuisibilitatem solum virtualiter secundum profunditatē. Tertiò quia licet substantia spiritualis sit formaliter indiuisibilis, nihilominus ratione suæ quantitatis virtutis correspondet quantitati molis, vt patet in anima rationali informāte corpus, & magis in ipso Deo, qui per suam essentiam est vbique.

Dico secundo. Angelum posse esse simul in pluribus locis sibi inadæquatis, qui tamen contineantur intra latitudinem loci adæquati, vt patet in anima rationali, quæ est simul tota in pluribus partibus corporis humani, quarum vnaquæquæ est locus, & subiectum inadæquatum ipsius.

Dico Tertio: esse probabile, quod Angelus per præsentiam suæ substātiæ semper sit in loco sibi adæquato. Probatur primò, quia per suæ substantiæ præsentiam hoc ipso est in loco sibi sic adæquato, quod est prędituş tanta, vel tanta perfectione substantiali; sed semper est præditus

eadem perfectione substantiali; ergò per præsentiam suæ substantiæ semper est in loco sibi adæquato. Probatur secundo, quia Deus ratione suæ infinitæ perfectionis necessariò est in quocumque loco secundũ suam substantiam, & anima rationalis etiam per suam perfectionem substantialem informat totum corpus, & non est positum in eius arbitrio, manente eodem corpore cum eadem continuatione esse in vna parte, & non in alia; & similiter corpus necessariò ratione suæ quantitatis, si nulla fiat in eo mutatio, occupat locum sibi adæquatum; ergò etiam Angelus ratione suæ perfectionis, & præsentię substantialis semper est in loco sibi adęquato. Dixi esse probabile; nam & Deus potest pro suo arbitrio non esse præsens aliquibus locis ea destruendo, & anima rationalis modò informat corpus paruum, & successu temporis informat corpus magnum, ac proinde non semper habet locum adæquatum suæ perfectioni substantiali; ergò idem posset dici de Angelo etiam secundum suam pręsẽtiam substantialem; quod etiam possumus probare, quia si daretur casus, in quo non esset in vniuerso nisi corpusculũ paruum, quod non adæquaret perfectionem substantialem Angeli, tunc Angelus esset præsens illi, & non esset in loco adæquato suæ perfectioni substantiali; ergò pari ratione possumus philosophari, quod sit in sua potestate, & arbitrio posse esse præsens vel æquali, vel minori, &c. sicut est in potestate hominis facere, quod anima non informet totũ corpus, quod antea informabat, si verbi gratia abscindat sibi aliquas partes.

Dico quarto: per operationem, seu applicationem potentiæ ad operandum posse esse in loco, vel æquali, vel minori, prout voluerit. Est S. Thomæ loco citato art. 2. & patet, quia potest pro suo libito in maiori, vel minori loco operari, dummodo se contineat intra locum sibi adęquatum; nam extra illum, sicut non potest esse, ita non potest operari.

Dico quinto: non posse Angelũ esse in quolibet loco maiori, nisi intra latitudinem sui loci adæquati, posse verò esse in quolibet minori, & minori, quem ipse possit determinare per operationem. Hæc assertio est contra Scotum; qui in libro secundo Sent. dist. 2. qu. 2. docuit oppositum. Probatur autem prima pars, quia sicut naturaliter nulla anima, nec vllum corpus potest esse in loco maiori, quam sibi vindicet eius perfectio substantialis, aut ipsius quãtitas, quæ vt potè limitata finitum etiam sibi vindicat spatium, ita & Angelus. Probatur etiam secunda, quia, cum operatio Angeli in loco sit libera, poterit in quolibet minori operari, dummodò possit illum determinare: aliqui dicunt etiam in lo-

co

eo indiuibili; sed cum per me in rebus corporeis non detur vlla res indiuisibilis formaliter, vt dixi in primo tomo Philosophię naturalis cap. de continuo, propterea consequenter, eo repugnante repugnat etiam, quod Angelus in eo operetur.

Dices primo cum Scoto ex doctrina, quam tradit Euclides libr. primo prop. 36. Omne illud, quod potest esse in loco sibi adæquato, potest esse in omni alio loco illi æquali, modo figura eius non repugnet locato. Hoc posito: dicemus locum adęquatum Angelicæ perfectioni, & potentiæ esse totam hanc aulam, si detrahendo ex eius latitudine quantum viribus naturæ detrahi potest, & id, quod detrahitur, extendatur in longitudinem, fiet extensa in infinitum longitudo, & sic locus ille Angeli fiet in infinitum longior, & longior. Ergò cum Angelus non sit præditus figura, ratione cuius repugnet ei talis longitudo, poterit esse in toto hoc loco facto in infinitum longiori, & longiori. Respondent aliqui cum Valentia loco citato, propositionem, & doctrinam illam Euclidis esse intelligendam solum de corporibus, non verò de spiritibus; nam alias sequeretur Angelum posse esse simul in cælo, & terra, quod videtur esse contra Scripturam, & S. Io. Damascenum; immo, & esse operationem in locis infinitè distantibus, & non esse in medio per operationem, quæ omnia sunt absurda. Hæc tamen respõsio non satisfacit argumento; primò enim nõ reddit rationem, cur si conuenit corporibus, quæ à sua figura non impediuntur, non possit conuenire spiritibus; nam vno posito non videtur denegandum alterum, nisi assignetur aperta repugnantia. Ad illud de Scriptura, & Sancto Ioanne Damasceno Responderi potest esse sermonem ibi de eo, quod est de facto; eò enim ipso, quod Dæmones exclusi sunt à cælo in pænam peccati, non possunt se extendere ad ea omnia, quæ alias naturaliter possent. Ad vltimum posset dici, data ea hypotesi nullum esse inconueniẽs, quod operaretur in illis locis distantibus, estò non operaretur in medio, in quo tamen esset præsens per suam substantiam, vt dictum est. Respondeo igitur directè argumento Scoti; ex prædicta doctrina Euclidis non sequi eius intentum, eoquod detractio illa non potest fieri nisi per partes aliquotas, quæ aliquoties sumptę exhauriunt totum; ac proindè non posse fieri extensionem infinitam, sed finitam; ratio verò, cur non possit fieri nisi per tales partes, est ipsa natura continui, quod cum petat, vt id, quod remanet, sit semper essentialiter diuisibile determinatè, determinatè etiam diuisibile erit id, quod detrahitur, & idcirco solum determinata fiet extensio. Si enim dicas esse indeterminatum id, quod remanet,

net, & id, quod detrahitur, tunc dicam ego nec etiam determinatam futuram extensionem, nec determinatam operationem; ac proinde nullam; nam quidquid est à parte rei determinatum est.

Dices secundo cum eodem: posse esse in minori loco est aliqua perfectio; ergo posse esse in loco adhuc minori erit maior perfectio, & consequenter posse esse in loco minori, & minori in infinitum erit perfectio infinita, quæ Angelo competere nõ potest. ℞. negando eam partem, in qua dicitur, quod posse esse in minori loco sit adhuc perfectio maior; est enim eademmet perfectio Angeli, quæ modo in maiori, modo in minori loco operatur: sicut in rebus corporeis est semper eadem entitas substantialis, & eadem quantitas, siue occupet minorem locum ratione condensationis, siue maiorem ratione rarefactionis. Vnde quemadmodum Scotus existimauit non esse maiorem, & maiorem perfectionem in infinitum posse occupare maioré, & maiorem locum, ita nec etiam poterat cõsequenter inferre esse maiorem, & maiorem perfectionem occupare minorem, & minorem locum in infinitum. Addo tamen huic solutioni, quæ est Valentiæ, quod censeo Angelum non posse esse in minori, & minori loco in infinitum; sed solum in minori, & minori, quoad vsq; possit determinare: censeo enim, quod quemadmodum agens corporeum diuidendo continuum successiuè deueniat ad minutissima corpuscula, quę licet in se sint diuisibilia in semper diuisibilia, nihilominus ab eo non possunt vlterius diuidi, vt experientia patet: sic etiam Angelus operando deueniat ad aliquam determinatam partem in minoritate, infra quam non habeat minorem, in qua possit operari; esto illa pars determinata sit semper diuisibilis; & ratio est quia, cum operatio Angeli sit determinata, & vt est recepta in ente corporeo sit etiam corporea, debet esse in determinata parte subiecti; & propterea in conclusione dixi, quam sibi potest determinate.

Dico sexto: posse plures Angelos per præsentiam suæ substantiæ etiam naturaliter esse simul in eodem loco. Probatur primo, quoniã possunt plures obsidere vnum, & idem corpus humanum, vt habetur Lucæ cap. 8. de eo, in quo erat integra legio Dæmonum. Probatur secundo, quia nihil obstat, quominus plures Angeli, cum sint expertes quantitatis molis, ita se habeant ad vnum aliquod corpus, vt inter quemlibet illorum, & corpus illud nullus locus, aut spatium sit mediũ, in quo consistit præsentia substantię. Probatur tertio, quia supernaturaliter factum est, vt constat ex mysterijs S. Fidei, vt duo corpora sint in eodem loco; ergò naturaliter fieri pote-

poterit, vt plures Angeli sint in eodem loco: antecedens patet ex natiuitate Christi Domini, quando clauso vtero exiuit; ex egressu eius de sepulcro clauso; ex ingressu ipsius ad discipulos ianuis clausis &c. Consequentia probatur, quia tota ratio, quæ impedit, ne hoc possint corpora naturaliter, est quantitas molis, quę habet pro secundario effectu impedire, ne aliud corpus possit occupare locum, quem vnum occupat; Sed hoc impedimentum non est in Angelis, vt dictum est; ergò naturaliter fieri poterit, vt plures Angeli sint in eodem loco.

Obseruant hìc aliqui, numquam contingere, vt plures Angeli sint simul in vno aliquo loco, qui sit vnicuique illorum adæquatus, sed semper alteri illorum inadæquatus; eoquod sicut omnes inter se comparati habent inæqualem perfectionē, vel specificam, vel certè indiuidualem, seu personalem, ita etiam inæqualem locum; sicut videmus quoque pro diuersa quantitate indiuiduali respondere corporibus diuersa loca. Hæc ratio non conuincit, nā cum suprà dictum sit, esse incertum, an sint plures Angeli eiusdem speciei, & proprietates, seu differentiæ indiuiduales in rebus corporeis non impediant, quominus plura corpora occupent locum ęqualem; ita nec in Angelis tales differentiæ hoc impedient.

Dico septimo: doctrinam illam, quam tradit Sanctus Thomas prima parte qu. 52. artic. 3. nempe plures Angelos non posse esse simul in eodem loco per operationem, esse intelligendam cum tribus limitationibus sequentibus. Prima, quod accipiatur secundum ordinariam Dei potentiam; cum enim illa conclusio fundetur in eo, quod non possit naturaliter idem effectus produci simul à duabus causis totalibus, & adæquatis, & iam in primo tomo Philosophiæ naturalis cap. de causis in communi dixerim, hoc non implicare cōtradictionem, & propterea non esse impossibile respectu omnipotentis Dei; consequenter per absolutam Dei potentiam poterunt plures Angeli concurrere ad eumdem numero effectum vt causæ totales; quidquid dicat incontrarium noster Ferrariensis, qui lib. secundo contra gētes cap. 68. putat implicare contradictionem; quod tamen efficaciter non probat. Secunda est, quod intelligatur de loco adæquato; nam de loco inadæquato nulla est difficultas; si enim excedat virtutem operatiuam plurium Angelorum, poterit vnus in vna parte, & alter in altera parte operari. Tertia est, vt intelligatur de eodem modo formaliter existendi in loco, itaut sensus sit, quod non contingant eodem prorsus modo locum illum per operationem, eumdem scilicet effectum in il-

lo producendo. Si enim sermo sit de diuersis contactibus, idest per diuersas operationes specie differentes, non est dubium, quin plures Angeli possint esse per operationem in eodem loco, vt si alter in eo producat motum localem, alter verò lucem; vel vnus nigredinem, alter verò calorem.

Quæri hìc solet; an quando ita essent Angeli per diuersas specie operationes in eodem loco, dici debeant esse solummodo in loco materiali, an verò possint dici etiam esse in formali. Caietanus artic. 3. qu. 52. primę partis putat dicendum esse solummodo in materiali; eò quod re vera producant diuersos formaliter effectus in illo subiecto, quod se habet ad illos, veluti se habet materia ad formam. Valentia loco citato puncto quarto putat, Caietanum falli; quod probat hoc argumento. Locus formalis, in quo Angelus est per operationem, est id, quod Angelus tangit producēdo in eo aliquid; sed hoc in proposito casu est idem lignū verbi gratia, quod respicit calorem, & nigredinem; ergò tunc plures Angeli sunt in eodem loco formali Maiorem probat, quia non potest dici, locum formalem esse ipsum patiens, vt iam habens effectum productum ab Angelo; nam in ipso effectu iam Angelus nihil amplius operatur, sed in ipso subiecto patiente, producendo dictum effectum; atque ita solum ipsum patiens tangit formaliter Angelus per operationem; ergò illud solum est locus formalis Angeli. Cōcedi tamen debet non esse in eodem loco formali eodem prorsus modo formali, sed diuerso, idest per diuersam operationem, ac proinde per diuersum specie contactum.

AXIOMA SECVNDVM.

Mouentur Angeli per tempora.

Ex Lib. 8. de Gen. ad Litteram. Cap. 20.

INcommutabili æternitate viuens creauit omnia simul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, temporalibusque, & localibus rerum motibus sæcula voluerentur; in quibus rebus quædam spiritualia, quædam corporalia condidit, formans materiam, quam nec alius, nec nullus, sed omninò ipse informem, ac formabilem instituit, vt formationem suam non tempo-

re,

ne, sed origine praeueniret. Spiritualem autem creaturam corporali praeposuit: quod spiritualis tantummodo per tempora, mutari posset, corporalis autem per tempora, & loca.

DVBIVM

Vtrum Angeli possint moueri localiter.

DIco primo. Angelum se mouere localiter, esse certum, nã habetur ex Sacra Scriptura, & primo ex libro Tobiæ, vbi habetur iter Sancti Raphaelis cum filio Tobiæ, & denique in discessu legimus dixisse: *Tempus est, vt reuertar ad eum, qui me misit*; & Lucæ cap. primo legitur, Angelum Gabrielem ingressum esse ad salutandam B. Virginem, & postea ab ea discessisse. Probatur etiam ratione, quia cum Angeli non sint vbique, sed in loco certo, & determinato, non potest dici, quod nõ possint se transferre ab vno spatio ad aliud, cum talis facultas rebus multò inferioribus tribuatur.

Dices S. P. in axiomate apertè dicere Angelos moueri per tempora, non verò per loca; ergò falsum est Angelos moueri localiter. ℞. primò, S. P. loqui de motu locali proprio, & rigoroso, qui conuenit corporibus solum; quod per necessariã consequentiam deducitur ex illis, quæ docet lib. 4. de Gen. ad litteram cap. 18. vbi de loco spiritualis creaturæ agens ait. *Et ideo dum ipse* (idest Deus) *manet in se, quidquid ex illo est retorquet ad se, vt omnis creatura in se habeat natura suæ terminum, quo non sit quod ipse est: in illo autem quietis locum, quo seruet quod ipsa est. Scio, quod non propriè dixerim locum, nam propriè dicitur in spatijs, quæ corporibus occupantur: sed quia, & ipsa corpora non manent in loco, nisi quò sui ponderis tamquam appetitu perueniunt, vt eo comperto requiescant, ideò non incongruenter à corporalibus ad spiritualia verbum transfertur, vt dicatur locus, cum res ipsa plurimum distet:* Si ergò locus impropriè per S. P., & æquiuocè, aut metaphoricè per S. Thom. dicitur de Angelis, etiam moueri localiter dicetur impropriè, æquiuocè, & metaphoricè, cum nihil sit aliud moueri localiter, quam successiuè se transferre ad plura loca; cum dicit spiritualia non moueri per loca, intelligit de motu locali proprio, & rigo-

rigoroſo, qui ſolis conuenit corporibus, vt ipſe hic ait; nam de cætero certum eſt ipſum admiſiſſe tranſitũ ſecundum præſentiam ſubſtantiæ ſpiritualis de vno loco in alium, vt patet ex lib. 2. Retract. cap. 24. vbi ait *De inferis magis mihi videor docere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſiue dicantur, quaſi non ita ſit.* ex qua retractatione habetur eum ſentire receptacula ad quæ migrant animæ, ſiuè in æternũ ſiuè ad tempus puniendæ, eſſe in loco corporeo, & conſequenter motum ex hoc loco noſtro ad illum eſſe verum motum localem, ſed improprium, & æquiuocum: & lib. 12. de Gen. ad litteram cap. 33. adhuc clarius de Chriſti Domini anima ſic loquitur. *Et Chriſti quidem animam veniſſe vſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, vt eos ſolueret à tormentis, quos eſſe ſoluendos occulta nobis ſua iuſtitia iudicabat, non immeritò creditur. Quomodo enim aliter accipiendum ſit quod dictum eſt. Quem Deus ſuſcitauit à mortuis ſolutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis: &c.* Admittit igitur S.P. & modum eſſendi in loco in creaturis ſpiritualibus, & ſecundum præſentiam ſubſtantiæ, & ſecundum operationem, ſiuè applicationem virtutis, & ſolum negat illis modum eſſendi In loco, & motum localem propriè dictum, qualis eſt ille corporum, ſecundum quem dicuntur eſſe circumſcriptiuè in loco, & vna pars locati competit parti loci, quod Spiritibus competere non poteſt, qui carent partibus.

Dico ſecundo: tam latè patere modum, quo Angelus poteſt ſe mouere localiter, quam latè patet modus, quo Angelus eſt in loco, eoquòd mouere ſe localiter, nihil aliud eſt, quam ſucceſſiuè eſſe in pluribus locis; quapropter omnibus illis modis, quibus in dubio primo dictum eſt, Angelum eſſe in loco, tot etiam modis dicendum eſt eum poſſe moueri localiter, hoc eſt ſucceſſiuè eſſe in alio, & alio loco.

Dico tertio, Angelum poſſe moueri motu continuo, vt communiter fatentur Theologi, eò quod, licet ſubſtantialiter ſit indiuiſibilis, habet tamen ratione quantitatis virtutis quamdam virtualem extenſionem, propter quam poteſt ad certam ſphęram ſpatij ſuam præſentiam diffundere, & ſic poteſt locum, quem occupat, paulatim relinquere, & vicinum ſimiliter motu continuo, & non interrupto ſubire; quod oſtendit ita ſe habere modus, quo anima rationalis exiſtit in toto corpore, eſtò, & ipſa ſpiritualis, & indiuiſibilis ſit, quę ratione ſuæ virtualis extenſionis eſt in toto corpore, & poſtea in obitu vt plurimum paulatim deſerit informare corpus, donec penitus ſeparata alium occupet locum, quem antea

non

non occupabat: ſic & Angeli; eſt enim par ratio de illa, ac de illis, quibus poſitis.

Dico quarto. Angelum iuxta cõmuniorem ſententiam, poſſe ſe mouere localiter motu diſcreto, ita ſcilicet, vt eodem interpolatè diuerſa loca adęquata acquirat, itaut primò deſerat totum locum ſibi adęquatũ, reducendo ſe ad minorem partem illius, ibique per aliquod tempus manendo, & poſtea ſe transferendo ad alium locum ſibi adæquatum; quod adhuc clarius habetur in modo eſſendi in loco per operationem, quo poteſt verbi gratia per totam horam operari in loco ſibi adæquato, & poſtea per morulam nihil operari, deinde operari in alio loco diſtanti; & hoc modo ſequitur motum illum eſſe diſcretum ratione interpolationis. Aliqui explicant motum diſcretum Angeli, per hoc, quod componatur ex pluribus motionibus inſtãtaneis ſibi inuicem ſuccedentibus; quod probant ex eò, quod Angelus poſſit in inſtanti deſerere vnum locum adæquatum, & acquirere alium immediatum, & ſic deinceps acquirere etiam tertium, quartnm &c. & ſingulos per ſingulas mutationes inſtantaneas. Huic ſententiæ ſubſcribit Becanus prima parte tractatu de Angelis cap. primo qu. 6. concl. 3. & in ſententia docente dari aliquos motus inſtantaneos rectè infertur. Verum cum in phyſicis oſtenderim ex vna parte nullum motum poſſe eſſe inſtantaneũ indiuiſibilitate propriè, & rigorosè dicta; eoquod omnis motus intrinſecè, & eſſentialiter componatur ex ſubiecto, termino à quo, & termino ad quem, ex quibus neceſsè eſt, vt vnus ſuccedat alteri; & ex altera parte in rebus corporeis nullam dari entitatem verè, & realiter, ac propriè indiuiſibilem; manet ex hoc capite in hac ſententia non poſſe inferri diſcretionem motus Angelici, ſed ſolum primo modo. Dices, Angelus poteſt ſimul deſerere vnum totum locum, & acquirere totum alium immediatè proximum; ſed talis mutatio eſt inſtantanea, cum ſit tota ſimul; ergò Angelus poteſt in inſtanti ſe mouere, & mutare locum. Confirmatur, quia Angelus non habet partes; ergò poteſt ſe totum ſimul transferre de vno loco in alium locum proximum; ergò non eget tempore. ℞. diſtinguẽdo maiorem; poteſt deſerere totum locum ſimul itaut illa derelictio non componatur ex termino à quo, & termino ad quem nego; itaut componatur, tranſeat; Minorem pariter diſtinguo: talis mutatio eſt inſtantanea, inadæquatè, concedo, adæquatè nego; & ſic etiam diſtinguo conſequens inadæquatè enim dicitur moueri, ſeu motus, quatenus accipitur ſolum vnum, vel alterum ex componentibus motum, ideſt vel ſubiectum, vel aliquis ex duobus terminis;

nis; vel etiam duo, puta subiectum, & alter ex terminis; adęquatè verò, cum accipiũtur simul, & coniunctim subiectum, & duo termini; numquã possunt esse instantanea; sed necessariò inuoluitur successio, cum semper essentialiter requiratur negatio in vno, vel prò vno termino; qui habet oppositionem priuatiuam cũ alio termino, vt explicaui in primo tomo Philosophiæ naturalis cap. de motu; Aduerte tamen quod ly instãtaneè sumitur à me non in toto rigore, sed virtualiter, quatenus respectu nostri ita citò fit, vt naturaliter videatur; non posse fieri celerius; nam de cætero in rebus corporeis, siuè permanentibus siuè successiuis non admitto nec puncta, nec instantia formaliter indiuisibilia; sed solum virtualiter hęc dari censeo in continuo, vt suo loco dictum est.

Dico quinto. Angelum non posse naturaliter secundum præsentiam suæ substantiæ moueri de vno extremo in aliud extremum distans, quin transeat per medium. Est communis sententia in scholis eorum, qui tenent Angelum esse præsentem loco per suam substantiam; Est enim inintelligibile; quomodo Angelus naturaliter Roma discedens possit peruenire Constantinopolim, non transeundo per loca intermedia. Thomistæ verò, qui tenent Angelos nõ esse in loco, nisi per operationem transeuntem, facilè explicant eos posse hìc Romæ operari, & postea Constantinopoli nihil operando in medio.

Dixi naturaliter, quia non repugnat supernaturaliter dari talem motum; cum Christus Dominus in cælo existens passim fiat præsens in plurimis hostijs, non transeundo per medium; siue fiat per aquisitionem nouæ vbicationis solum, siuè per reproductionem, siuè alio modo; præterea plures Theologi censent totum sanguinem, ex quo corpus Sanctissimi Domini Nostri Iesu Christi formatum est, illicò fluxisse ad locum conceptioni destinatum non transeundo per loca media. Denique probabile est corpora Sanctorum glorificata posse transire ab extremo in extremum sine medio; Hoc Becanus loco citato probat ex lib. de cognitione veræ vitæ cap. 45. quem putat esse S. P. N. Augustini, sed re vera non est, vt patet ex censuris Louaniensium, & ex lib. Cardinalis Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiasticis; & idcircò in nouissimis impressionibus emendatissimis reijcitur in appendicem tomi 9. habetur enim in dicto loco *Quam citò nunc animus ab Oriente in Occidentem cogitatione peruenit, tam citò tunc illud corpus illuc peruenire poterit*. Dicit ibi Becanus S. P. hoc alibi docere, quod tamen adhuc non inueni. Ex dictis colligitur, diuinitus, seu supernaturaliter posse Angelos transire

sire de extremo in extremum non transeundo per medium nec etiam quoad præsentiam substantiæ.

CONTROVERSIA QVARTA

De intellectu, & cognitione Angelica.

AXIOMA PRIMVM

Angeli cognoscunt se ipsos per suam substantiam.

Ex lib. 11. de Ciuitate Dei Cap. 29.

ANgeli seipsos ibi melius, quam in seipsis, verumtamen, & in seipsis sciunt, facti sunt enim, & aliud sunt quam ille qui fecit.

DVBIA BREVIA

De intellectiua Potentia, & cognitionibus Angelorum.

DVbia sequētia hic colligo: quia de illis non habeo propria axiomata S. P. sed supponuntur ab eo, vt iam communiter nota, nec habere aliam difficultatem ab illis, quę in scholis de quacumque creatura intellectuali pertractari solent; eorum quædam hìc breuissimè attingo, eo quod viam parant ad ea, quæ postea in sequentibus difficultatibus sunt dicenda.

Primum est. Vtrum intellige re Angeli sit eius substantia. ℞. communiter negatiuè, quod probant

Thomistæ ex eo, quod nulla creatura potest esse sua actualitas; hoc enim est proprium actus purissimi, qualis est Deus; sed intellectio est actualitas Angeli; ergò non potest esse eius substantia. Hæc tamen ratio me non conuincit, eo quod non est certum, quod nulla creatura possit esse sua actualitas, in suo genere; nam de facto omnis forma simplex est sua actualitas; non est enim composita ex subiecto, & actualitate; alias non esset simplex, & oporteret dare processum in infinitum; ad illud, quod dicitur hoc esse propriũ actus purissimi; Respondeo esse proprium eius esse actualitatem purissimam carentem quacumque potentialitate tam subiectiua, quam obiectiua; quod non habet vlla creatura, cuicumque enim necessariò competit potentialitas obiectiua, idest non repugnantia ad esse, & ad non esse; nec diuinitus potest fieri, quod detur aliqua creatura, cui hæc non competat; alias non esset creatura, at hoc, quod est carere potentia subiectiua, optimè conuenit pluribus entibus creatis simplicibus, vt Angelo, & cuicumque formæ simplici; ac proindè, quemadmodum Angelus sibi identificat alia prædicata, & suasmet differentias, specificam scilicet, & indiuidualem, sic non videtur ex hoc capite repugnare quominus intellectio identificetur cum Angelo, si non de facto, saltem de possibili. Probant secundo quia si intelligere Angeli esset eius substantia, esset subsistens, & sic non posset esse, nisi vnum intelligere, siuè vna intellectio; ac proindè non posset assignari disparitas graduũ in intelligendo, ita vna intellectio sit perfectior quam altera; cum hoc contingat propter diuersam participationẽ ipsius intelligere. Contra hanc rationem stat, quod non repugnat intellectionem esse subsistentem, sicut non repugnat ipsam potentiam intellectiuam, vt identificatam cum ipsa substantia in sententia, quam ego sequor, & est S. P. esse subsistentem. Ad probationem ℞. non esse inconueniens dicere, quod tunc in vno quoque intelligente daretur vnum tantum intelligere; cum quo tamen stat, quod vna intellectio esset perfectior altera non quidem in vno, & eodem indiuiduo, sed in diuersis indiuiduis: quo pacto vnus Angelus est perfectior altero ratione differentiæ suæ essentialis, ac etiam indiuidualis. Probari posse fortius videtur ex eo, quod si intellectio Angeli esset eius essentia, semper esset in actu intelligendi omnia, quæ per totam æternitatem intelligit; sed constat ex Sacra Scriptura non esse semper in actu intelligendi ea omnia, quæ postea successiuè intelligit, habetur enim ibi vnum Angelum indicare alteri; quid agendum; ergò talis intellectio non est de substantia Angeli;

li; hæc tamen ratio non conuincit de quacumque intellectione, posset enim responderi sufficere ad intentum, quod aliqua intellectio identificetur cum ipso, vt intellectio Dei, vt primæ causæ, vel sui ipsius, à qua nõ potest cessare; propterea puto solum rationibus topicis suaderi intellectionem Angelicam nõ posse identificari cum illo, non autem ratione demonstratiua.

Secundum dubium est: Vtrum intelligere Angeli sit eius esse. Respõdent negatiuè Thomistæ, & probant, eoquod sequeretur, quod sicut esse Angeli est totum simul, ita, & esset totum simul eius intelligere respectu omnium intelligibilium; sed intelligibilia omnia sunt infinita; ergò etiam eius intellectio esset infinita. Maior est certa, quia vbi datur identitas inter duo prædicata, si vnum est totum simul, etiam alterum necesse est esse totum simul; nõ enim possunt identificari ens permanens, & ens successiuum: minor est etiam in confesso apud omnes; cum non possit assignari terminus in rebus intelligibilibus. Consequentia probatur, quia intellectio specificatur non solum à subiecto; sed etiam ab obiecto; ac proinde si hoc est infinitum, necesse est etiam intellectionem esse infinitam; quod non potest habere locum in Angelo, cum esse Angeli sit determinatum tam secundum genus, quam secundum speciẽ, quod non competit intellectioni Angelicæ, quę cum non sit in specie Angeli, sed possit essentialiter specificari ab omnibus speciebus entis, erit infinita, & indeterminata. Hæc ratio patitur magnam difficultatem, nam aliud est esse infinitum in essendo, aliud esse infinitum in repræsentando, & benè potest stare, quod aliquid sit finitum in esse, & quod sit infinitum in repræsentando, vt patet in visione clara Dei, qua repræsentatur eius infinitas in omnibus attributis, & perfectionibus Diuinis, & tamen ipsa est finita, & determinata in esse, & in genere cognitionis intellectualis, & in specie visionis. Præterea cum quæritur an intelligere Angeli sit eius esse, non est necesse, quod quæstio procedat de intellectione cuiuscumque obiecti, sufficeret enim ad verificandam conclusionem, si intelligere alicuius obiecti verbi gratia sui esset identificata cũ esse ipsius, esto intelligere aliarum rerum esset distinctum realiter ab ipso.

Tertium dubium est. An potentia intellectiua Angeli sit identificata cum eius essentia. Respondent etiam huic Thomistæ negatiuè, & probant ex dictis dubio præcedenti, eò quod intelligere Angeli non est eius esse; ergò nec etiam potentia intellectiua; probant consequentiã, quia diuersis actibus adęquatis, idest specie differentibus correspondent

pro-

propriæ potentiæ adæquatæ, & realiter inter se contradistinctæ. Contra hunc discursum stat, quod non semper requiritur tanta distinctio in principijs, quanta est in principiatis, siuè in effectibus: quapropter, cum, vt dixi in tertio tomo Philosophiæ naturalis cap. de potentijs animæ, sit expressa sententia S. P. quod potētiæ animę non distinguuntur realiter ab ipsa anima, prout se tenent ex parte ipsius, præscindendo ab organis; vnde potentiæ vegetatiuæ, & sensitiuæ inadęquatè sumptæ identificantur cum substantia ipsius animæ; Potentiæ verò spirituales adæquatè omninò sunt idem cum ea, & solùm interuenit distinctio virtualis ratione quantitatis virtutis ipsius animę, & diuersorum connotatorum ex parte terminorum; sic pariter in pręsenti philosophandum est de potentijs spiritualibus ipsius Angeli, tantò magis, quod etiam in rebus corporeis, in quibus datur maior diuersitas, & multiplicitas, quam in spiritualibus, idem luminosum illuminat, calefacit, & exsiccat, & eadem substātia corporea producit in se suas proprietates physicas realiter ab ipsa substantia distinctas; vt patet in aqua, quæ reproducit in se suam frigiditatem amissam, suam fluiditatem post quam fuit congelata, suam humiditatem &c. & tamen est vna, & eadē potentia aquæ, per quam producit hæc accidentia propria in se ipsa; nàm aliàs opporteret dare processum in infinitum; ergò similiter Angelus per potentiam intellectiuam identificatam cum sua met substantia poterit producere intellectionē realiter à se ipso contradistinctam.

Quartum dubium est; Vtrum detur in Angelo intellectus agens, & intellectus possibilis. Respondent Thomistæ negatiuè: eoquod nulla est necessitas ponendi intellectum agentem in Angelo; cùm enim iste detur ad reddendas, seù producendas species spirituales, & proportionatas adhoc, vt intellectus possibilis possit exire in suum actum, & Angelus non accipiat species materiales ab obiectis, quę postea sint reducendæ ad esse spirituale, sed immediatè à Deo in sua creatione eas acceperit infusas, nulla est necessitas ponendi huiusmodi potentiam intellectualē agentem; discursus iste esset optimus, si esset certum Angelos numquam accipere species ab obiectis: sed de hoc est difficultas magna; nā Scotus in secundo dist. 3. quęst. vltima Ricardus qu. 6. & noster Greg. Ariminensis dist. 7. qu. 5. sentiunt Angelos accipere species ab obiectis; nihilominus.

Dico probabilius esse in Angelis non esse intellectum agentem propriè dictum. Probatur ex communi consensu aliorum Theologorū, & ex prędicta ratione; cum intelligant omnia obiecta per species immateriales sibi

sibi à Deo infusas, siuè concreatas, non verò à rebus acceptas; hoc enim, quod est accipere species à rebus corporeis, arguit magnam imperfectionem in cognoscente; quæ non debet admitti in natura spirituali perfectiori quolibet ente corporeo. Aliqui dicunt nec etiam dari in eis intellectum possibilem propriè dictum, eò quod à principio creationis semper sunt in actu secundo intellectionis sui, & Dei; ac etiam plurimorum aliorum obiectorum. Si dicas in ordine ad multa alia obiecta esse in potentia tam in ordine ad actum secundum, quam in ordine ad actum primum, & consequenter saltem sub hac ratione posse dici habere intellectum possibilem. Respōden: intellectum possibilem propriè dici in ordine ad intellectum agentem, quo carent; nam etiam in ordine ad hæc obiecta, ad quę sunt in potentia, non formarent sibi species, quando ea deberent intelligere; sed acciperent formatas, & infusas ab ipso Deo, vel etiam forte ab alijs Angelis; & prętereà intellectus Angeli non est pura potentia in ordine intelligibilium, cum possit ab omni actu cessare; æquiuocè verò admittunt posse dici habere intellectum possibilem, eo quod naturaliter possint recipere, & producere suam intellectionem Quæstio ista, vt vides, est de voce; posito enim, quod nomine intellectus possibilis veniat solum, & propriè qui habet respectum ad intellectum agentem, à quo recipiat species depuratas, & redditas spirituales; certum erit non esse in illis intellectum possibilem propriè dictum, posito quod dicatur eos recipere quascumque species à Deo. Si verò dicamus nomine intellectus possibilis venire quamcumque potentiam intellectualem creatam recipientem quemcumque actum ordinatum ad cognitionem, siuè sint species impressæ, siuè verbum mentis; vt prptereà dicatur etiam intellectus passibilis à patiendo, idest à recipiendo actum secundum, siuè formam aliquam spiritualem, siuè hanc receperit à principio suæ creationis, siuè postea; in hoc sensu nulla est difficultas posse admitti in eis intellectum passibilem, siuè possibilem propriè dictum.

Dices primò cum Scoto contra primam partem nostræ assertionis. Intellectus agens est quędam perfectio naturæ humanæ; ergò non debet denegari Angelo, qui est natura perfectior. Probatur consequentia; Natura perfecta debet habere virtutes, & facultates, quibus possit acquirere sibi suas perfectiones, & exire in actus secundos sibi proportionatos; sed cognitio plurium obiectorū verbi gratia vniuersalium, & singularium est actus proportionatus naturæ Angelicæ, & non potest in eam prodire, nisi habeat intellectum

ctum agentem, ſicut non poſset humana, ſi eum non haberet; ergò omninò neceſsè eſt ponere etiam in Angelo intellectum agentem. Minor in qua eſt difficultas, probatur; quia ſingularia in qualibet ſpecie ſunt innumerabilia, & cognitio diſtincta vniuerſalium, qualis eſt illa Angeli, quæ non eſt confuſa, continet, & includit, vel ſaltem neceſsariò ſupponit cognitionem omnium, & ſingulorum indiuiduorum; ſed horum omnium non habent Angeli ſpecies inditas; cum hæc ſint innumerabilia; ergò debent habere principium, per quod poſſint acquirere ſpecies impreſsas proportionatas, quibus poſſint exire in actum cognoſcitiuum illorum; hoc non poteſt eſse, niſi intellectus agens; ergò omninò neceſſe eſt ponere in illis intellectum agẽtem. Reſpondent Thomiſtæ; intellectum agentem non pertinere ad perfectionem ſimpliciter naturæ humanę, ſed ad perfectionem eius, quatenus eſt natura imperfecta; immò in genere creaturarum intellectualium imperfectiſſima, cum in tali ordine ſit pura potentia, & vt eſt pura potentia ſubiectiua, & actiua, ſed incompleta ſit acquiſitiua proprię perfectionis, & complementi, per quod poſſit exire in actus ſecundos; propterea vt eſt in potentia ad illud ſupponit eius abſentiam, quod importat imperfectionem. Ad probationem reſpondent; naturam Angelicam habere à principio omnem perfectionem completam in ratione principij actiui, & ideò non indigere virtute ad illam acquirendam, ſicut indigent aliæ naturæ, quæ poſsũt carere ſuis perfectionibus, vel complementis eorum, vel quæ non habent à principio ſuæ productionis omnem ſuam perfectionem, ſed debent illam acquirere paulatim.

Dices ſecundo. Si in Angelo nõ datur intellectus agens, hoc maximè erit, quia in eo ſemper intellectus eſt in actu, & eius obiectum eſt ſemper intelligibile in actu; ſed vtrumque eſt falſum; ergò &c. Prob. Minor, quia Angelus non ſemper intelligit ea omnia, quæ poteſt intelligere, & eius obiectum non ſolum comprehendit res immateriales, ſed etiam materiales, & corporeas; quæ cum ſint intelligibiles ſolum in potentia, poſſunt per intellectum agentem fieri intelligibiles etiam in actu; ergò &c. Reſpondent Thomiſtæ cũ Caietano prima parte qu. 54. art. 8. dub. primo ſufficere, quod ſit ſemper in actu reſpectu aliquorum intelligibilium; eius enim obiectum primarium eſt quidditas immaterialis; & motiuum, quod eſt primum obiectum reſpectu Angeli, habet rationem, & obiecti, & ſpeciei intelligibilis, quod eſt ipſa eſſentia Angeli; non ſic ſe habet res in ordine ad cognitionem noſtram pro hoc ſtatu; nam obiectum motiuum animæ rationa-

tionalis vnitæ corpori ſecundum ordinarium, & naturalem modum intelligendi eſt res materialis, quia nihil poſſumus nunc intelligere quidditatiuè, niſi naturas rerum ſenſibilium; obiectum verò terminatiuum ſemper eſt cum dependentia à phantaſmatibus, vt docet Ariſtoteles lib. 3. de anima textu 30. non ſic eſt de Angelo, qui intelligit per ſpecies immateriales, & independentes à ſpeciebus ſenſibilibus. Hoc, quod mihi videtur difficilè in hac ſententia, eſt, vndè habeatur, quod Angeli omnia omninò obiecta intelligant per ſpecies inditas à Deo, & nulla omninò per ſpecies ab ipſis rebus acceptas; ſi enim dicas hoc haberi ex perfectione ipſius naturæ Angelicæ; contra eſt, quia eſt quid perfectius poſſe intelligere vtroque modo, quam vno tantum modo; tantò magis, quod nulla ſufficiens aſſignatur repugnantia, propter quam neceſſariò ſit dicendum ſuprà illum modum perfectiorem non poſſe Angelum habere hunc alium, eſto minus perfectum; & præterea intra idem genus rei qui poteſt id, quod eſt perfectius, poteſt etiam id, quod eſt minus perfectum, vt verbi gratia qui poteſt producere octo gradus lucis, vel caloris, poteſt etiam producere duos vel tres, eſtò iſti ſint quid minus perfectum, quam illi; ſed de hoc infra redibit ſermo.

Dubium ſecundum eſt: an in Angelis detur alia cognitio præter intellectiuam. ℞. negatiuè. Probatur primò quia: Angeli non habent corpora ſibi naturaliter vnita, quorum ſint formæ ſubſtantialiter ea informantes, per quæ poſſint habere cognitionem ſenſitiuam. Dices, quod ſicut poſſunt exercere alias operationes vitales, vt loqui, generare, ambulare, manducare, &c. in corporibus aſſumptis, ſic etiam poterunt exercere cognitionem ſenſitiuam. ℞. iam ſupra in ſecunda Controuerſia dictum eſſe: Angelos non exercere propriè illas operationes vitales, quæ intrinſecè, & eſſentialiter vitales ſint, ſed ſolum quoadmodum; ac proindè ſicut non poſſunt illas, ſic nec etiam poſſunt exercere iſtas. Probatur ſecundò, quia ad ordinem vniuerſi ſpectat, vt ſicut dantur ſubſtantiæ totaliter corporeę, ſic etiam dentur ſubſtantiæ totaliter ſpirituales, & intellectiuæ, & non ſolum partialiter, vt eſt homo, cuius cognitio alia eſt intellectiua, alia ſenſitiua; ideo enim Angelus vocatur mens, & intellectus, ac etiam intelligentia abſolutè, non ſic homo.

AXIOMA SECVNDVM

Medium cognitionis Angelicæ sunt species à Deo inditæ.

Ex Lib. 2. de Gen. ad Litteram Cap. 8.

Cætera, quæ infra Angelos sunt, ita causantur, vt prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo, &c. conditio verò cæli prius erat in Verbo Dei secundum genitam Sapientiam; Deinde facta est in creatura spirituali, hoc est in cognitione Angelorum, secundum creatam illis sapientiam: deinde quod Cælum factum est, vt esset etiam ipsa Cæli creatura in genere proprio &c. Neque enim sicut pecora solo sensu corporis vident Angeli hæc sensibilia, sed si quo sensu tali vtuntur, agnoscunt ea potius, quæ melius nouerunt interius in Dei Verbo, à quo illuminantur, vt sapienter viuant· cum sit in eis lux, quæ primò facta est, si lucem spiritualem in illo die factam intelligamus. Quemadmodum ergò ratio, qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei, quam in ipsa creatura, quæ conditur: sic & eiusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est, ac deinde ipsa conditio creaturæ, postea in genere proprio. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerent, qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate sancta, & pia contemplatione perfruuntur, atq; indè ista despicientes, secundum id, quod intus vident, rectè facta approbant, vel peccata improbant. Nec mirum est, quod Sanctis Angelis suis in prima lucis conditione formatis prius Deus ostendebat, quod erat deinceps creaturus.

D V B I V M

Quodnàm sit medium cognitionis Angelicæ.

SEnsus quæstionis est, an essentia Angeli sit illi ratio intelligendi omnia, an verò requiratur aliquid aliud, nempe species, & quales debeant

beant esse, si acquiruntur, & vndè, vel à quo acceptę, an scilicet ab obiectis, vel à Deo.

Præmitto primo: ad cognitionem requiri vnionem potentię cum obiecto; cum enim sola potentia non sufficiat, eòquod sit indifferens ad quã cumque cognitionem specificam, necessariò debet simul cum illa vniri obiectum, vt illam in actu compleat, & vltimò determinet ad hanc cognitionem specificam, & non ad aliam; propterea S. P. Augustinus lib. 9. de Trinitate cap. vltimo docet à duobus oriri cognitionem, à cognoscẽte scilicet, & ab obiecto.

Premitto secundo: hanc vnionem fieri ab obiecto, vel distante, vel improportionato mediante specie, quę vices gerat ipsius obiecti, tum quia potentia est indeterminata, & non potest determinari à tali obiecto, puta materiali, neque secundum suã entitatem; quia potest esse, quod tale obiectum non existat, & tamen habeatur eius cognitio; neque in ratione termini, eòquod hæc ratio est posterior intellectione, & determinatio actiua obiecti respectu intellectus debet præcedere intellectionẽ, cum sit ex prærequisitis ad illam; tum quia cognitio fit per assimilationem ab, & cum obiecto; cognoscere enim est idem, ac exprimere in se vitaliter imaginem rei cognoscendæ; ac proinde potentia cognoscitiua debet habere in se formam, per quã formet in se talem similitudinem, & imaginem obiecti, quæ in tali casu nulla alia potest esse præter ipsam speciẽ intelligibilem, quę est virtualis imago ipsius obiecti; cum enim intellectus non sit similis de se rebus ipsis cognoscendis, non potest producere talem imaginem; de ratione enim imaginis propriè dictæ est, vt procedat ab eo, cuius est imago, vt habet expresse S. P. N. lib. quæst. in Deuter. qu. 4. & lib. 83. quæstionum qu. 74. vbi hoc probat, quia ouum est ouo simillimum, & tamen neutrũ est alterius imago, quia neutrum ab altero procedit. Cum igitur cognitio sit imago obiecti, necessariò debet procedere ab illo effectiuè, & cũ non possit procedere ab illo secundum suum esse materiale, vt patet, quia improportionatum est; neque secundum esse terminatiuum, vt dictum est; manet quod procedat secundum esse intelligibile, & consequenter per species. Hæc doctrina est cõmunis in scholis, exceptis Nominalibus, & Durando, ex quibus iste in secundo dist. 3. qu. 6. nu. 17. docet obiectum non concurrere effectiuè ad intellectionem intuitiuam, sed solum intellectum; eo modo, quo in eius sententia posito sensibili in actu sequitur sensatio absq; alio concursu sensibili: illi verò ex doctrina Okami in secundo dist. 15. conclus. prima, & in solutione qu. 14. paragrafo *hisvisis:* cum quo sentiũt

alij eius Sectatores ideſt Noſter Gregor. Ariminenſis diſt. 7. qu. 5. artic. 1. concl 1. Baſſolis qu. 3. paragrafo dicoigitur; & Gabriel qu. 2. art. 2. & 3. aſſerunt ſolam præſentiam rei in ſe, vel in ſua cauſa ſufficere ſine vlla præuia vnione, & ſinè vlla ſpecie ad hoc, vt res quæcumque; ab Angelo cognoſcatur, cum quo tamen admittunt obiectum ipſum ſimul cũ intellectu concurrere ad intellectionem intuitiuam;ad abſtractiuam verò dicunt concurrere habitum remanentem ex intellectione intuitiua; quę omnia conuincuntur falſitatis ab ipſa indifferentia potentiæ, quæ non poteſt determinari ab obiecto diſtãti,niſi velimus naturaliter dare actionem in diſtans; neq; ab obiecto improportionato, quale eſt corporeũ, quod cum ſit inferioris ordinis non poteſt eſſe principium effectus ſpiritualis, qualis eſt intellectio, vt cauſa principalis: his poſitis.

Dico primo: Angelos non cognoſcere omnia per ſuam eſſentiam, ſed per ſpecies ſuper additas. Hæc ſententia eſt communis non ſolum in ſchola S. Tho. qu. 55. prima parte artic. primo, 2. & 3. ſed etiam S. Bonauenturæ, Scoti, B. Egidij Noſtri in ſecundo diſt. 3. & Noſtri Ferrarienſis lib. 3. contra gentes c. 96. & hanc puto eſſe ſententiam expreſſam S. P. N. in hoc axiomate, cum docet prius res eſſe conditas in cognitione Angelica, quam in genere ſuo;quod vt ſit verum, neceſſe eſt,vt ibi fuerint productæ ſpecies,& imagines harum rerum,vt determinaretur eorum potentia indifferens ad dictam cognitionem, & ſapientiam, maximè in primo,& ſecundo inſtanti, in quibus non viderunt diuinam eſſentiam,& tamen cognouerunt res corporeas, & materiales, vt conſtat ex prælio inter S. Michaelem,& Draconem. Probatur hæc aſſertio primo auctoritate S. Dionyſij, qui in libro de Diuinis nominibus cap. 4. ait *diuinas mentes intelligere præſtanti modo*,quem modum explicans ſubdit, *& eorum, quæ ſunt, rationes diſcunt diuina ſibi accomodata illuſtratione.* quo loco loquitur de cognitione obiectorum naturaliter cognoſcibilium, & hæc docet cognoſci per illuſtrationem diuinam accommodatã naturæ Angelicæ, quod aliter intelligi non poteſt, niſi quod cognoſcantur non per ſpecies tranſmiſſas, ſed à Deo infuſas: vbi aduerte S. Doctorem habere; Angelos *illuminari rationibus rerum*:quem locum communiter explicant, quod per ly rationibus rerum veniant ſpecies;& Abbas Camaldulenſis in ſua traductione ſic vertit: *cognoſcere eas res diuinis illuſtrationibus ſibi accommodatis.* Probant ſecundo Thomiſtæ communiter ex eo,quod nulla forma completè perficit aliquam potentiam, niſi contineat,ea omnia, ad quæ ſe extendit illa potentia, vt patet in quacũque

que

que forma substantiali respectu materiæ; sed essentia Angeli non continet sub se omnia, quæ potest Angelus intelligere, cum sit determinata ad genus, & speciem, & prætereà hoc sit proprium diuinæ essentię propter suam infinitatem; ergò essentia Angeli non est illi forma adæquata, per quam possit cognoscere omnia. Hæc ratio patitur instantiam ex eo, quod aliud est cõtinere in se alia entitatiuè, aliud est continere ea repræsentatiuè; nam benè potest stare, quod aliquid contineatur in determinato genere, & determinata specie, & tamen representet illud, quod entitatiuè non continet, sic enim homo, licet sit sub determinata specie, nihilominus representat Deum, cuius est imago, quem tamen non continet entitatiuè. Probatur tertio, quia si essentia Angeli posset representare omnia veluti species illorũ, vel id esset, quia ex natura sua est per se ordinata ad representandum tanquam semen omnium obiectorum naturalium, vel quia est superioris ordinis continens inferiora per modum exemplaris eminentioris: vel quia habet necessariam connexionem causæ, vel effectus cum omnibus rebus naturalibus: his enim tribus modis potest concipi; quod vna res aliam intelligibiliter representet; sed nullo ex his modis potest essentia Angeli intelligibiliter representare omnia obiecta materialia: ergò repugnat ei representare omnia. Probatur minor discurrendo per singula. Primo namque modo non potest representare propter suam perfectionem; cum enim sit substantia, quæ est ens ad se, & substantia completa, & inter completas creaturas perfectissima, non potest esse facta propter alia, sed propter se, & propter suam perfectionem. Neque secundo, quia talis modus representandi propter suam maximam perfectionem superat perfectionem substantiæ Angelicę; res enim, quæ representat omnia per modum exemplaris eminentioris, requirit, vt sit causa exemplaris omnium, ac proinde quod ille, cui competit talis modus, sit causa efficiens omnium; exẽplar enim non est nisi in artifice; vnde necessariò talis res omnes alias res eminenter continens est Deus: hoc enim est proprium solius diuinæ essentiæ. Adde, quod essentia cuiusque Angeli constituitur ex genere, & differentia; & differentia vnius Angeli obstat, quo minus representet alium, vel alios Angelos; cum enim sit ratio formalis differendi, & consequenter dissimilitudinis, non potest esse ratio formalis conueniendi in similitudine, & representatione. Sed neque tertio modo ei competere potest; cum substantia Angeli neque sit causa efficiens omnium rerum, cum non possint esse rerum conditores, vt passim docent

P. P.

P. P. & Scholastici cum S. Patre, & S. Io: Damasceno; neque sint effectus aliarum rerum, sed solius Dei; ergò nullo modo possunt repræsentare per suam essentiam alia omnia. Hæc ratio reddit hanc sententiam valde probabilem; verum & ipsa patitur suas difficultates, & primò quia non est necesse, quod omne id, quod representat aliquid, vt species illius, sit vel semen obiectorum, vel exemplar eminentioris ordinis, vel quod habeat connexionem causæ, vel effectus, sed sufficit, quod habeat aliquam similitudinem cum illo, vt patet in imaginibus artefactis, quæ representant id, ad quod sunt factæ, & tamen nihil ex illis tribus eis competit. Præterea infringi videtur vis huius argumẽti in specie impressa Dei, quam possibilem esse plures Scholastici concedunt, & tamen ista deberet representare idæam omnium rerum, quæ sunt producibiles, cum Idæa sit attributum formale ipsius Dei, & consequenter representare omnes res, & tamen est accidens, & est ens creatum, & hanc representationem non haberet, ab vllo ex illis tribus enumeratis capitibus. Hæc suadent mihi hanc rationem non habere vim demonstrationis, sed nihilominus stante cõmuniori consensu scholarum, & auctoritate S. P. N. & S. Dionysij puto hanc sententiam esse probabiliorẽ, eò maximè, quod constat ex Scripturis, Angelos non cognoscere ex se omnia; sed quandoque illuminatos ab alijs ad cognoscenda ea, quæ antea non cognoscebant.

Dices cum Altisiodorensi; qui in lib 2. summæ tract. 5. cap. 4. tenet oppositum. Angelus per suam essentiam potest intelligere omnia, non quidem semper actu, sicut Deus, sed quando vult, modo vnam rem, modo aliam; ergò poterit etiam illa representare. Probatur consequentia; quia illud est perfectius, quam istud; Confirmatur auctoritate S. Dionisij lib. de diuinis nominibus cap. 7. vbi, cum dixisset Deum cognoscere res per suam essentiam, tamquam per causam rerum omnium, de Angelis postea subdit, etiam illos ea, quæ fiunt in terra, scire, non quod ea sensibus cognoscant, licet sub sensu cadant, sed mentis suæ diuinam speciẽ præferentis vi, atque natura; & de hominibus postea docet illos intelligere per imagines, & similitudines, in quibus assertionibus, cum dicatur Angelos eodem modo intelligere res quo Deus eas intelligit, sequitur, quod eas intelligant per suam essentiam. ℞. ad hoc argumentum: essentiam Angeli non esse sufficiens principium proximum intelligendi sinè specie; ad probationem consequentiæ negatur absolutè, illud esse perfectius; nam ad illud sufficit ens limitatum, ad hoc verò requiritur ens illimitatum, & indefinitum: ad Confir-

matio-

mationem. ℞. S. Dionysium ibi solum comparare Angelum Deo in perspicacitate intellectus, quatenus & ipsi intelligunt sine discursu, & intuentur effectus in causis,& conclusiones in principijs,quod tamen semper debet intelligi seruata proportione, & praeterea etiam in eo, quod neuter intelligit per species acceptas à rebus, sicut intelligit anima nostra, pręsertim in cognitione Dei, de qua ibi loquitur S. Doctor.

Dico secundo: Angelos intelligere per species ab initio creationis à Deo illis inditas,& non per acceptas à rebus. Hæc sententia est S. Tho. prima parte qu. 55. artic. 2. Caietani, & Bannez Rib: Nostri Ferrariésis lib. 2. contra gentes cap. 96. nostri Thomæ de Argentina in secundo dist. 3. qu. 2. artic. 4. S. Bonauenturæ artic. 2. qu. prima Capr. qu. 2. artic. 1. nostri B. Egidij in secundo qu. 2. dub. 1. artic. secundo Heruei ibidem qu. 4. artic. 3. & Alberti magni de quatuor coęuis puncto primo qu. 3. artic. 12. est tamen contra Scotum in secundo dist. 3. qu. 11. Ricardum ibi artic. 6. qu. 2. Maiorem q. 7. Bassol. qu. 4. artic. 2. & 3. Marsil. qu. 7. artic. primo conclusione 8. & 9. asserentes in Angelis esse quidem species innatas rerum vniuersalium, & singularium incorruptibilium simul cum Angelis creatorum, non autem eorum,quæ post condita fuerunt, vt sunt animę rationales,& singularia materialia. Horum argumẽta infra adducentur, & soluentur; Pro nunc probatur nostra sententia, primò auctoritate Sacræ Scripturæ Ezech. cap. 28. vbi de Angelo, qui cecidit in persona Regis Tyri dicitur, *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, perfectus decore, perfectus in vijs tuis à die cöaitionis;* quod dici non posset, si Angeli acciperent species à rebus, cum talis acceptio fiat in tempore. Probatur secundo auctoritate S. S. P. P. & primo S. P. N. Augustini, qui in axiomate præsenti docet cætera, quæ infra Angelos sunt, ita creata fuisse à Deo, vt prius fierent in cognitione rationalis creaturæ; quod nequit esse, vt supra dictum est, nisi per infusionem specieũ, maximè pro illis instantibus, in quibus fuerunt viatores. Similiter S. Dionysius lib. de diuinis nominibus cap. 4. idem docet, vt dictum est in præcedenti axiomate, & cap. 7. de cælesti Hierarchia dicit Angelos non comparare scientiam à rebus diuisibilibus, & sensibilibus; sic etiam S. Io. Damascenus lib. 2. de fide Orthod. cap. 3 vbi ait Angelos, qui sunt secunda lumina, non indigere lingua, nec auditu, quia suscipiunt illuminationem à primo lumine. Probatur tertio ratione, quia si Angelus acciperet species à rebus præsentibus, vel id fieret, quia solæ res præsentes sunt causa totalis, & perfecta specierum in intellectu Angeli, vel

quia

quia sunt causæ partiales simul cum intellectu concurrentes, vel deniq; quia solus intellectus ad præsentiam rerum species illas producit, neque enim potest fingi alius modus; sed nullo ex his modis potest Angelus accipere species ab obiectis; ergò &c. Probatur minor discurrendo per singulos. Non potest primo modo, quia nulla res materialis potest agere in rem spiritualem, vel habere effectum, aut actionem spiritualem, propterea enim in nobis ponitur intellectus agens, quia phantasmata sunt corporea, & intellectus passibilis, & eius operationes sunt spirituales, & hoc præsertim verum est, si agat, vt causa totalis, quemadmodū fieret in proposito; nam deberet esse causa, vel vniuoca, vel æquiuoca respectu talis actionis, vel effectus, quorum neutrum potest illi competere, tum quia licet obiectum esset spirituale, adhuc non posset producere tales species; ergo multò minus si est corporeum; Angelus enim superior intelligit inferiores, ac etiam animas rationales, & tamen nec istæ saltem dum sunt in corpore habent talem actionem; & perfectio naturæ Superioris, qualis est intelligere in Angelo superiori, non debet dependere à natura inferiori; cum autem eodē modo intelligant inferiores, ac superiores, si superiores non intelligunt per species acceptas, nec etiam inferiores intelligent. Neque secundo modo, nam vel essent causæ partiales propria virtute, & hoc non potest esse propter rationem allatam, vel in virtute intellectus Angelici, tamquam instrumenta eleuata ab illo; & neque hoc potest esse; nam Angelus inferior intelligit superiorem, & tamen Angelus superior non est instrumentum inferioris in vlla actione: ratio enim instrumenti arguit imperfectionem, idest dependentiam, quæ non est ponenda in Angelo superiori respectū inferioris; præsertim in propria perfectione, qualis esset intellectio. Neque tertio modo, tū quia si Angeli possent accipere cognitionem à rebus, multò magis hoc possent animæ separatæ, in quibus certius est esse intellectum agentem; sed hoc istæ non possunt; ergò nec illi; in quibus communiter non admittitur. Minor probatur, quia si hoc possent animæ separatæ, naturaliter possent cognoscere ea, quæ post ipsarum separationem fiunt in terris, quod tamen non posse sinè reuelatione Dei immediata, vel mediata per Angelos docent communiter S.S. Patres, & præcipuè S.P. N. Augustinus lib. de cura pro mortuis à cap. 13. vsque ad 16. vbi dicit hoc constare ex Sacra Scriptura, & cum eo sentit S. Greg. Magnus lib. 12. moral. cap. 13. & hoc supponit vt certum Concilium Senonense in decreto Fidei cap. 13. vbi ait animas Sanctorum, ideò cognoscere orationes

nes

nes nostras, quia illis est peruium diuinitatis speculum; tum quia accipere species à rebus necessariò inuoluit actionem aliquam obiecti, vt patet in nobis; quia aliàs non esset ratio, cur anima per intellectum agentem produceret potius hanc speciē, quam aliam ad præsentiam plurium obiectorum; ratio enim determinationis est, quia species accepta ab obiecto præcedit in sensu ab ipso obiecto producta; tum quia si intellectus produceret tales species, vel eas produceret necessariò, vel liberè; non primum, quia illas ab initio creationis debuisset producere, & non successiuè, vt volunt aduersarij; præsentia enim obiecti, quam dicunt requiri, quæ est successiua, est impertinens ad talem productionem; cum nullam efficientiam præbeat intellectui, nec illum iuuet, aut moueat ad talem productionem; nec secundū, idest liberè, quia non potest Angelus liberè applicare suam virtutem in incognitum, & ante productionē speciei non cognoscit vllum obiectum; ergò non potest liberè se determinare ad productionem speciei huius obiecti, & non alterius. Denique, quia secundum ordinem intellectuum statuendus est ordo intelligibilium; sed ea, quæ sunt intelligibilia in actu, sunt superiora intelligibilibus in potentia, vt sunt omnia intelligibilia à sensibus accepta; ergò cum hæc spectent vt obiectum proportionatum ad intellectum nostrū, non hæc, sed illa pertinebunt ad Angelicum superiorem nostro; & consequenter non poterit Angelus accipere species à rebus, sed à Deo, & non eo tempore, quo singularia producuntur; nam cum illorum præsentia sit impertinens ad productionem talium specierum, esset superuacaneum expectare tale tempus, & interim priuare Angelos tanto splendoris ornatu, cuius sunt capaces; in instanti ergò conditionis suæ has habuerunt, vt admittunt Auctores supradicti, & eorum Scholæ, vt sic verificetur dictum Ezechielis loco supracitato. Probant etiam Thomistę, quia modus operandi, & acquirendi propriam perfectionem consequitur modum essendi; sic enim animæ rationales, quæ sunt formæ corporum, suam interiorem perfectionem intelligibilem accipiunt; alioquin frustra illis vnirentur; sed Angeli in suo esse subsistunt independenter à corpore; ergò & independenter ab illo suam perfectionem intelligibilem à Deo cum natura accipiunt. Hæc ratio est valde probabilis, sed tamen non omninò conuincit, non enim sequitur necessariò, quod non possint etiam hanc perfectionem inferiorē illa habere: & maximè, si poneretur, vt aliqui ponunt, potentiam spiritualem cum ipsis speciebus sensibilibus posse producere intellectionem, eò quod illæ possint eleuari, vt

instrumenta ipsius potentiæ. Verum stantibus supradictis rationibus, & auctoritatibus manet, quod hoc esset frustra illis concessum.

Dices primò cum Scoto, & alijs supracitatis Doctoribus: lumen Angelicum est efficacius, quam lumen animæ rationalis; sed hoc potest abstrahere species; ergò & illud. Maior, & minor sunt certæ. Consequentia probatur, nam quod potest virtus inferior potest superior; præsertim cũ talis modus operandi non repugnet Angelis, & iudicetur magis naturalis, quam per infusionem à Deo. ℞. non esse proportionem inter intellectum Angelicum, & res sensibiles, vt per illum efficiantur intelligibiles actu, ac proinde talem modum operandi repugnare Angelo, non verò animæ coniunctæ; quæ facit tales species præsuppositis alijs in sensibus, quibus carent Angeli. Hæc responsio est S. Tho. qu. 8. de Veritate artic. 9. ad 8. Addunt allij oriri ex maiori perfectione Angeli, quod Angeli non possint cognoscere per abstractionem specierum à rebus, hoc enim arguit gradum superiorem in natura intellectuali, & omnimodam independentiam à Natura imperfectiori, & inferiori, sicut accipere cognitionem à rebus arguit infimum gradum; perfectius est enim intelligere per species acceptas à Deo, quã à rebus. Hoc confirmari potest exemplo operationum sensibilium, & corporearum vitalium, quas propriè, & in rigore quoad substantiam non posse Angelos exercere; non arguit imperfectionem in illis, sed maiorem perfectionem, & superioritatem gradus essendi, & modi operandi.

Dices secundo: species istę se habent æqualiter ad præsentia, & ad futura, sed scientia Angelorum non se habet hoc modo erga illa; cognoscunt enim præsentia, & futura ignorant, naturaliter loquendo: ergò species horum accipiunt ab ipsis, cum aliundè non possit prouenire differentia ista. ℞. has species à Deo inditas non repreſentare nisi singularia existentia; eoquod hæc solum sint similia speciei Angelicę, non verò eadem, vt sunt futura: oritur enim ex triplici capite, quod aliquis nunc sciat ea, quæ antea ignorabat; idest vel ex eo, quod nunc habet speciem eius, quam antea non habebat, vel quia res illa nunc est similis formæ repreſentanti, & antea non erat, vel quia licet antea esset similis, non tamen ex ea poterat elici cognitio huius rei, nisi mediante lumine superiori confortante intellectum, quo pacto ex ijsdem formis existentibus in phautasia, superueniente lumine Prophetiæ, eliciuntur aliquæ cognitiones, quæ lumine naturali elici non poterant; vide S. Tho. loco citato de Veritate.

Dices tertio: Species illæ Angelicæ aut sunt proprię passiones, aut à

Deo infusæ: non infusæ, quia sic essent formæ supernaturales; sed neq; possunt esse proprietates, istæ enim sunt determinatæ, & secundum determinatam inclinationem naturæ; sed species angelicæ non sunt determinatæ; ergò non possunt aliundè, quam ab obiectis haberi: minor probatur, quia si loquamur de speciebus rerum creatarum, vel creandarum, istæ non possunt esse naturaliter, sed ex sola Dei voluntate determinatæ, qui voluit potius has, quam illas substantias creare; si verò loquamur de speciebus rerum possibilium, multò minus ad istas intellectus Angelicus est naturaliter determinatus, quia non est maior ratio, cur sit potius determinatus ad has, quam ad illas; quapropter ad omnes naturaliter inclinaretur; & sic Angelus vel haberet omnes illas, & sic essent infinitæ, vel aliquibus, immò infinitis careret contra naturalem propensionem: Hæc sunt absurda; ergò & id vnde sequuntur. ℞. cum nostro Ferrariensi lib. 4. contra gentes cap. 98. quem sequuntur communiter Thomistæ, species intelligibiles Angelorum nō esse verè, & propriè passiones naturæ ipsorum; Primo quia, si essent, haberent necessariam, & naturalem connexionem cum ipsa natura Angelica, & emanarent naturaliter ab illa. Secundo, quia alias non possent naturaliter alio modo produci, quam per emanationem; Tertiò quia essent omninò inuariabiles, vt sunt omnes aliæ passiones propriæ aliarum rerū: quæ omnia patet non habere locum in illis speciebus, tantò magis, quod se tenent ex parte obiecti, non verò ex parte naturæ: Dicuntur tamen ab aliquibus proprietates, & passiones Angelorum, minus propriè sumendo nomen passionis, & proprietatis, & non in toto rigore; quatenus scilicet habent quasdam conuenientias cum alijs passionibus; & primò quidem, quia simul producuntur cū ipsis Angelis ab eodem efficiente, idest à Deo, vt auctore naturæ, & secundum ordinem prouidentiæ naturalis, vt docet S. Tho. prima parte qu. 85. artic. primo ad tertium, & sunt Angelis debitę tamquam complementa propriæ potentiæ ad proprium finem naturalem consequendum, & ad operationes proprias exercendas, & denique quia habent propriam determinationem correspondentem determinationi intellectus Angelici; nam vt docet S. Th. in secundo dist. 3. qu. 3. artic. 3. ad primum, ex lumine intellectus Angelici determinantur species, quibus fit propria cognitio rerum, sicut enim intellectus Angelicus est naturaliter determinatus ad cognoscendum omnes res naturales spectantes ad vniuersum, & habet solum potentiam obedientialem ad possibiles; ita species, quas Deus Angelis indidit, sunt determinatæ ad representatio-

nem earumdem rerum, cum debeât proportionaliter respondere inclinationi intellectus. Ex quibus manet clarum huiusmodi species nec esse proprietates in toto rigore, nec esse formas supernaturales, sed naturales tum propter prædicta, tum quia est in ipsis Angelis inclinatio ad illas recipiendas ab agente extrinseco; quo pacto à pluribus docetur motũ cæli esse, & dici naturalem ipsi; nam vt Angelus compleat inclinationem naturalem sui intellectus ad intelligendum vniuersum, exigit habere ab auctore naturę species repręsentantes vniuersum; ad hoc autem, vt forma dicatur naturalis alicui subiecto, sufficit, quod subiectum respectu illius habeat inclinationem naturalem respectiuam.

Dices quarto: Cognitio intuitiua non potest fieri, nisi ab obiecto præsente, alias non esset intuitiua; ergò fit immediatè ab ipso, non verò per speciem. Probatur consequentia, quia Angelus non potest rem futurã distinctè, & intuitiuè cognoscere; & quando est existens, & præsens potest; ergò ipsa res præsens est causa immediata suę notitię, alioquin dum adhuc est futura, existerent omnes causæ requisitæ ad cognitionem ipsius, & sic naturaliter posset cognosci. Respondent aliqui cognitionem intuitiuam rerũ creatarum fieri per species infusas, quæ sunt participationes diuinarum idæarum, per quas Deus cognoscit, & operatur res secundum rationes proprias, & communes, substantiales, & accidentales; quæ possunt deducere Angelos in cognitionem intuitiuam rerum. Hæc solutio non plenè satisfacit argumento, in quo petitur differentia inter cognitionem rei præsentis, & futuræ, & an vtraque sit intuitiua. ℞. igitur ad cognitionem intuitiuam non requiri, quod obiectum in se ipso, & in sua entitate existat, aut sit præsens; nam & Angelus existens in nostro Hemisphęrio optimè potest intueri ea, quę sunt distantia, & in altero hemisphęrio; non enim impeditur eius intuitus à mole corporum intermedia; & Deus cognitione intuitiua distinctè, & clarè cognoscit omnia futura; quapropter dicendum est sufficere præsentiam, & existentiã claram, euidentem, & omninò certam in intellectu cognoscentis intuitiuè, quas conditiones non habet, nec habere potest cognitio abstractiua, vt patet, eo quod non sit clara, & præscindat ab existentia, & ab alijs prædicatis, à quibus necesse est eam præscindere, si debet esse abstractiua. Ad vltimam instantiam. ℞. Angelos Beatos optimè cognoscere res futuras intuitiuè, quia, vt docet S. P. eas vident in legibus æternis, in quibus non datur transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Angeli verò mali eas non cognoscunt, nisi coniecturaliter, quia non vi-

vident connexionem entitatum ipsarum cum diuino decreto, à quo illæ res habent esse futurum, ac proinde non sequitur, quod naturaliter possint cognoscere res futuras, vt futuras.

Dices quinto: Obiectum ipsum, si est aliquid singulare, non potest cognosci per species inditas ab initio creationis; ergò requiritur species accepta ab obiecto. Antecedens probatur species inditæ Angelis ab initio sunt vniuersales; ergò non possunt representare, nisi vniuersalia, non verò singularia; probatur antecedens multipliciter, & primò, quia si essent singulares, deberent esse actu infinitæ iuxta infinitatem rerum singularium. Secundo si representarent singularia, çquè bene per talem speciẽ posset cognosci singulare futurum, ac præsens. Tertio quia quandò obiectum cognitionis intuitiuæ Angeli est complexio contingens, verbi gratia Petrus currit, vel non currit, hæc complexio non potest cognosci per species terminorum; ergò per species ab obiecto receptas. Probatur antecedens; talis complexio dependet, vel à voluntate Diuina, vel ab humana, quę cognosci non potest per tales species influxas, cum hæ species quidquid representant, naturaliter representent; & actus liberi non possint naturaliter, idest necessariò representari, cum possint esse, & non esse; quo posito vel illa species representat, quod Petrus currit, vel quod non currit, non enim potest vtrumque simul representare; nam tunc contradictoria ab eodem connaturali representatiuo representarentur, & essent simul vera, sicut sunt simul representata; si ergò solũ representat alterum, verbi gratia quod Petrus currit; sequitur hanc propositionem, Petrus currit, esse simpliciter necessariam; quod enim est verum ex terminis, est verum simpliciter necessarium; si verò non representat, nullo modo poterit cognosci ab Angelo veritas huius, nisi re ipsa existente, & vnione terminorum; ergò omninò necesse est, quod talis cognitio ab ipsis rebus singularibus accipiatur. ℟. per illas species optimè posse cognosci singularia; ad primã probationem ℟. illas species non dici vniuersales ex eo, quod solum representent quidditates vniuersales; sed quia representant plures rationes, quarum quædam sunt vniuersales, aliæ verò particulares, quædam essentiales, aliæ accidentales; ad alias tres probationes. ℟. primo nullam esse necessitatem, quod huiusmodi species sint infinitæ, quia rectè potest vna species plura representare; quemadmodum vnica intellectione, & vnica visione possunt plura obiecta intelligi & videri; tantò magis, quod prædictæ species sunt participationes diuinæ ideæ, quæ vna existens est plurimarum rerum

cogno-

cognoscitiua, & operatiua. Ad secundam. ℞. eamdem speciem ratione suæ vniuersalitatis representare complexionem contingentem; eo quod representando totam rem exi stentem representat etiam quodlibet accidens illi adueniens. Ad vltimam instantiam. ℞. futurum contingens, vt tale, cum sit dependens à voluntate diuina, vel creata, non esse obiectum proportionatum speciei Angelicæ, eò quod non sit illi simile; Sed de hoc puncto infra fusius, cum agetur de cognitione Angelica futurorum liberorum.

Dico tertio: Posse dari in Angelis species alias alijs vniuersaliores in representando, tam numero, quam specie diuersas. Est D. Th. prima parte qu. 55. artic. 3. & lib. 3. contra gentes capite 96. & communis inter Thomistas; est etiam N. B. Ægidij in secundo qu. 2. artic. 2. dub. 3. & 4. ac etiam Argentinæ ibi qu. 2. artic. 4. concl. 3. contra Scotum Bassol. Ricardum, & Aureolum Probatur primò, quia non implicat dari huiusmodi species; ergò sunt possibiles. Antecedens probatur non solū negatiuè ex solutione argumentorum aduersariorum, vt infra, sed positiuè etiam primo, quia plures virtutes in inferioribus diuisæ de facto in superioribus reperiuntur vnitę, & identificatę: sic habētur virtutes calefactiua, illuminatiua, & exsiccatiua identificatę in lumine: sic auditiua, visiua, & omnes virtutes sensuum externorum habentur vnitæ, & identificatæ cum sensu interno; ergò similiter plures virtutes representatiuæ diuersarum specierum poterunt esse vnitę in aliqua specie superioris ordinis consequentia patet, quia eo ipso, quod euidenter habemus ea, quę sunt dispersa in inferioribus, esse vnita, & identificata in superioribus & præterea species debere esse proportionatas potentijs cognoscitiuis; manet, quod illę virtutes representandi in inferioribus possunt esse vnitę in aliqua virtute representatiua superiori. Probatur secundo; quia de facto datur species expressa continens in se virtutes representatiuas diuersarum specierum expressarum; ergò etiam poterit dari impressa. Probatur antecedens; nam de facto vnus solus actus cognitionis imaginatiuę representat plures actus diuersarum cognitionum sensuum externorum; & vna intellectio representat, & hos, & illum; ergò iam datur species expressa vnica existens, quę representat quidquid per actus, seu species expressas diuersas plurium potentiarum inferiorum representatur: consequentia probatur, nam species impressa, & expressa proportionantur ad inuicem. Probatur tertio: quia species inditę Angelis sunt similitudines, & participationes diuinę essentię, quatenus est intelligibiliter representatiua rerū;

sed

sed hęc vna existens representat plurima obiecta, immò omnia possibilia; ergò, & ipsa species influxa poterit repræsentare plurima obiecta, & plures quidditates.

Dices primo: Vna species debet habere vnum obiectum, quod sibi correspondeat, in quo contineantur ea omnia, quæ ab illa representantur; sed ea, quæ sunt diuersa specie, sunt obiecta adæquata diuersarum specierum, & non possunt conuenire in aliquo vno obiecto; ergò non potest dari vna species representans plura obiecta diuersa specie: maior probatur, quia ea, quæ essentialiter respiciunt aliud, sicut ab eo habent essentiam, & speciem, ita etiam ab eo habent vnitatem: minor probatur primò: quia hoc vnum obiectũ adęquatum tertię speciei non potest esse aliqua causa, in qua alia contineantur virtualiter, & eminenter contineantur reliqua; hic enim est sermo de rebus representatis, & cognitis in se; neque potest esse aliqua ratio vniuoca, vel analoga; talis enim species vniuoca non representaret illa plura secundũ rationes proprias; & si esset analoga, representaret omnia conuenientia in illa, & sic daretur vna species omnium entium. Probatur secundo; quia propter hanc eamdem rationem voluntas nõ potest vnico actu ferri in duo obiecta secundum diuersas rationes boni, verbi gratia propter honestatem veracitatis, & charitatis, itaut idem numero actus sit in specie Charitatis, & veracitatis; nec etiam eodem actu possumus diligere rationẽ commodi, & honesti, & hoc nõnisi quãdo ratio boni Charitatis, & veracitatis sunt obiecta adæquata illarum diuersarum virtutum, & ideò non possunt vniri, vt sint obiectum alterius virtutis. Probatur vltimò à priori, quia est impossibile differentias constitutiuas diuersarum specierum vniri inter se ad componendam tertiam diuersam ab vtraque; ergò est impossibile duos respectus ad duo diuersa obiecta constituentes essentialiter duas species intelligibiles idẽtificari in vno tertio, & sic constituere vnam speciem respicientem vnũ obiectum. ℞. primò, quod si rationes istæ aliquam vim haberent aduersus species impressas, haberent etiam aduersus species expressas; has enim constat habere inter se gradus maioris, vel minoris vniuersalitatis, & ea plura obiecta, quę per species expressas inferiores multiplices representantur, vnica superiori representantur, vt supra dictum est. ℞. secundò directè nullam esse necessitatẽ, vt species vna numero habeat vnum solum obiectum vnitate, vel numerica, vel specifica, vel generica in esse rei; sed sufficere, vt habeat vnum obiectum in esse cognoscibili, eo pacto, quo in scientijs dicimus non attendi vnitatem obiecti in esse

rei, sed in esse scibili; nam de Metaphysica dicitur, quod habeat pro obiecto ens, quod tamen nullam vnitatem ex prædictis habet, sed solum in esse scibili; sic in præsenti dicimus, quod omne id, quod per talem speciem respicitur, est obiectum adæquatum illius speciei, vt patet in colore, & luce, quæ sunt qualitates specie differentes, & tamen per vnicam visionem representantur; sic & qualitates tangibiles respectu tactus, & omnia sensibilia respectu sensus interni; nam hæc omnia non conueniunt in aliqua ratione vniuoca, quã per se primò tangant visus, tactus, & sensus internus; nihil autem impedit, quo minus id, quod est adæquatum obiectum respectu vnius speciei, possit esse inadæquatum respectu alterius superioris; quo pacto obiectum adæquatum visus est inadęquatum respectu sensus interni, & potentiæ intellectiuæ. ℞. tertiò posse plures quidditates constituere vnum obiectum adæquatum vnius speciei intelligibilis, quatenus, vel conueniunt in vna ratione generica in esse naturæ, quo pacto dari potest vna species represenrans omnes species animalis, vt docet S. Th. lib. 2. contra gentes cap. 98. quatenus cõueniunt in vna ratione animalitatis, ita vt representent rationem genericam animalis secundum totum suum esse, & essentiale, & potentiale: vel quatenus conueniunt in vna ratione representabilitatis, vel intelligibilitatis proportionatæ essentiæ cuiusque Angeli, licet differant in esse naturę, vt dictum est supra de obiectis sensuum externorum, quæ constituunt vnum obiectum sensus interni; est enim species Angelica, vt docet S. Th. loco citato, vniuersalis virtute ad modum formæ agentis in causa vniuersali, quæ quanto vniuersalior fuerit, tantò ad plura se extendit, & efficacius producit: per quæ patet responsio ad maiorem propositionẽ, & ad primam probationẽ minoris. Ad secundam probationem. ℞. falsum esse, non posse voluntatem vno actu acceptare duo obiecta propter diuersas rationes boni; potest enim quis vno actu intendere duos fines, verbi gratia obedire, & amare Deũ, propter quas faciat aliquod opus, vel bonum, vel ex se indifferens, & similiter falsum est non posse voluntatem vno actu tendere in duo bona, honestum videlicet, & commodum. Ratio vtriusque est, quia voluntas potest acceptare simplici actu quidquid illi propositum fuerit ab intellectu, potest autem intellectus simul proponere duo obiecta amabilia; hinc ad tertiam probationem. ℞. in eodem actu physicè sumpto posse vniri diuersas differentias formales disparatas, vt patet in entitate caloris, qui sub diuersis rationibus continetur in tribus prædicamentis diuersis, qualitate scilicet, actione, &

passio-

passione, & in tribus speciebus eiusdem prædicamenti, potentiæ scilicet, passionis, & patibilis qualitatis; & in sententia plurium, & classicorũ Philosophorum, ac Theologorum possunt eminenter formaliter contineri differentiæ adæquatæ plurium actuum, vel habituum inferioris ordinis, vt in practico, & speculatiuo respectu scientiæ Theologicæ, ac etiam habitus fidei supernaturalis, & in obiectis, & potentijs sensuum externorum respectu obiecti, & sensus interni.

Dices secundo: nihil est ratio cognoscendi aliud, nisi sit ratio propria illius, sed vna species non potest esse talis, ergò &c Probatur minor, quia vna res non potest esse similitudo rerum dissimilium, multò minus vna species poterit esse repræsentatiua plurium quidditatum inter se diuersarum. ℞. cum S. Th. prima parte qu. 55. artic. 2. ad 3. & alibi, quod licet vnum non possit esse ratio multorũ, si sit singulis adęquatũ, potest tamen esse, si sit superexcedens, quia continet in se vniformiter propria cuique in vnoquoque diuersim inuenta; sic enim Diuina Essentia est propria ratio omnium; quia in ipsa vniformiter continetur quidquid diuisim in creaturis omnibus reperitur; ac propterea cum species inditę Angelis in esse intelligibili, & repræsentatiuo sint excellentiores rebus ipsis, vt potè diuinę essentiæ propinquiores, vt discurrit S. P. N. in axiomate, potest vna species esse ratio plurium rerum, quod secus est in speciebus nostri intellectus, quæ cum accipiantur à rebus, non superexcedunt illas in esse repræsentatiuo, sed tantum in esse naturali, quia sunt spirituales, & ideò vna species non potest esse ratio plurium quidditatum; propterea ad probationem minoris nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quia vna res esset similitudo alterius per conuenientiam in figura, colore, vel essentia, & consequenter per relationem realem similitudinis constituentem conuenientiam in substantia, vel qualitate; at species intelligibilis non est similitudo per conuenientiam in aliqua re materiali, aut physica peculiari, & propria, sed modo spirituali, & intelligibili, quatenus est id, quo intellectus in se ipso format, & concipit res, prout sunt in se; ac proinde, quemadmodum vnico instrumento potest artifex formare plura artefacta similia, & dissimilia; sic & intellectus potest vnica specie impressa intelligibili concipere plura, siuè similia, siuè dissimilia inter se.

Dices tertio: Si vna species potest repræsentare plures quidditates vel indiuidua, consequenter posset vna species repræsentare infinita; nã inter quaslibet naturas potest dari vna alia media, & sub quacumque natura, & specie possunt à Deo crea

ri infinitæ naturæ imperfectiores in infinitum, & infinita indiuidua, & ita species repreſentans vnam naturam ſpecificam repreſentaret omnes ſpecies inferiores in infinitum; ſed conſequens eſt falſum, indè enim ſequeretur talem ſpeciem fore infinitam, & infinitæ perfectionis; nam ſi ad repreſentandum vnam quidditatem, vel indiuiduum requiritur ſpecies intelligibilis alicuius perfectionis, & ad repreſentandum duas requiritur perfectior ſpecies, & maior pluralitas requirit maiorem perfectionem, infinitas repreſentatorum requiret infinitam perfectiouem in repreſentante; & præterea ſequeretur Angelum propria virtute poſſe ſimul infinita intelligere; nam poteſt Angelus vti totaliter ſpeciebus omnibus, quas habet, quæ debent eſſe aptæ ad repreſentandum quæcumque obiecta naturaliter cognoſcibilia, quæ cum non ſint actu finita, loquendo de poſſibilibus, neceſſariò erunt actu infinita; quorum vtrumque videtur falſum, inconueniens, & impoſſibile. ℞. primo iuxta ea, quæ dixi in primo tomo Philoſophiæ naturalis capite de infinito, non implicare contradictionem infinitum actu in certo aliquo genere; ac proindè hoc argumentum nō habere vim contra mea principia; ex quibus dicto loco clarè oſtendi veritatem huius doctrinæ, tum auctoritate S. P. tū etiam rationibus, & ſatisfeci argumentis, quæ contra eam fiunt ab inconuenientibus, & demonſtraui ea, quæ adducuntur pro contradictorijs, & & impoſſibilibus, eſſe ſolummodo apparenter non autē re ipſa verè, & realiter talia. Verum, quia ſententia quæ negat poſſibilitatem infiniti eſt etiam ipſa ſatis plauſiblis in ſcholis: præſcindendo à prædicta S. P, & mea ſententia. ℞. ſecundo: dato, & non conceſſo, quod inter quaslibet duas ſpecies rerum poſſit dari media, & quod ſub quacumque poſſint aliæ infinitæ imperfectiores creari in infinitum, non ſequi ſpeciē repreſentantem quattuor naturas repreſentare infinitas; talis enim ſpecies adaptata eſt illis quattuor naturis tamquam obiecto adæquato, & non cæteris, & dato, quod repreſentaret cæteras omnes, adhuc non ſequi illam fore infinitæ perfectionis, ſed tantum quod ſit ſuperioris ordinis, vt patet in lumine gloriæ, neque enim eſſet abſurdum, intellectum Angelicum per illam ſpeciem ſimul cognoſcere infinita, ſicut poteſt in ſententia plurium Thomiſtarum, per vnam ſpeciem repreſentantem naturam numeri cognoſcere omnes ſpecies poſſibiles illius: dixi dato illo; falſum enim puto cum N. B. Egidio quod lib. 3. qu. 5. dari proceſsū in infinitum in ſpeciebus deſcendendo, vt obſeruaui etiam loco citato in Phyſica capite de infinito. Dictis ibi nunc addo Auctoritatem Philo-

ſophi

sophi lib. 8. metaph. textu 10. vbi docet species esse sicuti numeros, in quibus non datur processus in infinitum in descendendo, tum quia species imperfectiores data specie superiori omnes aliquo modo illius perfectionem participant, & ab illa deficiunt; sed perfectio huius, & illius speciei est finita; ergò non possunt aliæ ab illa infinitis modis deficere; falsum etiam puto semper posse inter quaslibet duas species produci mediam; nam ordo vniuersi, vt obseruat B. Egidius loco citato, est veluti quædam harmonia, vt quondã etiam ruditer, & obscurè indicauit suo tempore Pythagoras; in qua voces non se excedunt omnes punctualiter, & æqualiter, sed aliquando vna vox excedit aliam per sonum vnicum, & per duos exceditur ab alia; similiter ergò species vniuersi non se excedunt omnes punctualiter, & æqualiter, sed possunt aliquæ se excedere inæqualiter, itaut inter duas detur media, vt patet in numeris, verbi gratia inter binarium, & ternarium non datur species media, & datur inter binarium, & senarium.

Dico quarto: Angelos, quò perfectiores sunt in natura, eò paucioribus, & vniuersalioribus speciebus intelligere; Est sententia S. Thomæ, Caietani, & plausibilior in scholis, cui tamen contradicunt plurimi Scotistæ, & alij locis supracitatis in præcedenti assertione. Probatur primo auctoritate S. Dionysij, qui in cælesti Hierarchia cap. 12. docet esse commune omnibus Angelis participes esse scientiæ, & sapientiæ, differre tamen in hoc quod scientia Cherubim est altior, nam scientia cæterorum habet rationẽ partis. Et cap. 7. eiusdem libri docuerat idem de eisdem Cherubim; quod est idem, ac dicere illorum scientiam esse vniuersaliorem, quia est per species vniuersaliores. Probatur secundo ratione, qua vtitur S. Th. quæst. 55. artic. 3. quia quo Angelus est perfectior in natura, consequenter est similior Deo, & perfectius paticipat modum intelligendi ipsius Dei; sed modus iste non solum consistit in eo, quod clarius, & distinctius cognoscat; sed etiam quod non per plura principia intelligat; ergò similiter Angelus ei similior debet participare hunc modum, cum non repugnet, vt supra visum est. Confirmatur, quia, quò Angelus est in natura perfectior, eò habet virtutem intelligendi magis vnitam, & consequenter fortiorem, & efficaciorem; efficacia enim rei in operando est ex eo, quod est in actu: actus autem est principiũ vnionis, sicut potentia multiplicationis, & diuisionis; quò autem virtus est altior, & efficacior, eò operatur ex paucioribus, & ad plura se extendit; vt est clarum tam in natura, quam in arte; in naturalibus enim altior causa operatur per vniuersaliorem virtutem,

& perfectior artifex operatur per vniuersaliora, & pauciora instrumenta, vt Architectus, quam inferiores artifices; sic etiam in cognoscitiuis ille, qui est acutioris ingenij, ex paucioribus principijs, vel etiam ex vnico colligit plures conclusiones, quã ille, qui est hebetioris; hic enim non nisi per varias deductiones, & principia particulariter coaptata conclusionibus percipit veritatem harum; sic in ipso Deo, in quo est virtus cognoscendi infinitè perfecta, & puritas actus, per vnum principium, idest per suam essentiam omnia operatur, & distinctissimè cognoscit, & consequenter etiam Angelus, quò minus elongatur à Deo, eò per pauciora principia, & intelliget, & operabitur.

Dices primo: Si species Angeli superioris est vniuersalior, quam inferioris, vel est vniuersalior quoad cognitionem, vel quoad operationem; neutrum dici potest; ergò non sunt admittendæ huiusmodi species vniuersaliores. Probatur minor quoad primum, quia omnes Angeli naturaliter habent cognitionem sui, & Dei, & consequenter æqualem: quoad secundum verò probatur, quia Angeli non sunt operatores rerum, vt dictũ est in prima controuersia, ex Patribus. ℞. cum S. Th. qu. 8. de Veritate artic. 10. ad 2. & in secundo libro Sent. dist. 3. qu. 2. artic. 2. ad 2. species Angelicas dici vniuersaliores, & quantum ad cognitionem; tum ex parte ipsarum specierum, quæ ad plura se extendunt, tum ex parte rerum cognitarum, quæ perfectius, & clarius possunt cognosci à sublimioribus, & perspicacioribus, quam ab inferioribus propter rationes allatas; & quantum ad operationem; tã secundum Philosophos ponẽtes ordinem intelligentiarum secundum ordinem motuũ; nam oportet, quod causalitas formarum superioris Angeli sit vniuersalior in causando, cuius motus est vniuersalior; quam secundum Theologos, qui ponunt ordines Angelicos secundum diuersa officia; nam superiores ordinant inferiores in suis officijs, non è contra. Nec est contra supradicta, nam licet ibi negauerimus Angelis generationes substantiales, non propterea negauimus, immò concessimus plurimas operationes quoad accidentia.

Dices secundo: dato, quod Angeli, quò perfectiores, eò ipso per pauciores species intelligant, deueniri posset ad vnum aliquem Angelum, qui omnia intelligeret per vnicam speciem; quo posito, si alius perfectior crearetur, iam iste omnia intelligeret per suam substantiam; quod non videtur admittendum, cum hoc sit proprium solius Dei: ergò nec etiam huiusmodi inęqualitas specierum. ℞. communiter hoc non sequi; quia in ea hypothesi Deus Angelo prius existenti infunderet speciem Angeli de nouo creati, vnde ille iam habe-

haberet duas species, per quas intelligeret: ac proindè non esset opus, vt nouus Angelus omnia intelligeret per suam substantiam tamquam per speciem impressam, quia posset habere vnicam speciem repræsentatricem rerum inferiorum: Hæc responsio, licet satis plausibilis, non plenè mihi satisfacit: cum enim hìc agamus de Omnipotētia Dei, an possit producere Angelum tantæ perfectionis, vt intelligat omnia per suam substātiam, assignanda est aperta implicantia contradictionis in obiecto; ratione cuius talis Angelus non contineatur intra sphæram Omnipotētię Dei; quæ mihi nondum ab aliquo Doctorum videtur sufficiens, & conuincēs assignata; immò aliundè constat ipsum Angelum per suam met substantiam sinè alia specie intelligere se ipsum, vt communiter docent etiam ipsi Thomistæ, & nouissimè P. Io. à S. Th. ad qu. 55. primæ partis art. 2 disput. 21. ex quo etiam sequitur, quod naturaliter, sinè alia specie cognitione abstractiua possit cognoscere ipsum Deum; cùm enim eius substantia sit facta, & ipsa ad imaginem, & similitudinem Dei, non videtur admittenda alia similitudo, ratione cuius tali cognitione intelligat Deum, ne multiplicentur entia sine necessitate. Dixi abstractiua; nam intuitiua, cum sit supernaturalis, certum est non posse haberi naturaliter; sed debet dari aliquod aliud principium eleuans ipsum intellectum, vt dictum est in Controuersia de Incōprehensibilitate Dei, & visione Beatifica. Quibus positis, non video, cur non possit creari Angelus tantæ perfectionis in sua substantia; vt sicut est sibi ipsi repræsentatiua sui ipsius, & Dei sinè alia specie impressa, & similitudine superaddita, ita non possit esse repræsentatiua omnium aliarum rerum absque adiutorio, vel cōplemento talis speciei, & sic ad argumentum concessa maiori de possibili, nego minorem; alias enim si esset proprium solius Dei intelligere per suam substantiam sinè specie, nec etiam posset Angelus intelligere seipsum sinè specie; iam enim ex hac parte haberet aliquid, quod esset proprium solius Dei: & sic negatur consequentia. Plura alia, quæ dici possent ad hoc argumentum, quod est valde celebrè in scholis, vide apud nostrum B. Egidium in secundò dist. 3. qu. 2. artic. 2. ad dubium 4. Ferrariensem lib. 3. contra Gentes cap. 68. Heruęum in secundo dist. 4. qu. vnica, artic. 3. Caietanum in prima parte qu. 55. ad artic. 3. Capreolum in secundo dist. 3. qu. 2. artic. 1. cōclusione 7. & artic. 3. ad quartum. Soncinatem lib. 12. metaph. qu. 6. ad primum, immò & ipsum S. Thomam eadem dist. qu. 2. artic. 2. ad secundum, & qu. 8. de Veritate art. 4. ad primum.

Dices tertio: Deus liberè operatur

tur ad extra, & diuidit singulis prout vult; ergò nulla est necessitas asserendi, quod perfectioribus Angelis quoad substantiam perfectiores sint inditæ species vniuersaliores. ℞. ex S. Tho. Deum valdè congruenter omnia fecisse; ac proindè sicut iuxta proportionem perfectionum naturalium fuit distributio donorum supernaturalium, sic etiam, & à fortiori diuisio comprincipiorum, quę erat necessaria ad operationes, & maximè vitales exercendas; ac proindè debuisse, illa infusio specierum fieri iuxta proportionem naturalis perfectionis Angelorum; itaut quò magis vnus Angelus est alio perfectior, eo intelligat per species simpliciores, & vniuersaliores.

Dices quartò: quod cognoscitur in particulari, clarius, & distinctius cognoscitur, quam quod cognoscitur in vniuersali; ergò si Angeli perfectiores intelligunt per species vniuersaliores, sequitur Angelos superiores habere scientiam minus perfectam, quam Angelos inferiores, quod est contra doctrinam S. Dionysij supra traditam, & contra rationem. ℞. ex S. Tho. qu. 55. supracitata artic. 3. ad 2. hoc quod est cognoscere vniuersaliter dupliciter accipi posse, primò ex parte rei cognitæ, vt si cognoscatur solum gradus vniuersalis rei, sic enim cognoscuntur inferiora solum in confuso, & cõsequenter imperfectius, quam si cognoscerentur in particulari; secundò ex parte medij cognoscendi, & hoc modo est perfectius cognoscere aliquid in vniuersali; perfectior est enim intellectus, qui per vnum vniuersale medium potest singula propria, & particularia cognoscere; quam qui non potest, sed indiget diuersis alijs medijs minus vniuersalibus.

CONTROVERSIA QVINTA

De obiecto intellectus Angeli.

AXIOMA PRIMVM.

Mens cognoscit se per suam substantiam.
Ex Lib. 9. de Trin. Cap. 3.

Mens ipsa, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum rerum per semetipsam; ergò, & semetipsam per

per se ipsam nouit, quoniam est incorporea; nam si non se nouit, non se amat.

DVBIVM

Vtrum Angelus cognoscat seipsum per suam substantiam, an verò per speciem superadditam.

IN superioribus dubijs sæpè dictũ est; Angelum cognoscere seipsum per suam substantiam; non verò per speciem superadditam, nunc videndum est, an hoc sit verum, & an habeat locum solum in quæstione de facto, an verò de possibili.

Vtor præsenti axiomate S. Patris, nam licet loquatur de anima rationali, nihilominus à fortiori conuincit de Angelo, qui est omninò incorporeus. Si enim illa etiam pro hoc statu, quoniam est incorporea, nouit semetipsam per se ipsam, idest sinè specie superaddita, sic enim intelligit hunc locum S. Patris etiam Gregorius de Valentia tomo primo disputat. 4. generali qu. 7. puncto primo, §. *sed contra*; multò magis hoc poterit Angelus, qui est omninò incorporeus, & non dependet à phantasmatibus in suis cognitionibus. Quibus positis.

Dico primò: Angelum posse se cognoscere per suam essentiam, tam quàm per speciem. Est S. Tho. prima parte qu. 56. articulo primo, & libro secundo contra gentes cap. 98. nostri B. Egidij in secundo qu. 2. artic. primo, Argentinæ ibi qu. 2. artic. 4. concl prima, Bassolis ibidẽ qu. 3. Riccardi etiam dist. 3. artic. 6. qu. prima Capreoli qu. 2. artic. primo concl. prima, cum quibus sentiunt communiter Thomistæ tam antiqui, quàm moderni, eamque tuentur Scotus pariter in secundo qu. 2, (qui tamen decipitur in hoc, quod putat S. Th. docere essentiam Angeli esse totale principium intellectionis, & intellectum ipsum Angelicũ solùmmodo passiuè se habere; cum tamen expresè qu. 8. de veritate artic. 6. dicat ex substantia, & intellectu fieri vnum principium intellectionis.) Probatur, quia Essentia Angeli habet omnia requisita ad hoc, vt præstet quod præstat species sui ipsius;

sius; ergò potest cum intellectu sinè alia specie esse ratio cognitionis sui. Probatur antecedens, quia est ens in genere intelligibilium, cum sit immaterialis, & in eodem genere, in quo est actus ipse intellectionis, atq; adeò actu intelligibilis, & est actus proportionatus suo intellectui, tamquam propriæ potentiæ, illi realiter præsens, vt patet ex naturali vnione, quam actus habet cum illo: ergò poterit Angelus per illam tamquam per speciem se ipsum intelligere.

Dico secundo: de facto Angelum prædicto modo se ipsum intelligere. Probatur, quia natura refugit superfluum; vnde habuit ortum axioma illud. Frustra fit per plura; quod potest fieri per pauciora; sed ipsa substantia Angeli est sufficiens, & connaturale principium respectu cognitionis sui, vt dictum est; ergò non per speciem; sed per se ipsum de facto se intelligit. Confirmatur primò, quia naturaliter non dantur duo principia in eodem ordine respectu eiusdem actionis, quando vnum de se est sufficiens, vt patet inductione in cæteris omnibus agentibus. Confirmatur secundo: quia Angelus cognoscit suam speciem intelligibilem per seipsum, alioquin daretur processus in infinitum; & hoc ideò, quia species est actu intelligibilis, & est intra intellectum ipsius Angeli; ergò idem dicendum erit de substantia Angeli.

Quæri hìc solet vtrum Angelus perseueret semper in sui cognitione, ita vt nunquam ab ea cesset. Respondeo breuiter. Sententiam affirmatiuã esse valde probabilem, quam sequũtur Herueus in secundo dist. 3. qu. 4. Capreolus ibidem, & Suarez in metaphisica disp. 35. sect. 4. Probatur primò ex analogia ad alia viuentia, quæ habent semper aliquem actum vitalem, à quo numquam cessant. Secundo quia obiectum est illi semper præsens, & naturaliter determinans potentiam illam ad talem actum cũ nullo prorsus obstaculo, & quemadmodum apertis oculis, & datis omnibus requisitis ad videndum non potest potentia visiua non exire in actum visionis, ita cum in hoc dentur omnia requisita, nõ videtur posse Angelum suspendere hunc actum ad quem determinatur à præsentia obiecti naturaliter. Probatur tertiò quia si aliquid obstaret, hoc maxime esset libertas ipsius Angeli: sed hæc non obstat; ergò nihil obstat. Probatur minor, quia quælibet actio voluntatis necessariò supponit aliquem actum intellectus, & ne detur processus in infinitum, deueniendum est ad aliquam primam intellectionẽ independentem à voluntate, & consequenter necessariam, & non liberam; sed hæc non potest esse alia; quam cognitio sui ipsius Ergo, &c. Confirmatur, quia si omnes cognitiones essent liberæ; omnes penderent

rent à libero imperio voluntatis, & consequenter deueniendum esset ad aliquam volitionem, quæ esset prior quauis intellectione, quod est absurdum.

Dico tertiò: Angelum posse cognoscere se ipsum per speciem super additam tam intuitiuè, quam abstractiuè; Prior pars huius assertionis est Marsilij in secundo qu. 7. artic. primo concl. 2. & 5. & probatur, quia nulla est repugnãtia; nam sicut Deus infundit vni Angelo speciem repræsentantem intuitiuè essentiam alterius Angeli, ita posset dare similem ei, qua se ipsum cognosceret; in hoc enim nulla apparet contradictionis implicantia. Secunda pars huius cõclusionis est. Scoti in secundo dist. 3. qu. 10. §. *Ad quæstionem*; Maioris, Bassolis, & aliorum, & probatur, quia Angelus superior cognoscit intuitiuè Angelum inferiorem per propriã speciem illius, & abstractiuè per species aliorum Angelorum, cum genericè conueniant omnes cum illo; & similiter Beati cognoscunt easdem res intuitiuè per species influxas, & abstractiuè per species acceptas à rebus; ergò etiã quilibet Angelus poterit cognoscere se ipsum intuitiuè per suam essentiam, vel per propriã speciem, & abstractiuè per species repræsentantes alios Angelos conuenientes secum in eodem genere; hoc enim, quod est, Angelum naturaliter, & intuitiuè cognoscere seipsum, non tollit; quominus possit habere aliam notitiam abstractiuam sui, sicut ex eo, quod per connaturales species cognoscit intuitiuè alios Angelos, non impedit, quo minus eosdẽ possit cognoscere etiam abstractiuè; Confirmatur ex eo, quod istæ duæ cognitiones sunt diuersæ rationis, & non sunt ad inuicem contrariæ, cum sint in eodem subiecto, & versentur circa idem obiectum materialiter sumptum; nam postea ex diuersa ratione formali, sub qua attingitur ab illis, diuersificantur etiam illæ cognitiones inter se.

Pro solutione eorum, quæ contra prædictam Doctrinam, & præcipuè contra primam, & secundam Conclusionem opponi solent; Aduertendum est ex S. Thoma qu. 8. de Veritate articulo 6. in corp. & alibi. Duplicem esse in Vniuerso ordinem rerum, alterum entium, quæ dicuntur naturalia: alterum verò eorum, quæ dicuntur intelligibilia. Ad primum spectat quidquid habet rationem entis realis, siuè sit materiale, siuè immateriale: ad secundum spectant solummodo immaterialia; vnde ordo intelligibilium est ordo immaterialium; sola enim immaterialia sunt intelligibilia: materialia verò, quatenus talia, actu non sunt, nisi sensibilia, & hoc propter proportionem, quæ debet esse inter potentiam, & obiectum; quemadmodum enim corpus non potest naturaliter agere in

Spiritum propter improportionem, ita nec materiale, qua tale, potest esse obiectum motiuum, & proportionatum intellectus; sed solũ, vel quod est in se immateriale, vel quod si in sua entitate est materiale, sit factum aliquo modo immateriale, & redactũ ad gradum intelligibilium, non quidem per realem separationem à materia secundum esse, sed per acceptionem formæ intelligibilis, in qua materiale immaterialiter repræsentatur.

Ponitur hic ab aliquibus inter hos duos ordines hæc conuenientia, quod sicut in ordine entium datur aliquid, quod est pura potentia subiectiua, quod est materia prima, & aliquid, quod est purus actus, quod est Deus, & mixtum ex actu, & potentia, vt sunt cætera entia inter Deum, & materiam primam contenta, ita in genere intelligibilium datur purus actus, qui est Deus, pura potentia, quæ est anima rationalis coniuncta corpori, & aliquid partim potentia, partim actus, vt sunt Angelus, & anima rationalis; ponuntur tamen communiter inter prędicta sequentes differentiæ. Prima est, quod non omne, quod est vno modo in vno genere, est eodem modo etiam in alio; sed aliquando contrario modo se habet, vt patet in anima coniuncta corpori, quam dicunt esse puram potentiam in genere intelligibilium, & in genere entium naturalium est partim actu, partim potentia; aliquando verò in vtroq; genere aliquid vtroque modo semper se habet, vt patet in Deo, & Angelo; quorum hic est partim actus respectu cognitionis sui, partim potentia respectu cognitionis aliorum, & eodem modo se habet in genere entium naturalium; cũ sit actus completus in genere substantiæ, & potentia respectu accidentium spiritualium, quæ recipit in suis potentijs; similiter Deus est purus actus tam in genere entium intelligibilium, quam in genere entium naturalium. Secunda est, quod ea, quę spectant ad vnum genus contrariũ, aliquando dicunt ordinem ad alia, vel etiam ad se, vt sunt in alio genere, vt patet in Angelis, qui si considerentur, vt sunt in genere entium, intellectus Angeli est in illius essentia, vt accidẽs in subiecto, & vt actus in potentia, & vt potentia in substãtia, à qua fluit. (Procedit hęc doctrina in sententia Thomistarum, & aliorum Doctorum, qui ponunt intellectum, & alias potentias animæ esse accidentia physica realiter distincta ab ipsa substantia animæ, physicè loquendo; in nostra verò sententia, qui non distinguimus ista, nisi metaphysicè, non habent locum, nisi secundum nostram considerationem, & logicè solum, seu metaphysicè loquendo.) Consequenter ad prædicta docent Thomistæ, quod si Angeli considerentur in genere intelligibilium, essentia Angeli comparatur ad intellectum,

lectum, vt actus ad potentiam, & vt species intelligibilis ad facultatem intellectiuam, & sicut intelligibile intrinsecum ad intelligens. His igitur sic explicatis, & secundum nostra principia philosophica metaphysicè acceptis, progredior ad contrariorum obiectiones.

Dices primò: Species intelligibilis est actus, & forma intellectus in illo existens, & inhærens; sed essentia Angeli non est forma sui intellectus, nec est in illo, vt accidens in subiecto: non enim informat, aut inhæret illi, cum sit ens per se subsistēs: ergò hæc non potest præstare intellectui Angelico id, quod præstat species intelligibilis, & consequenter non poterit esse illi ratio intelligendi se ipsum sinè specie intermedia. Respondent Thomistæ essentiam Angeli non esse quidem actum intellectus in essendo, sed in intelligendo, de cuius ratione non est, vt inhæreat potentiæ, illamquæ physicè informet, nisi sit accidens, vt est species intelligibilis respectu intellectus; sed sufficit, quod sit illi vnitus, quo pacto est vnita quælibet essentia suæ potentiæ, & hoc modo non est absurdum, vt intellectus sit in essentia, tamquam actus in genere entium, & essentia sit in intellectu, tamquam actus in genere intelligibilium, & tamquam obiectum intrinsecum in potentia intellectiua. Hæc doctrina habet locum etiam in sententia identificante potentias cum ipsa substantia animæ, vel Angeli, si addatur illa limitatio, vt quod Thomistę accipiūt per vnionem physicam ipsius potentiæ cum essentia, nos accipiamus per identitatem, & metaphysicè solum, vt patet in ipso Deo, in quo non est dubium in omnium sententia intellectum identificari cū essentia ipsius, & tamen hanc prę̄stare ei perfectissimo modo quod præstat in nobis species ipsa intelligibilis imperfecto modo inhærendi, & informandi.

Dices secundo: nulla substantia est immediatè actiua, vt est communis sententia inter Thomistas; ergò essentia Angeli non potest præstare id quod præstat species impressa, cuius munus est concurrere effectiuè simul cum intellectu ad producendā ipsam intellectionem, seu verbum mentis. Respondet noster B. Egidius tractatu de cognitione Angelorum qu. 3. quem sequitur Caietanus prima parte qu. 54. artic. 3. ad 4. & qu. 56. artic. primo: substantiā Angeli nō concurrere vt elicientem simul cum intellectu intellectionem, sed vt facientem intellectum in actu respectu sui, seù radicaliter, quatenus ab ipsa manet intellectus sufficienter constitutus in actu primo per se ipsum ad eliciendam cognitionem substantiæ. Hęc tamen responsio non placet pluribus alijs Thomistis, tum quia consequenter tollit actiuitatem etiam ab alijs speciebus

impressis; nam etiam de his posset dici, quod nihil aliud præstant, quam reddere intellectum sufficienter instructum, absque eo, quod concurrant effectiuè ad ipsum verbum mẽtis producendum; tum quia est expressè contra Angelicum Doctorem; qui prima parte qu. 56. artic. 1. docet substantiam Angeli vniri eius intellectui, tamquam obiectum intelligibile per modum formæ intelligibilis, & se habere ad illum sicut calor ad ignem; sed calor ad ignem se habet simul cum eo in ordine ad aliũ calorem producendum, vt principium actiuum; ergò pariter, & substantia ipsius Angeli. Præterea qu. 8. de Veritate articulo 6. docet ex substantia ipsa Angeli, & intellectu fieri vnum principium productiuum intellectiuum, & hoc idem asserunt Ferrariensis, & Herueus. Propterea alij Thomistæ respondent substantiã Angeli non posse quidem esse immediatum principium proximum elicitiuum actionis realis physicę, siuè actus accidentalis per modum potentiæ, & virtutis; hoc enim semper requirit, vt sit potentia aliqua proportionata actui; posse tamen esse principium actionis intentionalis, siuè actus per modum obiecti; si enim hoc potest species, quatenus habet vicem obiecti, multò melius id poterit facere ipsa substantia, cũ habeat omnia requisita; quod confirmant exemplo colorum, qui non sunt qualitates effectiuæ actionis realis, & physicæ; sed tamen producunt species actione intentionali, ac propterea licet substantiæ non possint producere immediatè actionem physicam, & realem, possunt tamen intentionalem. Ratio a priori, quam assignant, est, quia ideo substantia non potest esse immediatè actiua in actione reali, quia immediatus terminus talis actionis est accidens; & omnis terminus immediatus est similis suo principio; vnumquodque enim agit secundum quod est actu illud, quod agit, ex eo quod agitur, vnde colligitur, quod sit principium agendi, & ideò principium actionis realis sit accidens, verbi gratia ignis, qui immediatè producit calorem, non ignem, vt obseruat Aristoteles lib. de sensu, & sensibili cap. 13. eo quod non agat, vt ignis, sed quatenus calidus est; at verò in actione intelligibili, quia id, quod immediatè agitur, & producitur, potest in esse intelligibili, & repræsentatiuo esse substantia: idcirco principium immediatum illius poterit esse substantia, vt est in proposito; intellectio enim, qua Angelus intelligit suam essentiam, intelligibiliter, & repræsentatiuè est ipsamet substantia eius, & ideò potest produci immediatè, licet partialiter, ab ipsamet essentia. Hæc retuli in gratiam sententiæ Thomisticæ; nam de cætero hinc etiam sumitur argumentum non leue ad probandum sub-

substantiam esse immediatè operatiuam; si enim concurrit ad producẽdam cognitionem, seù verbum mentis in esse intentionali, necessariò debet etiam concurrere ad producendam illam in esse physico; quemadmodum nostrę species impressæ non ita comproducunt in nobis esse intẽtionale cognitionũ nostrarum, quin etiam simul concurrant ad producẽdum esse physicum earumdem; propterea consequenter ad ea, quę dixi in physicis, vbi admisi substantiam esse immediatè operatiuam; respondeo negando antecedens.

Dices tertiò: Vnus Angelus non potest intelligere alterum per eius substantiam, tamquam per speciem; ergò nec etiam poterit intelligere seipsum per suam: cum sit eadem ratio vtriusque. ℞. communiter concesso antecedente negando consequentiam; eoquod essentia alterius Angeli non sit vnita realiter intellectui cognoscentis, & ad rationem speciei creatæ, ad hoc, vt concurrat constituendo vnum principium totale cum intellectu ad intellectionem producendam, & sit eius formale principium, requiratur, vt id, quod habet rationem speciei, sit realiter vnitum intellectui, vel illi inhærendo, vel terminando eius inhærentiam, vt fit in proposito. Hæc respõsio non plenè satisfacit; nam quod species impressa vniatur, & inhęreat, non videtur exigi propter aliud, nisi propter suam magnam imperfectionem, quia videlicet est accidens physicum, quod ex suo conceptu generico exigit inhærere; quod si esset substantia intellectualis proportionata, & intimè pręsens, nihil videtur obstare, quo minus posset concurrere, vt patet in visione beatifica, in qua Deus ipse per suam substantiã sinè specie impressa, quę mediet, cõcurrit ad ipsam visionem; neq; enim lumen gloriæ habet rationem speciei, vt malè philosophatur aliquis modernus, sed datur ad eleuandam potentiam, vt sit proportionata ad illum actũ summè supernaturalem, quapropter se tenet totum ex parte potentiæ, non verò ex parte obiecti, vt se tenet species impressa; Præterea ipsamet substantia ipsius Angeli, per quam vnusquisque cognoscit seipsum, non inhæret, nec informat ipsum Angelum, nec est vnio propriè dicta, quæ requirit distinctionem realem duorum extremorum, quorum vnum re vera non sit alterum, quod non est in pręsenti, & propterea est identitas, non verò vnio physica; quibus sic se habentibus nõ video, cur si Angelus sit intimè præsens alteri, non possit cum eius intellectu concurrere immediatè ad sui cognitionem; ac proindè quoad possibile censeo, negandum esse antecẽdens; an postea de facto res ita se habeat, pendet ex voluntate Dei; qui cum indiderit species ipsis Angelis,

&

& vnicuique speciem alterius, potest esse, quod voluerit, vt vnusquisque in quocumque statu vtatur specie ad cognoscendum alterum, eo quod iste modus sit illis fortasse connaturalior.

Dices quarto: Principium formale quodcumque, per guod potentia operatur, est ei subordinatum, inferius, & dependens ab illa; quod pręsertim habet locum in cognitione; hæc enim, cum sit actio vitalis, tribuenda est per se primò potentiæ co gnoscenti; sed essentia A g.li non potest esse principium subordinatũ proprio intellectui, nec per se ab illo in operatione dependens: ergò essentia Angeli non potest esse intellectui ipsius principium formale cognoscendi seipsum. Maior est certa ex inductione per quæcumque principia formalia, per quæ omnes aliæ potentiæ operantur. Minor probatur, quia sicut res se habet ad esse, ita & ad operari; intellectus autem Angelicus consequitur ad essentiam, vt potentia eius, & si est proprietas realiter ab ea distincta, vt ponitur communiter à Thomistis, etiam informat, & inhæret ei; ergò huiusmodi essentia non potest esse principiũ formale intellectui Angelico cognoscendi seipsum. ℞. maiorem esse veram de principio in esse formali entitatiuo, & intelligibili realiter distincto, & inhærente, non verò de intelligibili subsistente, vt patet in Essentia Diuina, quę sine specie impressa concurit cum intellectu Beati ad ipsam visionem beatificam.

Dices quinto: Si Angelus cognoscit se ipsum per suam essentiam; ergò etiam anima rationalis; nam etiã essentia istius est actu intelligibilis, cum sit immaterialis, & est realiter, & intimè præsens suo intellectui; sed consequens est cõtra Philosophum, qui lib. 3. de anima tex. 8. 13. & 15. docet animam intelligere se ipsam, sicut & alias res, idest per species distinctas à sua essentia; ergò etiam falsum erit quod Angelus cognoscat se ipsum per suam essentiam. ℞. cõmuniter animam quidem separatam intelligere se ipsam per suammet essentiam sinè specie impressa, quia militant pro ea eędem rationes, quæ militant pro Angelo: vnitam verò corpori dicunt cognoscere seipsam per species alienas, & hoc vel in pœnam peccati originalis, vt vult Scotus loco citato qu. 8. negante Deo cõcursum ad intellectionem sui per suam essentiam, vel ob naturalem ordinem intellectus, & imaginationis pro hoc statu, qui exigit, vt nihil intelligatur, nisi imaginatum, vel quia, vt docet S. Th. prima parte q. 87. artic. primo: intellectus animæ coniunctæ est in genere intelligibilium pura potentia, & propterea dicitur possibilis, & non potest intelligere actu, nisi fiat actu; non potest autem fieri actu, nisi mediantibus sensi-

ſenſibilibus,& ideò non poteſt in. elligere, niſi per ſpecies à ſenſibus acceptas, cum pro hoc ſtatu non habeat illas à Deo inditas, & infuſas, vt habent non ſolum Angeli, ſed etiam animæ ſeparatæ. Ex quibus patet axioma S. P. iuxta communiorem D. D. ſententiam eſſe accipiendum de anima ſeparata: non deſunt tamen, qui ſentiant cum aliquibus Nominalibus etiam pro hoc ſtatu coniunctionis habere aliquam cognitionem ſui ſine ſpeciebus, licet imperfectam, qualis eſt experimentalis, qua percipit ſe eſſe in corpore, & exercere ſuas functiones.

AXIOMA SECVNDVM.

Vnuſquiſque Angelus cognoſcit alium per ſpeciem.

Ex Lib. 2. de Geneſi ad Litteram Cap. 8.

AN eo modo demonſtratur primo die, quo facta eſt lux, conditionem ſpiritualis,& intellectualis creaturæ lucis appellatione intimare? in qua natura intelliguntur omnes Angeli Sancti, atque virtutes, & propterea non repetiuit factum poſtea quam dixit facta eſt lux, quia non primò cognouit rationalis creatura conformationem ſuam, ac deinde formata eſt: ſed in ipſa ſua conformatione cognouit, hoc eſt illuſtratione veritatis, ad quam conuerſa formata eſt: cætera verò, quæ infra ſunt, ita creantur, vt prius fiant in cogitatione rationalis creaturæ, ac deinde in genere ſuo.

DVBIVM

Vtrum vnus Angelus cognoſcat alium per ſuam ſubſtantiam, vel per ſubſtantiam ipſius cogniti, vel per ſpecies ſuperadditas.

ANgelos ſe mutuò intelligere, eſt citra omnem controuerſiam; cum enim conſtituant vnam perfectam rempublicam, & vnuſquiſque ſit obiectum proportionatum intellectus alterius, neceſſariò ſequitur,

tur, quod se mutuò cognoscant. Quo posito, circa modum, quo se inuicē cognoscunt.

Dico primo: vnum Angelum non posse per suammet substantiam perfectè, & districtè cognoscere substantiam alterius. Hæc assertio est S. Tho. prima parte qu. 56. artic. secundo, & communis inter Thomistas. Probatur verò ratione hoc modo. Si Angelus cognoscit alium per suam substantiam, vel per illam cognoscit tamquam per speciem, vel tamquam per obiectum prius cognitum; neutrum potest dici; ergò nullo modo cognoscit alium per suammet substautiam; maior est certa, quia nullus alius est assignabilis modus, quo possit alium per suam met essentiam cognoscere. Minor probatur quoad primum, quia essentia vnius Angeli non est creata à Deo, vt sit species alterius, vel aliorum Angelorum, sed tantum, vt sit suo intellectui representatiua sui ipsius; hoc patet, quia essentia cuiuslibet Angeli habet, quod sit veluti species ex eo, quod est talis quidditas subsistens naturæ intellectualis; sed natura cuiuslibet Angeli est determinata & differens ab alia substantialiter, saltem indiuidualiter; ergò non potest habere rationē speciei alterius, quę requirit similitudinem representationis. Probatur etiam quoad secundum, quia tribus tantum modis essentia vnius rei cognita ducit in cognitionem alterius, idest vel quia est causa, vel effectus illius, vel quia est omninò similis; sed nullo ex his modis potest essentia vnius Angeli esse vt obiectum representatiuum alterius; ergò nullo modo. Minor probatur quoad primum, & secundum modum; quia nullus Angelus est causa efficiens alterius, vt communiter censent S. S. P. P. & Theologi. Nec potest dici, quod vnus sit causa exēplaris alterius, vt obseruat S. Dionysius lib. de diuinis nominibus capite quinto contra quemdam Clementem. Deus enim non indiget causa exemplari creata; & ipse Angelus, cum non habeat posse effectiuè producere alterum, nec etiam habebit esse causam idealem illius; hoc enim esse datur ad constituendam causam efficientem operantem per cognitionem.

Quò ad tertium verò modum; nēpe quia sit alteri similis, probatur, quia Angelus per suam essentiam non potest plus cognoscere de essentia alterius, quam id, in quo est illi similis; sed vnusquisque Angelus differt indiuidualiter, & quoad proprietates indiuiduales ab alio; ergò vnus non est similis alteri, nisi in prędicatis communibus generis, vel speciei prædicabilis; quæ cognitio non potest esse distincta, intuitiua, & propria, sed abstractiua, & confusa.

Dices. Per idem principium cognoscit Angelus rationem genericam,

cam, per quod cognoſcit ſpecificam, & indiuidualem; ſed per ſuam ſubſtantiam cognoſcit rationem genericam, vt dictum eſt; ergò per eamdẽ cognoſcet etiam ſpecificã, & indiuidualem. Maior probatur, quia in re ipſa iſtę tres rationes ſunt vna, & eadem indiuiſibilis entitas, & ſolum ratione noſtra contradiſtinctæ; ergò per idem principiũ cognoſcet vnam, per quod cognoſcit alteram; cum maximè naturaliter cognoſcat res, prout ſunt, & effectus in cauſis, & concluſiones in principijs, vt commune fert proloquium. ℞. maiorem eſſe veram, quando illud principium gignit cognitionem intuitiuam claram, & diſtinctam totius obiecti; ſecus verò, quando eſt ſolum principium cognoſcendi confusè, obſcurè, & abſtractiuè, vt eſt in præſenti; differentia enim ſpecifica vnius Angeli non poteſt eſſe ratio cognoſcendi quidditatiuè differentiam ſpecificam, & eſſentialem alterius, cum ſit ratio differendi, & diſſimilitudinis, non verò conuenientiæ, & ſimilitudinis in illo prædicato eſſentiali; cũ tamen id, quod ducit in cognitionem, debeat habere rationem ſimilitudinis, quæ quò maior eſt, eò perfectius ducit in cognitionem; quod idem dicendum eſt de differentia indiuiduali, quę propterea non poteſt eſſe ratio, aut principium cognitionis diſtinctæ, & perfectæ alterius. Hoc maximè cernitur in Angelis inferioribus reſpectu ſuperiorum, inter quos cum detur magna diſtantia, & diuerſitas differentiarum, non poteſt ſubſtantia minimæ perfectionis in genere Angelico repreſentare perfectè, diſtinctè, & adæquatè ſubſtantiam maximæ perfectionis, qualis eſt illa ſupremi Angeli.

Dico ſecundò: probabile eſſe, poſſe vnum Angelum cognoſcere aliũ per ſubſtantiam illius. Eſt S. Th. qu. 8. de Veritate art. 7. & lib. ſecundo contra gentes cap. 98. qui licet defendat non poſſe, tamen hanc ſentẽtiam dicit eſſe conformem principijs Platonis, aſſerentis ſufficere quamcumque coniunctionem intelligibilis cum intellectu, & adducit D. Dionyſium, qui in lib. de diuinis nominibus cap. 4. ait ſuperiores intelligentias eſſe intelligibiles, & quaſi cibum inferiorum, & inſuper addit, poſſe ſatisfieri rationibus probantibus impoſſibilitatem, & aſſerentes poſſibilitatem habere non paruas difficultates; qui modus loquendi procul dubio oſtendit; Sanctum Thomam habere hanc ſententiam, vt probabilem. Idem docet noſter Ferrarienſis ad dictum locum Sancti Thomæ contra gentes. Eam defendit Scotus in ſecundo diſt. 3. q. 10. vbi dicit; in cognitione intituitiua vnum Angelum poſſe cognoſcere alium per eius ſubſtantiam; in abſtractiua verò illum cognoſcere per ſpecies concreatas. Probatur verò

rò ratione, quia nulla eſt aſſignabilis ſufficiens repugnantia non ſolum reſpectu Dei, ſed nec etiam reſpectu ipſius Angeli, etiam ſecundum ſuas vires naturales conſiderati; cũ enim ſubſtantia cuiuſq; Angeli ſit repreſentatiua ſui ipſimet Angelo, cuius eſt ſubſtantia ſine ſpecie intermedia, vt dictum eſt; hoc idem poterit pręſtare intellectui alterius, maximè ſi ſit illi intimè præſens, vt poſſe fieri communiter conceditur. Si enim aliquid obſtaret, hoc maximè eſſet, quia deſideratur vnio, & proportio; ſed nihil horum obſtat; ergò. Probatur minor quoad primum, quia de ratione ſpeciei intelligibilis non eſt eſſe formam informantem, & inhærentem intellectui, vt patet in cognitione Angeli de ſe ipſo, & in viſione beatifica reſpectu diuinę eſſentiæ, vt ſuprà dictum eſt; ſed ſufficit indiſtãtia localis, quæ vt plurimum datur inter Angelos, cum eos non impediant, neque ſubſtantia corporea, neque quantitas molis, nec ſitus, nec locus, nec aliud huiuſmodi: poteſt autem ſubſtantia Angeli concurrere effectiuè ad productionem intellectionis alterius, cum ad hanc operationem ob eamdem rationem nihil aliud requiratur. Nec obſtat ſecundum, ideſt proportio; cum proportio ad hoc requiſita non ſit proportio æqualitatis, ſed habitudinis, ita ſcilicet vt vnus agat in alium intentionaliter; quam proportionem cum omnes fateantur eſſe inter Diuinam Eſſentiam, & intellectum Beati; ſic etiam poterit eſſe inter eſſentiam vnius Angeli, & intellectum alterius.

Si quæras, vtrum res ita ſe habeat de facto. Reſpondeo eſſe incertum. Negat S. Th. Scotus affirmat. Sententia S. Tho. videtur eſſe magis cõmunis, & fortè magis ad mentem S. P. ſi attendantur poſtrema verba Axiomatis, quæ licet hoc apertè nõ aſſerant, videntur tamen indicare, quod excepto Deo cętera intelligantur ab Angelis per ſpecies; ſed quidquid ſit de hoc, probatur à S. Tho. loco citato, quia de facto Angeli cognoſcunt quidditates omnes naturales per ſpecies concreatas; Deus enim illas indidit mentibus Angelorum, vt cum S. P. communiter docent Theologi; ſed per idem principium optimè poteſt cognoſci quidditas rei, & res ipſa exiſtens, ac etiam alia, quæ cum illa ſunt coniuncta; ergò ſuperfluò cognoſcerentur per eſſentiam illius. Confirmatur, quia indè ſequeretur. Primo non poſſe Angelum ſuperiorem cognoſcere inferiorem pro ſuo libito. Secundo poſſe impediri ſuperiorem ab inferiori, nè ipſum cognoſcat, denegando illi ſuum concurſum, cum in eo præſtando ſit liber. Tertio quemlibet Angelum ſimul, & ſemel innumeras ferè operationes exercere, cũ enim idem Angelus poſſit intelligi ab omnibus, deberet ille ſimul coo-

pera-

perari ad innumeras operationes; quæ omnia videntur absurda. Si dicas hæc absurda militare etiam contra possibilitatem. Respondeo: hæc solum adduci ad probandum, hunc modum cognoscendi non esse necessarium; ac propterea de facto fortassè ordinariè non dari, impossibilitatem verò ex illis non conuinci, cum non adducatur implicantia contradictionis; nec talis repugnantia, quę viribus naturalibus Angelorum, vt nobis lumine naturali notis superari non possit.

Dices primò cum Thomistis: Si substantia Angeli, cum est localiter præsens alteri, potest se illa ostendere concurrendo cum intellectu illius ad sui intellectionem, etiam res supernaturales; cũ sint similiter actu intelligibiles ratione suę immaterialitatis, quando sunt localiter præsentes Angelo, poterunt se illi ostendere concurrendo cum illo ad sui intellectionem; ad hanc enim solum requiritur præsentia, & concursus obiecti intelligibilis; sed hoc est falsum; ergò & illud. Sequela patet ex paritate rationis. Minor probatur; nam dato, quod posset Angelus cognoscere supernaturalia per solum accessum ad locum, potuisset consequenter loquendo cognoscere vnionem animæ Christi D. cum Verbo diuino; atque adeò an Christus esset filius Dei, quod tantopere scire desiderabat, & maximè quando erat illi localiter præsens, & illum affatus est, vt referunt SS. Euangelistę Mattheus, & Lucas illis verbis *Si filius Dei es.* Sed hoc non potuit Angelus cognoscere hoc modo; ergò &c. Respondeo esse disparem rationem; nam res supernaturales, sicut excedunt vires naturales effectiuas, siuè hominum, siuè Angelorum, sic etiã excedunt vires naturales cognoscitiuas; res enim supernaturales aut sunt idemmet Deus trinus, & vnus, vt est cognoscibilis à nobis, quod mysterium, certum est apud omnes, non posse viribus naturæ à nobis cognosci; aut sunt aliquis effectus productus ad extra, vel ab ipso Deo immediatè, vel simul cum creatura; & huiusmodi effectus, cum liberè producantur ab ipso Deo, non possunt cognosci, nisi ipso volente communicare notitiam illorum; ratione excessus, quem habent supra vires naturales cuiuscumque creaturæ; ac proinde eo nolente non possunt cognosci: per quæ patet responsio ad probationem. Præterea nec illa pręsentia erat sufficiens; requiritur enim intima, quæ ibi non erat, nec cum corpore, nec cum anima: non est sic de Angelis, qui sicut cognoscunt se ipsos naturaliter per suammet substantiam, & talis cognitio nullius illorum excedit vires; sic quando vnus esset intimè præsens alteri, & vellet cum illo concurrere; itaut alter non vteretur specie, (cum hoc non ex-

cedat vires naturales, neque vnius, neq; alterius, & ad huiusmodi actiones, ad quas se extendunt vires naturales, Deus ipse, vt auctor naturæ, naturaliter loquendo, non denegat concursum.) Optimè posset hoc modo hic illum cognoscere.

Dices secundo: ad hoc vt naturaliter res aliqua intelligatur, non sufficit, vt sit intelligibilis actu; neque vt sit localiter pręsens; ergò non poterit Angelus per suam solam substantiam sinè specie, etiam si habeat has duas conditiones, producere in intellectu alterius cognitionem sui. Probatur antecedens; quia lumen, esto actu visibile, & localiter præsẽs, nihilominus non potest videri, nisi per speciem; ergò à pari in intellectione duæ illę conditiones non sufficient. Probatur antecedens; quia in visione luminis candelę verbi gratia non solum videtur lumen, sed etiam videtur figura illa piramidalis, quam habet, quam nequit repręsentare ipsum lumen, cum figura sit sensibile commune, & lumen sensibile peculiare solius visus: ergò est necesse, vt detur species repręsentatiua illius. ℞. esse disparem rationẽ, nam in lumine, & figura, cum non detur intima præsentia, quam requirit talis sensatio, necessariò requiritur species; non sic in Angelo, quando est intimè præsens alteri; neque enim semper requiritur, vt id, quod est principiũ effectiuum intellectionis, informet, vel inhæreat ipsi potẽtiæ; sed si est aliquid substantiale, seu per se subsistens, & spirituale, cum possit naturaliter esse intimè pręsens alteri, cum vtrique competat penetrabilitas ratione immaterialitatis, & vnus non resistat, immò liberè cõsentiat, vt cum suo intellectu concurrat immediatè absque exercitio speciei, vt potest; in hoc enim nulla apparet repugnantia; nullùm remanet caput, per quod excludatur possibilitas talis modi intelligendi seipsos Angelorum ad inuicem. Dices talem modum non posse competere creaturæ, eoquod illo dato daretur illapsus vnius creaturæ in aliam, qui soli Deo ex communi Theologorũ consensu conuenit. ℞. negando talem sequelam; nam ad verum illapsum, qui soli Deo competit, requiritur plenum dominium ipsius in potẽtias alterius, idest tam respectu intellectus, quam respectu voluntatis, quale dominium numquam haberet Angelus; nam altero nolente concurrere ad intellectionem, alter nihil posset producere, liberum enim suarum creaturarum arbitrium sibi soli subiecit Deus.

Dices tertiò: ad hoc vt aliquid gerat vicem speciei, debet esse ita intelligibile actu, vt sit proportionatum potentiæ intelligenti, itaut neq; deficiat, neque excedat; sed nullus Angelus est hoc modo proportionatus intellectui alterius; ergò nullus pote-

poterit intellectui alterius per se ipsum præstare id, quod præstat sua species; Maior patet inductione; calor enim ob suam maiorem materialitatem, sicut & phantasma propter eamdem rationem non possunt esse species coloris respectu potentię visiuę; quin & propter eamdem rationem docet S. Tho. prima parte quęst. 89. artic. primo in corpore non posse animas separatas per species Angelicas, si illis infunderentur, prodire in cognitionem perfectam, claram, & distinctam, vt procedunt Angeli, sed tantum imperfectam; ergò vt aliquid gerat vicem speciei, debet esse proportionatum modo dicto. Minor probatur, quia essentia vniuscuiusq; Angeli, vel per excessum, vel per defectum, aut est maior, aut minor in perfectione essentiali, quam sit alter, omnes enim differunt specie; ergò nullus Angelus est eo modo proportionatus intellectui alterius. Respondeo: excessum, vel defectum illũ non attendi secundum perfectionem essendi; alias nulla species esset proportionata pro intellectione substantiæ Angelicæ, cum quælibet species sit accidens; sufficit ergò, quod excessus, vel defectus ille solum attendatur in ratione repræsentandi, in quo sensu nego Minorē; nihil enim est magis proportionatum ad repræsentandam substantiam alicuius, quã illamet eadem substantia. Ad probationes. ℞. illud de phantasmatibus, & coloribus nihil probare; nam ratio propter quam non possunt esse species coloris non est maior, vel minor materialitas, sed est, quia nullam habent rationem imaginis virtualis res pectu illius, cum differant ab eo, nõ solum in essendo, sed etiam in repræsentando. Præterea etiam data illa maiori, vel minori materialitate in illis, adhuc non habetur intentum; cũ in Angelis quantumuis specie differentibus semper immaterialitas sit æqualis; immaterialitas enim consistit in negatione materię, in qua negatione, cum in vnoquoque sit omnimoda, non datur maioritas, aut minoritas. Ad illud de animabus separatis. ℞. esse incertum, an per dictas species intelligerent saltem confusè; nulla enim datur ratio efficax ad hoc conuincendum; immò plures auctores tenent, species quibus prædictæ animæ intelligunt, esse eiusdem rationis cum illis Angelorum. Deniq; ad illud de differentia vniuscuiusque Angeli ab altero Angelo. Respondetur: esse ad summum in essendo, non in repræsentando; & præterea non admittitur communiter extra scholam Thomistarum.

Quæres hìc: an Angeli aliquo ex prædictis modis naturaliter possint se ipsos inuicem, & mutuo comprehendere; in qua difficultate, quia de quidditate comprehensionis diuersæ assignãtur explicationes, quas adduxi, & declaraui in Controuersia

sia de incomprehensibilitate Dei: illis suppositis procedo ad resolutionem, &

Dico primo: nullum Angelum comprehendere alterum, quemadmodum, nec etiam suam essentiam, & virtutes, nec res alias, secundum quod deducuntur ab exemplari diuino, & subsunt diuinę Prouidentię, siuè secundum omnes rationes intelligibiles. Hæc assertio est S. Th. q. 8. de verit. artic. 4. 6. & 7. ad primum, & decimum argumétum. Probat Sanctus Doctor intentum primo hac ratione: Si Angelus hoc modo comprehenderet alterum, comprehéderet etiam ipsum exemplar Dei, & ipsam Diuinam Prouidentiam: hoc autem posse fieri negat ex doctrina D. Dionysij lib. de cęlesti Hierarch. c. 6. vbi ait Angelos ignorare suam ordinationem, & virtutes. Secundò quia de rationibus intelligibilibus vnus Angelus illuminat alterũ, (nam, vt ait idem S. Dionysius lib. de diuinis nominibus, ab Angelis superioribus docentur inferiores rationes rerum similes;) quod non esset, si iste illum comprehenderet.

Dico secundò: nullum Angelum comprehendere alterum: si nomen comprehensionis sumatur propriè, idest non solum pro cognitione eorum omnium, quæ insunt formaliter rei, vel illi conueniunt: sed etiam eorum, quæ ex illa deduci possunt, tamquam ex causa; hæc enim omnia cũ ad ipsam rem pertineant, debent cognosci, vt sit vera, & propriè, ac rigorosè dicta comprehensio; hoc autem non posse esse probatur hac ratione: quia Angelus deberet cognoscere omnes actus liberos voluntatis illius, quem comprehenderet, & omnes actus eius internos, & effectus liberos, quę naturaliter non possc cognosci, est constans omnium Theologorum sententia.

Dico tertiò: quod si nomine comprehensionis veniat solum quidditatiua, & distincta cognitio prędicatorum essentialium, & naturalium proprietatum, (vt quandoque licet impropriè sumitur) omnes Angeli se mutuò comprehendunt: Sic docet S. Th. prima parte qu. 55. artic. 2. & qu. 58. artic. primo ad secundum, & qu. 89. & 109. artic. 3. immò in quęstione 8. de veritate artic. 15. ad secundum negat; Dæmones illuminari ab alijs de rebus naturalibus, sed ait; omnibus esse inditas species, quibus cognoscant omnia spectantia ad cognitioné naturalem, licet de hoc alibi dubitet, & in contrarium inclinet, idest in secundo dist. 3. quęst. 2. artic. 2. ad secundum. Probatur verò conclusio nostra hac ratione: Si aliqua esset difficultas in hoc genere comprehensionis esset de Angelo inferiore respectu superioris, non verò de superiori respectu inferioris: superior enim habet lumen intellectuale perfectius, ac proinde excedens intelli-

telligibilitatem inferioris, cum comprehendat etiam hoc modo suam essentiam, quæ est perfectior; sed neq; de illo est difficultas; ergò de nullo est difficultas: minor probatur, quia quilibet Angelus per species concreatas intelligit quidditates omniũ rerum naturalium, & consequenter etiam Angelorum, quod ostendit S. Th. prima parte qu. 56. artic. 2. in corpore auctoritate S. P. in axiomate; ergò de nullo est difficultas, tantò magis, quod idem Angelicus D. prima parte qu. 58. artic. 3. 4. & 5. & qu. 16. de malo artic. 19. & quodlib. 6. artic. 3. ad primum docet; Angelum intelligẽdo quidditatem alicuius, simul intelligere quidquid naturaliter ei competit, vel ei naturaliter tribui potest, vel remoueri, vel concludi; cuius signum dicit esse, quod ipsi intelligendo non discurrunt, nec componunt, vel diuidunt, quia statim cognito quodquid est, in eo statim cognoscunt omnia prædicata, & consequenter omnes proprietates naturales; & intellecto principio statim in eo cognoscunt omnes conclusiones naturaliter deducibiles. Confirmatur, quia ex hac doctrina nullum sequitur inconueniens; cum adduc Angeli inter se possint distingui in cognitione clariore, vel minus clara, licet adæquentur in obiecto cognito; vt patet in Beatis, qui omnes vident Deum totaliter ex parte obiecti, non verò ex parte cognoscentis; nam vnus videt clarius altero; & ad comprehensionem in ea acceptione de qua loquimur in præsenti, non est necessè, quod res videantur cum omni claritate possibili, alias nullus Angelus, nec etiam hoc modo posset comprehendere vllam rem naturalem, & tamen communiter posse docẽt Theologi. Sufficit ergò, vt cognoscant ea cognitione clara, quam requirit rei cognitæ natura, licet in perfectione essentiali superet naturam cognoscentis: Neque enim est absurdum dari in tali cõprehensione latitudinem ex parte cognoscentis, licet non detur ex parte rei cognitę; ex quo habetur maiorem perfectionem intelligentis in essentia, & gradu specifico facere quidem ad maiorem cognitionẽ obiecti ex parte cognoscentis, non autem ex parte cogniti: nec etiam est absurdnm, potentiam cognoscentem superari in essentiali, & intensiua perfectione ab obiecto, & non in perfectione extensiua, quæ est propria potentiæ, & est per ordinem ad obiectum, quæ semper est maior intensiua, cum complectatur omne ens, quod est naturaliter intelligibile.

AXIO-

AXIOMA TERTIVM.

De Cognitione, quam habent Angeli de Deo.

Ex Epist. 102. ad Paulinam. Capite 11.

QVod ergò ait S. Ambrosius, neque is, qui Deum videre noluerit, potest Deum videre, quid aliud intelligi voluit, nisi quia ijs, qui mundando cordi curam tantæ rei dignam non vult impendere, non vult Deum videre. Vide proinde quid adiungat, nec in loco, inquit, Deus videtur, sed mundo corde. Quid euidentius, quid expressius dici potuit? Ab hac igitur visione Diabolus, & omnes Angeli eius, & omnes cum eis impij sinè vlla nebula dubitationis exclusi sunt, quoniam mundo corde non sunt: ac per hoc, quod scriptum est in lib. Iob, venisse Angelos in conspectu Dei, & venisse cum eis Diabolum, non ideò Diabolus Deum vidisse credendus est. Ipsi enim dicti sunt venisse in conspectum Dei, non Deus in conspectum eorum. Veniunt autem in conspectum nostrum, quę videmus, non à quibus videmur. Venerunt ergò sicut in multis codicibus legitur, vt assisterent coram Deo, non vt coram ipsis Deus.

DVBIVM

Quomodo Angeli cognoscant Deum.

QVæstio hæc procedit tam de modo naturali, quam de modo supernaturali, quo Angeli Deũ cognoscunt; sed præcipua difficultas est de primo modo; nam de secuudo facilè deducitur ex ijs, quæ dicta sunt in controuersia de incompreheẽsibilitate Dei, & visione Beatifica; de quo tamen aliquid in fine dubij dicetur. De primo igitur puncto duæ sunt celebriores D. D. & Scholarum sententiæ. Prima est Scoti, in secundo distinct. 3. qu. 9 & Marsilij in secundo quæst. 7 artic. primo Concl. 8. qui opinantur: Angelos per speciem intentionalem superadditam cognoscere naturaliter Deũ, & Scotus addit hanc cognitionem esse claram, & quidditatiuam, licet non ita adæquatam, & comprehensiuam,

ſiuam, vt eſt illa, qua vnus Angelus cognoſcit alium per ſpeciem ſuperadditam, quam de illo habet.

Secunda eſt S. Tho. qui prima parte qu. 56. artic. 3. docet: Angelos per ſuam ſubſtantiam ſinè alia ſpecie ſuperaddita cognoſcere Deũ, non tamen clarè, & quidditatiuè, ſed abſtractiuè.

Dico igitur primo cum S. Thoma Alenſe, Gandauenſe, Ferrarienſe, & alijs, Angelum per ſua naturalia, ſiuè per ſuam ſubſtantiam, ſinè ſpecie ſuperaddita, habere eam notitiam de Deo, quam naturaliter habet. Probatur primo, quia nihil naturale poteſt aſſignari in ipſo Angelo, quod melius repreſentet intelligibiliter ipſum Deum, quam ſuamet immaterialis ſubſtantia, vt potè quæ, vt obſeruat S. Greg. hom. 34. in Euang. & lib. 32. mor. cap. 24. eſt quædam ſingularis imago Dei; quod idem docet Angelicus Doctor prima parte qu. 93. artic. 3. Quod verò hæc cognitio non ſit clara, & quidditatiua, vt contendit Scotus, patet primo ex illis S. S. P. P qui paſſim docent nec Angelos poſſe cognoſcere naturaliter Deum; quod eſſe intelligendum de cognitione clara, paſſim aſſerunt D. D. ſic enim explicant ea, quæ habet S. Dionyſius in lib. de cæleſti Hierarch. cap. 4 cum ait *videri non poſſe ab vllo ſecretum Dei*; & id quod habet S. Io. Criſoſtomus homil. 14. in cap. 1. Io: *id quod eſt Deus non modo Prophetæ non viderunt, ſed neque Angeli, neque Archangeli.* & ſimiles alias S.S. P.P. locutiones. Probatur ſecundo quia, vel Angelus habet ſpeciem, qua naturaliter cognoſcendo quidditatiuè Deum cognoſcat omnes perfectiones, quæ ſunt in eo, vel ſolum aliquas. Si primum, Angelus eſſet naturaliter Beatus, nam in tali cognitione clara conſiſtit Beatitudo, vel formaliter, vel efficienter; & ſic etiam Diaboli, in quibus naturalia manſerunt integra, eſſent Beati; quod eſt omnino falſum. Si dicatur ſecundum, quod videtur intendere Scotus, cum dicit *non cognoſcere quidditatiuè adæquatè*, tunc ſequitur neceſſariò nec vnam, nec alteram perfectionem cognoſci ab Angelo hoc modo quidditatiuè, & clarè, ac diſtinctè: de ratione enim intrinſeca vniuſcuiuſque perfectonis diuinæ ſunt omnes aliæ diuinæ perfectiones, cum omnes ſint vna ſimpliciſſima, & indiuiſibilis entitas, & perfectio: quapropter ſi per aliquam cognitionem nõ cognoſcuntur quidditatiuè omnes perfectiones diuinæ, per eam nulla illarum quidditatiuè cognoſcitur.

Dices primò cum Scoto, Angelus per ſuas vires naturales cognoſcit Deum non obſcurè, aut confusè; ergò clarè, & diſtinctè: antecedens probatur, quia Angelus naturaliter cognoſcit perfectius Deum, quam eum cognoſceret homo in ſtatu innocentiæ;

tiæ; huius enim cognitio erat dependens à sensibus, & phantasmatibus, illius verò non. Sed homo in eo statu cognoscebat Deum in specie,& clarè, non autem solum in communi, & in confuso, vt nos in hoc statu naturæ lapsæ in pænam peccati: ergò etiam Angelus æquè, immò magis clarè eum cognoscebat. Respondeo distinguendo antecedens: non cognoscit solum obscurè, & confusè quoad prædicata comunia Deo, & Creaturis concedo, quoad aliqua prædicata Dei propria, vt esse independentem, immutabilem, & æternum, vltimum finem, & similia nego: & in hoc genere cognitionis obscuræ, & cõfusæ satis est, quod Angelus perfectius, & perspicacius cognoscat Deum, quam cognosceret homo in statu naturæ integræ, sicut est præditus perfectiori intellectu, & sic patet responsio ad probationem.

Dices secundo: si aliqua ratio obstaret,quominus Angelus posset cognoscere Deum clarè, & distinctè per speciem. esset illa Thomistarum, quod repugnet species impressa repræsentans clarè, & quidditatiuè Essentiam Diuinam; sed hæc nulla est; nam vt dictum est in controuersia de Incomprehensibilitate Dei, non est adhuc allata sufficiens implicantia contradictionis talis speciei;ergò nihil obstat. Confirmatur, quia D. Paulus post raptum recordabatur se vidisse Diuinam Essentiam,& consequenter habebat speciem impressam clarè, & distinctè illam repræsentantem, quemadmodum habemus nos, quando recordamur alicuius obiecti, quod nostris oculis vidimus. Respondeo hoc non esse fundamẽtum nostrum, sed id, quod adductum est supra ad probandam nostram assertionem. Ad confirmationem respondeo. D. Paulum tunc non fuisse recordatum clarè,& distinctè,seù quidditatiuè Diuinę Essentię secundum se, sed solum se illam vidisse (qualicumque tandem modo viderit, de hoc enim est magna quęstio) ac etiã recordatum fuisse aliquarum veritatum, quæ in illa visione fuerunt illi ostensæ diuinitus, non tamen ipsius obiecti clarè; quemadmodum nos quandoq;post longum tempus recordamur legisse aliquam historiam, vel quæstionem, aut vidisse aliqua obiecta, non tamen tunc recordamur clarè, & distinctè partes,& conditiones illorum obiectorum.

Dices tertio: ex doctrina S. P. A. haberi fuisse in Angelis cognitionẽ matutinam,idest creaturarum in verbo; ergò etiam fuit in illis cognitio clara,& distincta Diuinæ Essẽtiæ;Antecedẽs est in confesso apud omnes; cõsequentia probatur, quia effectus nequeunt clarè cognosci in causa, nisi etiam ipsa causa clarè cognoscatur. Respondeo primo cum Caietano cognitionem illam matutinam in

germana S. P. A. sententia non fuisse naturalem, sed supernaturalem, de qua modò non disputo. Respondeo secũdo, quod etiam dato, quod illa cognitio fuisset naturalis, & consequenter confusa, nihilominus etiã hoc modo possent cognosci etiam effectus in Deo ab ipso Angelo; hoc enim possumus, & nos, & talis cognitio effectuum posset dici cognitio matutina, idest in Deo cognito.

Dices quarto: ex nostra sententia sequi cognitionem Angeli esse discursiuam, quod est contra S. Th. qui prima parte qu. 58. artic. 3. negat cognitionem Angeli esse discursiuam. Probatur sequela; quia tunc Angelus cognosceret Deum per suã substantiam, tamquam per similitudinem cognitam, sed talis cognitio est discursiua, vt patet ex omnibus alijs cognitionibus, quæ habentur ex cognitionibus aliarum similitudinum; ergò &c. Respondeo non sequi dictam cognitionem esse discursiuam, eoquod non interueniant plures cognitiones, quarum vna inferatur ex alia, vt essentialiter requiritur ad discursum formalem: Angelus autem vnica, & eadem cognitione congoscit substantiam suam, & per eam Deum, tum vt per imaginem quamdam representantem Deum, tum vt per effectum Dei à se cognitum. Quia verò præsens obiectio tangit difficultatem illam, an Angelus cognoscat Deum per suam substantiam, tamquam per obiectum cognitum, vel tamquam per medium cognoscendi; idcirco maioris claritatis, & vberioris doctrinæ gratia.

Dico secundo, Angelos vtroque ex dictis modis cognoscere naturaliter Deum. Primo quidem, tamquam per medium cognitum, vt docent S. Bonauentura in secundo dist. 3. parte secunda art. 2. q. 2. & Ricardus dist. 4. artic. 1. qu. prima, & secunda, & Probatur; quia Angelus est nobilissimus effectus Dei, & in eo imago Dei est magis expressa, quam in nobis: sed imago, & effectus cognita ducunt in cognitionem imaginati, seu prototypi, tamquam obiectum, seu medium cognitum; ergò &c. Quod verò cognoscant etiam, tamquam per medium cognoscendi; vt docent Caietanus in comment. artic. 3. qu. 56. primæ partis, Ferrariensis lib. secundo contra gentes cap. 99. & Capreolus in secundo dist. 3. qu. 1. artic. 1. concl. 5. Probatur; quia quidquid cognoscitur per speciem, vel per aliquid loco speciei, cognoscitur per illud, tamquã per medium cognoscendi; sed Angelus cognoscit Deum per suam substantiam tamquam per speciem; ergò cognoscit, tamquam per mediũ cognoscendi. Maior est certa, minor probatur, quia species representans effectum, & imaginem representat nõ solum eam, sed etiam prototypum, & imaginatum; nam spe-

cies vnius similis repræsentat etiam aliud,cui illud primum est simile;sed in omni creatura est aliqua similitudo Dei impressa; ergò quælibet potest esse medium cognoscendi. Probant alij ex eo, quod, sicut Essentia Diuina habet rationẽ causæ, & ideæ respectu creaturarum, ita & essentia Angeli habet aliquo modo vtramq; rationem,cum sit participatio Essentiæ Dei etiam secundum rationem causæ, & ideæ. Verum hæc ratio nõ videtur probare intentum; nam ex ea potius sequitur, quod hoc modo cognoscat,tamquam per medium cognitum, quam per medium cognoscendi. Standum est igitur in prima ratione.

Aduertendum tamen est, essentiam Angeli, quatenus præstat id quod præstaret species, non repræsentare primò, & immediatè ipsum Deum, sed mediatè solum; eo quod respectu Dei sit species aliena, non verò propria; nam eatenus est species, quatenus est effectus, qui habet rationem imaginis; & species aliena primò,& immediatè represen tat id, cuius est species propria.

Quæri hic solet; vtrum Angelus inferior perfectius cognoscat Deum per suam substantiam, quam cognoscat per species Angelorum inferiorum, vel superiorum. ℞. primo breuiter, quoad cognitionem existentię Dei ita cognosci Deum ab Angelo inferiori per suam substantiam, sicut per species Angelorum etiam superiorum. Probatur, quia ad hoc, vt cognoscatur Deus existere, sufficit cognoscere aliquid à Deo pendere; sed hoc æquè bene cognoscitur ab Angelo inferiori cognoscente se, ac cognoscendo alios, etiam superiores; ergo cognitio existentiæ Dei æquè bene cognoscitur vno, ac alio modo. ℞. secundo, quoad cognitionem quid est,seù Essentiæ, & attributorum Dei, perfectius cognosci Deũ ab Angelo per species superiorum, quam per suam essentiam,vel inferiorum. Probatur, quia tunc est perfectior cognitio Dei, quando plura prædicata cognoscuntur de illo, & cognoscuntur per effectũ perfectiorem; hic enim perfectius repræsentat causam,quam imperfectior; sed Angelus superior continet plures perfectiones,& est effectus perfectior; ergò &c.

Dices. Substantia Angeli inferioris est medium perfectius, immediatius,& magis proportionatum, quã species, quæ repræsentat Angelum superiorem; ergò Angelus inferior perfectius cognoscet Deum per suã essentiam, quam per speciem Angeli superioris. ℞. negando antecedens, primo quia, licet substantia Angeli inferioris sit entitatiuè, seu in esse physico,& naturę perfectior,non tamen est talis in esse intelligibili, seu repræsentatiuo, de quo est quæstio; perfectio enim speciei secũdum hoc

esse

esse sumitur in ordine ad id, quod immediatè representat; hoc enim est nobilius respectu speciei, quam respectu essentiæ. Secundo negatur antecedens, quia essentia Angeli, vt est species, non representat immediatè Deum, sed mediatè, sicut etiã quælibet alia species, quia respectu Dei est species aliena. Tertio negatur, quia species representans superiorem Angelum; ita est proportionata Angelo inferiori, sicut eius essentia in ratione representãdi, & prçterea habet maiorem vim, quia est rei altioris ordinis. Vtraque enim est naturalis, & ab initio creationis in ipso Angelo; Nec refert, quod nõ sit intimè vnita, siuè identificata cum Angelo, sicuti est eius essentia; hoc enim est, quia essentia habet rationẽ formæ naturalis, cum quo tamen stat, quod in ratione formç intelligibilis possit non habere tantam efficaciam, quantam habet species prçdicta. Ex hoc inferunt aliqui Theologi cognitionem Dei per essentiam Angeli inferioris differre specie à cognitione Dei habita per speciem representantem Angelum superiorem, eoquod non solum principium productiuum, sed etiam terminus immediatus specie distinguantur.

Dico tertio. Cognitionem supernaturalem, & visionem Beatificam Angelorum, qua & Deum, vt est in se, & creaturas in ipso verbo clarè vident, pulchrè, & acutè fuisse descriptam à S. P. N. lib 11. de Ciuit Dei cap. 29. his verbis. *Illi quippe Angeli Sancti non per verba sonantia Deum discunt, sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis; hoc est Verbum eius vnigenitum, & ipsum Verbum, & Patrem, & eorum Spiritum Sanctum, eamque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea personas esse vnam substantiam: & tamen omnes non tres Deos esse, sed vnum Deum ita nouerunt, vt eis magis ista, quam nos ipsi nobis cogniti sumus. Ipsam quoque Creaturam melius ibi, hoc est in Sapientia Dei, tamquam in arte, qua facta est, quam in ipsa sciunt: ac per hoc, & se ipsos ibi melius, quam in se ipsis; verumtamen, & in se ipsis. Facti sunt enim, & aliud sunt, quam ille qui fecit. Ibi ergò, tamquam in cognitione diurna, in se ipsis autem, tamquã in vespertina, sicut supra iam diximus, multum enim differt, vtrum in ea ratione cognoscatur aliquid, secundum quam factum est, an in seipso. Sicut aliter scitur rectitudo linearum, seu veritas figurarum, cum intellecta conspicitur, aliter, cum in puluere scribitur. Et aliter iustitia describitur in veritate incommutabili, aliter in anima iusti. Sic deinde cætera, sicut firmamentum inter aquas superiores, & inferiores, quod cælum vocatum est: sicut deorsum aquarum congeries, terraque nudatio, & herbarum institutio, atque lignorum: sicut Solis, & Lunæ, Stellarumque conditio: sicut ex aquis ani-*

malium, volucrum scilicet, atque pisciũ, belluarumq; natantium: sicut quorum cumque in terra gradientium, atque repentium, & ipsius hominis, qui cunctis in terra rebus excelleret. Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, vbi habent causas, rationesque suas, id est secundum quas facta sunt incommutabiliter permanentes, aliter in se ipsis. Illic clariore, hìc obscuriore cognitione, velut artis, atq; operum, quæ tamen opera cum ad ipsius laudem, venerationemque referuntur, tamquam manè lucescit in mentibus contemplantium.

Docet hìc primò S. Pater: Deum docere Angelos, non per verba sonantia, cum & ipse sit Spiritus increatus, & illi sint creaturæ Spirituales, & intellectus immateriales, qui ab eo auditu spirituali discunt. Modum hunc, quo Deus Angelis loquitur, esse ineffabilem ostendit idem S. P. N. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 6. vbi ait *Docet verò Deus aliquid in intellectum imprimendo, ita ad suam essentiam manifestandam lumen gloriæ imprimit, dum loquitur reuelando mysteria lumen Propheticum, vel fidei infundit.* ex quo loco etiam habetur Angelos habere à Deo species inditas, seu congenitas: altissimum verò Sanctissimæ Trinitatis mysteriũ ab initio, nonnisi per reuelationem, & antequam essent glorificati per lumen fidei, ac in ænigmate cognouerunt, & postea mediante lumine glorię viderunt Diuinam Essentiam: de quo puncto nos infra cum eodem S. Patre, qui lib. 13. Confessionum cap. 15. hoc pulchrè declarat.

Docet secundo. Et Vnitatem essentiæ, & Trinitatem personarum magis ipsis Angelis esse *nota quam nos ipsi nobis*. Vbi aduertit Coquæus, quod licet sit verum, quod illi perfectius cognoscant illud obiectũ, quam nos ea, quæ spectant ad nos, quia illa cognitio est de perfectiori obiecto, ac per lumen clarius, & certius; vult tamen, quod loquendo de modo nos possimus aliquo modo per aliquam cognitionem saltem supernaturalem perfectius cognoscere nosmetipsos, quia scilicet possumus saltem per lumen gloriæ comprehensiuè nos intelligere, quo pacto non possumus agnoscere Deum, nec etiam per lumen gloriæ iuxta illud Epist. primæ ad Corinthios cap. 12. *tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*, id est quoad euidentiam, non quoad comprehensionem.

Docet tertio. Ipsam creaturam melius ibi, quam in se ipsa per proprias species naturaliter cognosci; ita vt Angeli melius cognoscãt seipsos in Diuina Essentia quam in se ipsis: nam vt dixi in Controuersia 8. quæ est de Incomprehensibilitate Dei in dubio ad axioma nonum. Essentia Diuina est speculum voluntarium referens omnes creaturas. Ex quò fit, vt Beatæ illæ mentes, non solum vi-

deant

deant Essentiam Diuinam; sed etiam in ea, velut in speculo, ac ratione luminis gloriæ, quo vident Deũ, plures, aut pauciores creaturas intueantur, iuxta proportionem luminis gloriæ, adeò vt in vnaquaque cognitione, idest tam matutina, quam vespertina, eadem res sit cognita, idest creatura, vt Angelus, ipse etiam secundum suum proprium esse formale; vt docet S. P. hoc loco; ac etiam lib. 4. de Generi ad litteram cap. 24. & 25. ita tamen, vt in cognitione illa; quam Sanctus Pater hic appellat diuinam, alibi verò matutinam, medium cognitionis sit ipsa Essentia Diuina, quæ vnitur intellectui Beato non solum in ratione obiecti, sed etiam instar speciei cuiusdam, & similitudinis obiectiuæ, quæ primò se ipsam, deindè alia representat intellectui creato; in cognitione verò illa, quam S. P. vespertinam appellat, qua nempe se ipsum, & alia naturalia, non in Essentia, sed in se ipsis cognoscit, medium cognoscendi seipsum (vt supra dixi) est ipsa substantia sui ipsius, & comparatione reliquorum obiectorum ipsæ species ab initio ipsi menti Angelicæ impressę, de quibus supra.

Quia verò hìc incidit mentio de cognitione matutina, & vespertina Angelorum; placet hìc aliqua de hac distinctione aduertere præter ea, quæ dixi in quæstione de Incomprehensibilitate Dei loco citato; eo quod celebris est hęc distinctio apud S. P. & eius discipulos.

Adnerto igitur primò. S. P. cognitionis matutinæ, & vespertinæ distinctionem in Angelis assignasse lib. 4. de Genesi ad litteram, cap. 22. & lib. 5. cap. 5. & lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 29. & alibi passim. Quod quidem in libris de Genesi ad litterã præstitit, vt assignaret senarium numerum dierum creationis; cum illi non possent distingui secundum motus solis, & astrorum; quæ non fuerunt condita, nisi in quarto die: quapropter cognitionem Angeli appellauit diem, quia constat ex lumine clarissimo intellectuali ipsius mentis Angelicæ; distinxit autem mane, & vespere illorum dierum in eadem cognitione Angelica; ita vt appellaretur mane, seu cognitio matutina, quatenus habet pro obiecto esse primordiale rerum, quod est ipsum esse diuinum, & esse quoque ipsarum rerum, vt est in ipso Deo eminenter, & idealiter. Vespere autem, seu cognitio vespertina, prout est cognitio ipsarum rerum in se ipsis; eo quod sicut mane est quasi quoddam principium temporis vespertini, ita etiam esse rerum, vt est in Deo, sit principium esse rerum in seipsis.

Aduerto secundo. Valentiam tom. 2. disput. 4. quæst. 49. puncto 5. §. secundo putare esse doctrinam S. P. vtramque cognitionem, tam vespertinam, quam matutinam esse dupli-

duplicis generis: naturalem scilicet, & supernaturalem; Cognitionem matutinam naturalem esse, qua naturaliter Angelus cognoscit esse diuinum, quod est esse primordiale rerum, etiam quatenus tale,& hoc vel per suam substantiam, vel per species inditas rerum iuxta diuersitatẽ sententiarum;huius cognitionis matutinæ dicit meminisse S. P. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 22.23.& 34 cum docet omnes Angelos creatos fuisse cum cognitione matutina;constat autem Angelos malos non potuisse habere cognitionem matutinam supernaturalem; quæ consistit in clara, & Beatifica visione Dei. De hac supernaturali matutina loquitur idem S. P. locis citatis, & lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 13.& alibi sæpe. Valentia citat pro se S. Tho. & dicit eũ admittere cognitionem naturalem matutinam, & prima parte qu. 62. artic. primo asserere S. Patrem loqui de cognitione matutina naturali locis citatis ex lib. 4. de Genesi ad litteram; sed reuera S. Thomas non appellat expresse matutinam naturalẽ, & aduertit propriè dici matutinam supernaturalem. Cognitio vespertina naturalis est illa,qua Angelus per species infusas cognoscit esse rerum in se ipsis. Vespertina supernaturalis est cognitio Beatifica, vt per illam cognoscit Angelus res creatas etiam in se ipsis beneficio Essentiæ Diuinæ clarè visæ, quæ melius, quã species intelligibiles repræsentat illis etiam res creatas.

Aduerto tertio: non omnes Angelos habuisse cognitionem matutinam, & vespertinam supernaturalem; nam vt dictum est, Angeli mali numquam fuerunt Beati, vt ex instituto ostendit S. P. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 14. & lib. 12. cap. 6.

Aduerto quarto: cognitionem matutinam, & vespertinam supernaturalem re ipsa vnam, & eamdem esse, distinctas tamen ratione nostra penes diuersa obiecta: at matutinã, & vespertinam naturales non esse easdem; nec etiam re; nam alia est realiter cognitio naturalis Dei, qua Angelus illum cognoscit per suammet substantiam, vt suprà dictum est: alia est realiter cognitio, qua cognoscit res creatas in se ipsis per species sibi à principio suæ creationis inditas, & infusas.

Aduerto quinto: esse valdè probabile quod Angelus per cognitionem vespertinam naturalem cognouerit simul omnia illa, quæ fuerunt creata ab initio mundi, neq; hoc videtur esse absurdum,cum possit Angelus vnica cognitione multa simul cognoscere:quo pacto solet dici eum videre conclusionem in suis principijs, & effectum in sua causa Et hoc dicit Valentia loco citato, & puncto tertio apertè docere S. P. dum lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 32. & 34. ex instituto affirmat posse simul

cogno-

cognoſcere omnia illa, quæ initio mundi creata fuerunt. Ego tamen verius eſſe puto, quod in illis duo. bus capitibus S. P. loquatur de cognitione matutina ſupernaturali.

AXIOMA QVARTVM.

De Cognitione, quam habent Angeli materialium, & præcipuè rerum ſingularium.

Ex Lib. 9. de Ciuit. Dei Cap. 22.

Angelis bonis omnis temporaliũ rerum ſcientia, qua inflantur Dæmones, vilis eſt; non quod earum ignari ſint: ſed quod illis Dei, qua ſanctificantur, Charitas chara eſt.

DVBIVM.

Vtrum, & quomodo Angeli materialia, & ſingularia cognoſcant.

FVit error Auerrois lib. 12. metaph. tex. 51. neque Deum, neq; alias ſubſtantias ſeparatas cognoſcere ſingularia, & maximè materialia; à quo non multum diſtat opinio Auicennæ, qui tractatu de fluxu entis cap. 4. cenſuit ab Angelis ſolummodo cognoſci ſingularia, vt conueniunt in ratione entis; à quibus non eſt diſſimilis opinio illorũ, qui, vt refert S. Th. prima parte qu. 57. artic. 2. dixerunt cognoſci ab Angelis ſingularia ſolummodo in cauſis vniuerſalibus, & quaſi in confuſo; quo pacto eclipſes futuræ cognoſcuntur ab Aſtrologis, quæ omnia communiter à D. D. Catholicis cenſentur erronea; propterea.

Dico primo: Certum eſſe Angelos propriè, & diſtinctè cognoſcere naturas rerum materialium. Probatur hæc aſſertio primò; quia ex Sacra Scriptura conſtat eos habere curam de pluribus rebus materialibus,

& corporeis; & eas regere, & dirigere in suos fines; quod non possent præstare, si eas non cognoscerent; similiter narratur ibi; eos pluries cũ hominibus loquutos fuisse, eos instruxisse, & in necessitatibus adiuuasse, quod sine cognitione talium rerũ fieri nullo modo potuisset. Doctrina hæc habetur expresè apud D. Dionysium lib. de Diuinis nom: tamquã certa, & indubitata. Probatur secundo ratione, qua vtitur S. Th. loco citato art. prim. sic: in Angelis sũt species rerum materialium; ergò huiusmodi materialia cognoscuntur ab Angelis; consequentia patet, antecedens probatur: res inferiores sunt in rebus superioribus simpliciori, & perfectiori modo, quam in se ipsis, & ad modum quoque rerum superiorum; ergò & res materiales, vt potè inferiores sunt in Angelis modo simpliciori, & secundum modum ipsorum Angelorum, idest intellectualiter secundum suas intelligibiles species, sicut ipsi Angeli sunt intellectuales. Probatur tertiò: quia species Angelicæ sunt perfectiores, quam nostræ, tam in essentia, quam in repræsentatione; sed nostræ repræsentant res materiales; ergò & illæ Angelorum. Probatur quarto; quia species Angelicæ sunt similiores Diuinæ Essentiæ, quemadmodum, & Angeli ipsi plura de diuina perfectione participant, vt docet S. Dionysius lib. de cælesti Hierarch. cap. quarto; sed Essentia Diuina res omnes, etiã materiales intelligibiliter repræsentat; ergò etiam in hoc perfectiori modo imitantur illam species Angelicæ, quam nostræ.

Dico secundo, certum etiam esse, Angelos cognoscere singularia. Probatur primo ex Sacra Scriptura, nam in psal. 90. habetur *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te*; sed custodia est rerum singularium ergò &c. Præterea in Epist. ad Hæbræos cap. 1. *omnes sunt administratorij Spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Ergò habent prouidentiam illorum, quæ sinè cognitione stare non potest; vt patet ex illo Eccles. cap. 5. *Ne dicas coram Angelo non est prouidentia*, quibus locis vtitur S. Tho. ad hoc idem probandum loco citato artic. secundo. Probatur secundo; ratione ex philosopho; qui lib. 12. metaph. tex. 36. & 37. docet cęlos moueri ab intelligentijs per intellectum, & voluntatem; ergò cognoscuntur ab illis. Tertio ex eo, quod supponunt communiter S. S. P. P. cum S. Dionysio lib. de cælesti Hierarch. cap. 7. nempe inferiores Angelos à superioribus de diuinis operibus, & creaturis edoceri. Quarto ratione illa, qua vtitur S. Tho. qu. 57. artic. 2. quia nempè ea, quæ sunt dispersa in inferioribus; sunt vnita in superioribus; sed homines per duas potentias cognoscunt singularia materialia, & quidditates re-

rerum materialium, idest intellectu, & sensu; ergò Angeli, cum sint superiores, omnia ista cognoscunt per vnam, eamdemq; potentiam. Maior patet exemplo sensus cōmunis; qui cum sit excellentior sensibus exterioribus, solus percipit omnia ea, quæ percipiuntur ab eis. Minor est certa apud omnes Philosophos; nam & sēsu, & intellectu, constat experientia, singularia ipsa à nobis percipi: consequentia est legitima. Et consequēter ad prædicta colligunt etiam aliqui; Angelos per easdem species, per quas cognoscunt sigularia, cognoscere etiam quidditates rerum, eo quod tales species sint exemplatæ ab idæa diuina; per quam Deus facit, & cognoscit naturas tam vniuersales, quam singulares: Est tamen inter D.D. aliqua difficultas de modo, quo Angelus cognoscit ista singularia, an scilicet per species quidditatum, vel per distinctas singularium, nam Scotus in secundo dist. tertia qu. vltima vult Angelos intelligere singularia per species acceptas à rebus ipsis. Durandus verò ibidem quæst. 6 Ocham quæst. 14 & 18. Gabriel quæst. 2. artic. 2. sinè speciebus per solam præsentiam singularium, contrà quos iam suprà satis dictum est. Et Maior, ac Marsilius ibidem qu. 2. per species distinctas à speciebus quidditatum productas à Deo. Thomistæ autem contendunt cognosci tam naturas, seu quidditates rerum, quam singularitates earūdem per easdem illas species ab initio ipsis inditas; propterea.

Dico tertio cum S. Tho. prima parte qu. 57. artic. 2. & alibi, Caietano, & Bannez ibidem, nostro Ferrariense lib. 2. contra gentes cap. 20. Angelum cognoscere quamcumq; rei singularitatem per eamdem speciem, per quam cognoscit eius naturam, & quidditatem. Probatur primo, quia hæc duplex representatio in vna specie est possibilis, & maximè conuenit naturę Angelicæ; ergò Angelus per eamdem speciem cognoscit quidditatem rei, & singularitatem ipsius cum suis conditionibus. Antecedens probatur primò, quia nulla est excogitabilis implicātia cōtradictionis in oppositum: Secundo quia species illa representatiua quidditatis rei est similitudo, & participatio diuinæ ideæ, quę eadem est representatiua naturæ rei secundum omnes suas conditiones. Tertio quia, vt suprà dictū est, ea, quæ sunt dispersa in inferioribus reperiuntur vnita in superioribus; sed in homine dantur duæ species, quarum vna representat singulare, alia vniuersale; immò in sententia Nominalium, & maximè modernorum, per eamdem speciem, per quam cognoscitur vniuersale, cognoscitur etiam singulare, cum per eos non dentur præcisiones obiectiuæ; ergò multò magis dabitur in Angelo vna, & eadem species

representans vtrumque. Confirmatur etiam ex eo, quod communiter admittitur ferè in omnibus Scholis, quod scilicet, cum homo facit vniuersale ex vnico indiuiduo vnius speciei, verbi gratia quando cognoscit naturam specificam Solis, tunc per vnam speciem cognoscit, & naturã vniuersalem, & singularitatem illius; ergò à fortiori Angelus. Vltimò probatur, quia magis requirunt plures species plures quidditates rerum, verbi gratia duæ, quam quidditas, & indiuiduatio ipsius; sed ex supradictis constat in intellectu Angelorum, & maximè superiorum dari aliquam speciẽ, quę representet plures quidditates, & naturas specificas rerum; ergò etiam poterunt dari aliquę, quę simul representent naturam rei, & indiuiduationem eius; tantò magis; quod indiuiduatio, siuè singularitas rei non distinguitur realiter ab ipsius natura.

Dices primo: Species impressa intellectui Angelico est quædam ratio vniformis in se, & in ipso intellectu, non valens representare difformiter aliud, & aliud; ergò eadem numero non potest representare simul naturas vniformes, vel genericè, vel specificè, & simul conditiones indiuiduantes, & maximè inter se oppositas, vt potè rationes differendi, nõ verò conueniendi. Antecedens patet; quia est similitudo obiecti semper eodem modo se habens tam in essentia, quam in representatione. Consequentia probatur; quia alias vel hæc species representaret simul opposita pertinentia ad existentiam rei, & sic semper illa representaret, & consequenter per illam vt plurimum, & ferè semper representabitur falsum; nam opposita simul eidem inesse non possunt; quod intellectui Angelico conuenire non potest per se; vel representaret alterum illorũ determinatè, & sic numquam oppositum representaret; ergò eadem numero species non potest representare simul naturas vniuersales, & singularitates, seu conditiones quorumcumque indiuiduorum. ℞. communiter speciem Angelicam representare vniformiter ex parte sui, & simul simultate potentiæ, non verò potentia simultatis representare difformiter ex parte rerum oppositarũ conditiones indiuiduales sibi succedentes, & plura indiuidua in lucem prodeuntia; & hoc ex eo, quod talis species est similitudo Diuinę Ideę, quæ modo prædicto singularia representat. Responderi etiam potest, quod sicut nullum est absurdum, quod eodem verbo mentis, siuè eadem specie expressa representent plura, & opposita etiam contradictoriè, vt patet in propositionibus, quas de illis formamus, sic nullum est inconueniens, quod eadem species impressa, quæ non est formalis, sed solum virtualis imago rei, representet oppo-

opposita; Ratio huius à priori est, quia illam oppositionem, quam habent obiecta in esse rei, non habent in esse scibili, seu obiectiuo: & sic eodem indiuisibili actu simul, & semel percipimus calorem, & frigiditatem, Patrem, & filium, lucem, & tenebras, hominem non esse leonem, & similia.

Dices secundo: Si daretur talis species, illa esset infinitæ perfectionis, sicut etiam intellectio, quæ ex illa sequeretur; quod implicat; ergò repugnat. Sequela probatur, quia singularia, quæ per illam repræsentarentur, sunt infinita; ergò species repræsentans illa deberet esse infinitæ perfectionis. ℞. sufficere has species esse ordinis superioris; neque enim est absurdum, quod sint aliquo modo infinitæ, idest in repræsentando, quæ non est infinitas simpliciter, sed solum secundum quid, vt est infinitas potentiæ intellectiuæ, vel speciei expressæ; seu verbi mentis, quo repræsentatur infinitas Diuinæ Essentiæ, & attributorum eius.

AXIOMA QVINTVM.

De Cognitione quam habent Angeli quorumcumque futurorum.

Ex Lib. 9. de Ciuit. Dei Cap. 22.

Angeli Sancti certius temporalia, & mutabilia ista nouerunt, quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus, quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur; Dæmones autem non æternas temporum causas, & quodammodo cardinales in Dei Sapientia contemplantur, sed quorumdam signorum nobis occultorum maiore experientia multò plura, quam homines futura prospiciunt, dispositiones quoque suas aliquando prænunciant; denique sæpe isti, numquam illi omninò falluntur, aliud est enim temporalibus temporalia, & mutabilia coniectare, eisque temporalem, & mutabilem modum suæ voluntatis, & facultates inserere; quod Dæmonibus certa ratione permissum est; aliud autem in æternis, atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius Sapientia viuunt, mutationes temporum præuidere, Deique voluntatem, quæ tam certissima, quam potentissima est diuini spiritus eius participatione cognoscere, quod Sanctis Angelis recta discretione donatum est.

DV-

DVBIVM

Vtrum Angeli cognoſcant futura contingentia certò, & infallibiliter.

QVęſtio iſta procedit tam de futuris ex cauſis naturalibus; quæ ſcilicet non dependent ab arbitrio, quam de illis, quæ dependent à libera voluntate, vel immediatè operante, vel mouente, & applicante alias cauſas ad operandum; in quibus. Præmitto reſolutioni primæ partis, euentus futuros ex cauſis naturalibus eſſe in duplici differentia; quædam enim ſunt neceſſariò futura, vt ſunt ea, quæ pendent ex ſolo cælorũ motu, v. g. Eclipſes, Concurſus Planetarum, Solſtitia, Æquinoctia, & his ſimilia, & de his eſt certum ea naturaliter poſſe cognoſci ab Angelis certò certitudine Phyſica in cauſis naturalibus proximis, quas comprehendunt, in quibus illi effectus ſunt determinati: hi tamen effectus, licet phyſicè ſint naturales, neceſſarij, & determinati, metaphyſicè tamen ſunt contingentes, nam reſpectu Omnipotentiæ Dei poſſunt non eſſe, vt curſus, & occaſus ſolis; qui tempore Ioſue qui fuit impeditus obediente Deo voci hominis. Alij ſunt effectus etiam ex cauſis naturalibus contingenter futuri non ſolum metaphyſicè, ſed etiam phyſicè, vt ſunt monſtra, & ſimilia, quæ dicuntur cõtingentia, non ex eo, quod proueniant ab aliqua cauſa libera, & omnino indifferenti; ſed quia contingũt per accidens reſpectu alicuius cauſæ, quæ quando vnum aliquem effectum intendit, alium ſæpe producit propter occurſum, vel vnius, vel plurium cauſarum impedientium: & de effectibus hoc ſecundo modo aliquando rarò, aliquando frequenter occurrentibus eſt difficultas, vtrum ab Angelis in ſuis cauſis certò cognoſcantur: in qua ſunt duæ extremę, & oppoſitę inter ſe ſententiæ.

Prima eſt; Alenſis ſecunda parte qu. 26. num. 4. Alberti in ſecundo diſt. 7. artic. 5. Durandi diſt. 3. qu. 8. nu. 9. & diſt. 7. qu. 3. nu. 4. qui docent huiuſmodi futura contingentia ex cauſis naturalibus in illis certò ab Angelis naturaliter cognoſci.

Secunda eſt: Sancti Tho. qui prima partæ qu. 57. artic. 3 in corp. docet futura contingentia in ſe ipſis à ſolo Deo ob ſuam æternitatem omnia

nia tempora percurrentem cognosci; in causis verò si sunt necessariò futura modo dicto, vt Solem oriri cras, certo cognosci ab Angelis, si verò sint futura, vt in pluribus solū, & impedibilia ab aliqua alia causa naturali creata, non nisi coniecturaliter; quod si sint ex illis futuris contingentibus, quæ eueniunt, vt in paucioribus, vt sunt fortuita, casualia, & ad vtrumlibet ab Angelo penitus ignorari. Angelicum Doctorem sequuntur eius Discipuli, & cum eo sentiunt etiam S. Bonauentura in secundo distinct. 7. secunda parte art. primi qu. 3. B. Egidius N. q. 2. art. primo Ricardus artic. 2. quęst. 2. & Herueus ibidem. Cum quibus.

Dico primo: futura planè contingentia, quæ neque certò, neque vt plurimum sequuntur ex suis causis; sed omninò contingenter eueniunt, nullo modo naturaliter cognosci ab Angelis certò, nec in se; cum non habeant aliquam naturam existentem, quatenus futura sunt, & nullo modo sint pręsentia naturali cognitioni ipsorum; neque in causis eorum, cum sint planè indeterminatæ ad vnum. Hæc Doctrina est ita certa; vt est certum cognitionem certam futurorū esse propriam Dei, vt patet, & probatur primo ex illo Isaię cap. 12. & 41. *annunciate nobis futura, & dicemus, quod Dij estis.* idem habetur Danielis secundo. Sap. 8. in Epist. ad Rom. cap. 1. vbi Apostolus probat veritatem Euangelicam ex eo, quod fuerit antè prædicta per Prophetas: & ex Epist. secunda S. Petri cap. 2. *Habemus certiorem Propheticum sermonem.* quam cognitionem non ad naturale lumen, sed ad Diuinam reuelationem refert Apostolus ibi. Probatur secundo: ex Patribus, & primo ex Origene lib. 6. contra Celsum propè initium, vbi ait *Diuini sermonis caracterem esse prædictionem futurorum.* & S. Io: Chrisostomus hom. 18. in Io. ait. *certa prædictio futurorum immortalis dumtaxat Dei opus est.* Similia habent S. Cirillus, & Theodoretus in cap. 41. Isaię. Immò plures etiam indè probant mysteria Christianę Religionis esse vera; quoniam fuerunt à Deo antè prędicta, testata, & reuelata. Sic enim discurrunt S. Iustinus Martyr in Apologia secunda ad Antoninū; S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum; Tertullianus in Apologetico cap. 20. Lactantius lib. 4. diuinarum institutionum cap. 12. Et fusè ac eruditè S. P. N. A. pluribus locis, sed prçcipuè lib. de Catechizandis rudibus cap. 26. & lib. 13. contra Faustum cap. 8. & sequentibus, & lib. 17 de Ciuit. Dei cap. 15. & sequentibus. Probatur tertio; auctoritate S. Tho. qui prima parte qu. 17. art. 3. probat vniuersaliter de omnibus euentibus futuris contingentibus, inter quos numerat ęgritudines, & similia non cognosci naturaliter certò

fò ab Angelis: & lib. 2. contra gentes cap. 154. est totus in hoc probando, & qu. 8. de Veritate articulo 11. clarè docet futura contingentia etiā ea, quę contradistinguuntur à liberis, non nisi coniecturaliter ab Angelis cognosci: & hoc adeò indubitatum fuit apud S. P. vt in Axiomate posito apertè doceat; futura temporalia melius cognosci ab Angelis bonis, quam à malis itaut in eorum cognitione non possint decipi; eoquod videant in Verbo; quod non possunt Dęmones, qui propterea falluntur, & fallunt in suis prędictionibus de futuris, eoquod nullum esse determinatum, & infallibile eorum possint percipere; & propterea Sanctus Athanasius in lib. Q. Q. qu. 27. dicit, non posse à Dęmonibus sciri pluuias futuras, & Nili fluminis inūdationes. Probatur vltimo ratione supra tacta; quia futura contingentia in suis causis non habent determinatam veritatem; ergò non possunt certò, & naturaliter cognosci antequam existant in se ipsis, ac proindè nec antequam sint pręsentia.

Dices primò: S. P. N. A. lib. de Diuinatione Dęmonum cap. 5. dicit Angelos in aeris dispositione pręuidere futuras tempestates, & alia futura in signis naturalibus, quę homines pręuidere non possunt. Respondeo S. P. loqui ibi non de cognitione omninò certa, & infallibili, de qua in præsenti disputamus; sed de coniecturali, & fallibili, cui potest subesse falsum, & quandoque subest; quod est clarum ex eo, quod postea subiungit cap. 6. nempe Dæmones in his diuinationibus decipi, non verò Angelos bonos, quia hæc ab Angelis bonis, & Deo seruientibus ex alia dispositione Dæmonibus ignota quandoque mutantur, hanc autem dispositionem constat esse leges illas æternas, quas Sancti in Verbo vident, vt habes in Axiomatæ; Diabolus verò, & Angeli eius eas videre non possunt: propterea paulo post in eodem lib. de Diuinatione Dęmonum adducit factum illud; quod narratur in Euang. S. Matthei cap. 8. quando facta est tranquillitas in mari, iubente Domino N. Iesu Christo, vbi ait; *quis Dæmon non putaret tempestatem illam amplius duraturam, si causas solum naturales attenderet.* propterea idem S. P. lib. 2 de Genesi ad litteram cap. 17. obseruat, à malis, & pessimis mentibus quandoque vera prædici, non quod certò ea per vires suas naturales cognoscant; sed quia Deus immediatè, vel mediantibus bonis Angelis ea ipsis reuelat; sicut etiam quandoque per malos, & impios homines aliqua reuelauit, vt constat ex Sacra Scriptura de Balaam, & Caipha: dici etiam potest cū Tertulliano in Apologetico cap. 22. Dæmones vera prædicere ex reuelationibus non sibi; sed alijs factis, ex quorum scriptis, aut alijs si-

gnis

gnis eâ cognoſcere poſſunt: de qua preuiſione pulchrè ſic ludit. *ita & hinc ſumentes quaſdam temporum ſortes æmulantur Diuinitatem, dum furantur diuinationem*: de cętero coniecturaliter ſolum cognoſcere huiuſmodi futura omninò contingentia, de quibus agimus, conſtat; & hoc vel ex ſiderum conſtitutionibus, & diſpoſitionibus, ſeu influentijs, quas optimè cognoſcunt, vel ex alijs coniecturis coniecturaliter ſolum, ex dictis certò certius apparet. Pro quo obſeruat S. Hieronymus; Dæmones futura prænunciantes ſolere vt plurimum mendacia iungere veritati, & ſuas prædictiones ſic temperare, vt ſeu mali, ſeu boni quid accidat, vtrũque poſſit intelligi; vt ſunt illa facta, ſeu dicta Pyrrho Epirotarum Regi, *Aio te Eacida Romanos vincere poſſe:* Et Craſſo, *Craſſus tranſgreſſus Halim maxima regna perdet*; quibus addere poſſumus illud vulgatum, *ibis reditis non morieris in bello*; ac etiam illud temporibus noſtris infelici illo Duci militum prædictum, *ingredieris caſtrum, calcabis Eccleſiam, ſeruiet tibi Bononia*. Obſeruat etiam S. P. N. Auguſtinus loco citato; Dęmones interdum reuelare ea, quæ ipſimet ſunt facturi, aut procuraturi per homines malos, quos experimẽto ſciunt fore ſibi obſequentes: plura alia habes eruditè, & acutè penetrata ab eodem S. P. N. in dicto lib. de Diuinatione Dæmonum, quæ nõ vacat hìc modo tranſcribere; de quo argumentatur etiam doctè, & piè. S. Cyprianus in lib. de Vanitate Idolorum, & Tertullianus in Apologetico cap. 22. & S. Tho. lib. 3. contra Gentes cap. 154. cum quibus ſentiunt communiter alij PP. & Theologi.

Dices ſecundo: eumdem S. P. libro 12. de Geneſi ad litteram cap. 13 aſſerere animabus humanis, ſecundum quod à corporis ſenſibus abſtrahuntur, competere futura præuidere; ergò id potiori iure competit Angelis, quibus perfectior vis intelligendi concedi debet. ℞. S. P. ibi loqui non ex ſententia propria, ſed aliorum, & poſtea teſtari ſe nihil affirmare; ait enim eo loco: *Nonnulli volunt, animam humanam habere vim quamdam diuinationis in ſe ipſa: ſed ſi ita eſt, cur non ſemper poteſt, cum ſemper velit? an quia non ſemper addiuuatur, vt poſſit? quomodo adiuuatur? Vtrum in corpore ſit aliquid, vt indè quaſi relaxetur, & emicet eius intentio? An fiunt illic, quæ antè non fuerant? &c. An ſicut Spiritus, ita & mens, niſi adiuuetur, ea, quæ habet Spiritus, intelligere non poteſt? an fortè ipſa prorſus in hæc aſſumitur? an aliquando in ſeipſa videt iſta, aliquando per alterius Spiritus commixtionem? quidquid horum eſt, temerè affirmari non poteſt*: in quibus verbis non obſcurè refundit prædictam cognitionem in auxilium ſupernaturale. Vi-

de S. Tho. prima parte qu. 86. artic. 4. ad secundum.

Dices tertiò: S. Thomam quęst. 8. de Veritate artic. 11. docere Angelos certò cognoscere ea, quæ sũt in causis naturalibus determinata, siuè sint in vna causa tantum, siuè in pluribus simul, eo quod id, quod est contingens respectu vnius causę, respectu omnium simul sumptarum est necessarium; ergò quando docet effectus contingentes nesciri certò ab Angelo, vult solum tales effectus in causa naturali impedita ex occursu aliarum certò sciri non posse; non verò intelligit de omnibus effectibus futuris quomodocumque contingentibus. ℞. S. Tho. ibi apertè loqui de illis futuris contingentibus, quorum causę sunt physicè determinatæ ad vnum, ac proindè, & ipsi effectus physicè necessariò futuri, licet metaphysicè possint non euenire; si nempe Deus velit sua omnipotentia impedire: ac proindè dicta futura possunt sciri ab Angelis certitudine physica; Verum hæc non sunt de numero illorum, de quibus disputamus.

Dices quartò: Angelus habet species infusas singularium ab initio, per quę pręsentia, & pręterita optimè cognoscit sinè acquisitione nouę speciei; ergò per easdem poterit cognoscere naturaliter futura; est enim eadem ratio de futuris, ac de pręteritis; cum vtraque careant pręsentia, & coexistentia de pręsenti. ℞. non sequi; nam ad hoc, vt Angeli in actuali actu singularia certò cognoscant, requiritur, vt eiusmodi singularia coexistant Angelo tamquam pręsẽtia, vel certè prius coextiterint: est enim hoc conditio sinè qua talia non possunt cognosci. Hac conditione non indiget Deus, in cuius ideis addito decreto omnia futura sunt pręsentia. Ad confirmationem. ℞. esse disparem rationem de futuris, ac de pręteritis: nam pręterita, cum pręcesserint, fuerunt cognita ab Angelis, ac proindè in eorum mente manet reminiscentia talis cognitionis, & existentię obiecti pręteriti; nõ enim sunt inferioris conditionis, quam nos, qui reminiscimur pręterita. Non est sic de futuris, quę cum numquam extiterint, non habent aliquid, nec in esse rei, neque in esse scibili, in quo remanserit ratio determinata ea cognoscendi.

Dico secundo: certum esse apud Catholicos, futura contingentia dependentia ex libero arbitrio, vel per se immediatè, vel concurrente, mouente, aut applicante causas naturales, non posse naturaliter, certò, & euidenter cognosci ab Angelis, nec in suis causis, nec in se. Probatur primo, quia Scriptura S. Isaiæ cap. 41. ponit hoc pro signo diuinitatis ibi enim dicitur, *annunciate nobis quæ ventura sunt, & sciemus, quia Dij estis*, & postea cap. 42. Deus ab eu

tu

tu eorum quæ prędixerat, suam Diuinitatem confirmauit, dicens, *gloriam meam alteri non dabo, quæ prima fuerunt, ecce venerunt, noua quoque ego annuncio.* & cap. 46. *Ego sum Deus, & non est vltra me Deus, nec similis mei annuncians ab exordio nouissima, & ab initio, quæ nondum facta sunt.* Ex quibus locis S. Hieronymus, & præcipuè ex capite 41. in Commentarijs Isaiæ Proph. probat, idola non posse prædicere futura. Probatur secundo auctoritate S.S. P.P. & primo S. P. N. Augustini, vt in axiomate, vbi docet Dæmones sæpe falli in prædictione futurorum, quod præcipuè habet locum in futuris liberis; & in lib. de diuinatione Dæmonum cap. 6. vbi ait. *Multa Dæmones prænunciant, cum tamen ab eis longè sit altitudo illius Prophetiæ, quam Deus per Sanctos Angelos suos, & Prophetas operatur; nam si aliquid de illa Dei dispositione prænunciant audiunt, vt prænuncient, & cum ea prædicunt, quæ indè audiunt, non fallunt, neque falluntur, veracissima enim sunt Angelica, & Prophetica oracula &c. in cæteris autem prædictionibus suis Dæmones plerumq; & fallunt, & falluntur.* Idem docuerant S. Iustinus Martyr qu. 146. S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 16. & post S. P. S. Anselmus lib. de casu Diaboli cap. 21. & communiter alij S.S. P.P. Difficultas est in assignanda ratione, cur hoc non possint, cum talia obiecta sint ordinis naturalis loquendo de illis futuris liberis, quæ non requirunt vllum auxilium supernaturale. Ratio communis, & à priori desumpta ex S. Tho. prima parte qu. 57. artic. 3. est, quia huiusmodi futura, si possent naturaliter cognosci, vel cognoscerentur in causis, vel in seipsis; non in causis, quia liberum arbitrium ex se est indifferens ad vnam, & alteram partē, & æquè respicit vnam, ac alteram; ac proinde ex illo non magis potest percipi effectus futurus, quam non futurus; nec in se ipsis, quia talia futura non existunt in tempore, quod est propria illorum mensura, cum non sint producta, & posita extra suas causas, sed solum sint obiectiuè in mensura superiori æternitatis; sola autem cognitio diuina mensuratur æternitate, non verò Angelica, cuius propria mensura est æuum, vel tempus discretum; ergò solius Dei est omnia futura in seipsis cognoscere, vt sunt pręsentia in mensura suę ęternitatis.

Probari potest secundo, quia huiusmodi futura, cum sint futura non solum dependenter à libera voluntate creata dependente, & subordinata, sed etiam à libera voluntate Dei, cuius decreta sunt leges æternæ, quas Angelus naturaliter non cognoscit, consequenter non potest certò, & euidenter per vires naturæ huiusmodi futura cognoscere; & hęc est ratio cardinalis, & demonstratiua

ua S.P. vt habes in Axiomate.

Dices. S. Tho.loco citato in Responsione ad tertium docet species Angelicas æqualiter se habere ad res futuras, præsentes, & præteritas; ergò sicut Angeli naturaliter possũt cognoscere res præsentes, & præteritas ordinis naturalis; sic etiam poterunt per illas cognoscere res futuras. ℞. S. Th. ibi se explicare, quod licet species Angeli æqualiter repræsentent omnia ex se; tamen ex parte rerum res ipsas non eodem modo se habere ad rationes, per quas intelliguntur, propter rationem dictam; ac proindè diuerso modo esse philosophandum de rebus distantibus secũdum locum, ac de rebus distantibus secundum tempus. Dices. Si Deus infunderet oculo speciem coloris futuri, fieret visio illius coloris non aliter, ac si esset præsens; ergò similiter species angelica poterit repræsentare rem futuram, ac si esset præsens, eo quod est solum deseruiens apprehensioni obiecti, puta coloris, secundum se, ac si esset præsens, sinè vllo actu iudicij, quod sit præsens, preteritum, aut futurum; at species intellectus debet deseruire non solum actui apprehensiuo, sed etiam iudicatiuo, & ideo, cum non possit Angelus iudicare de futuris propter rationes dictas, non potest habere speciẽ repræsentantem futurorum, ac si esset præsens. Præterea species intellectus angelici est semper in perfecto esse, certificatiua de re, prout est; non enim repræsentat rem præteritam per modum præsentis; & consequenter nec futurum, vt præsens: esto species sensibilis possit repræsentare rem præteritam, vel absentem, tamquam præsentem sumptam in corrumpi, & in imperfecto esse, vt docent Aristoteles lib. 2. de Anima textu 138. S. P. N. lib. 11. de Trinitate cap. 2. & Gerson Alphab. 86. Littera B.

AXIOMA SEXTVM.

Non cognoscunt certò naturaliter Angeli cogitationes cordium.

Ex lib. 2. Retractationum Cap. 30.

IN quodam loco dixi: Dæmones aliquando, & hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere. Rem dixi occultissimam audaciore asseueratione, quam debui: nam peruenire ista ad notitiam Dæmonum per

per nonnulla experimenta compertum est; sed vtrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea spirituali ista cognoscant, aut difficilè potest ab hominibus, aut omninò nō potest inueniri.

DVBIVM.

Vtrum liberæ cogitationes cordis, & affectiones voluntatis possint naturaliter ab Angelo cognosci.

IN hac difficultate variè loquuntur D.D. aliqui enim affirmant, sed diuersimodè: alij verò negant, sed cum limitatione sequentes sententiam S. Thomæ, & eius Scholæ.

Ex ijs, qui affirmant sunt N. B. Egidius in 2. dist. 7. qu. 2. artic. 3. & Noster Argentina ibi qu. 5. artic. 2. cum quibus sentiunt Herueus dist. 8. qu. 3. Durandus qu. 5. & Henricus quodlib. 3. qu. 13. qui asserunt, & de possibili, & de facto cognosci ab Angelis naturaliter secreta cordis, & cum opponuntur illis auctoritates Sacrę Scripturę, in quibus talis cognitio soli Deo reseruatur, respondet Argentina huiusmodi secreta cognosci quoad terminorū significationem, non verò quoad compositionem, & diuisionem, idest cognosci obiectum cognitionis, & affectionis, ignorari verò substantiam illorum, vtrum scilicet sint per modum assensus, vel dissensus, complacentię, vel fugę: quod idem docet Egidius de cogitationibus; de volitionibus verò nihil dicit. Herueus autem vtrumque concedit cognosci, sed dicit ignorari intensionem actus. Durandus concedit obiectum, & substantiam actus; sed vult ea ignorari, vt futura sunt; hoc modo enim sentit à solo Deo cognosci. Henricus docet cognosci substantiā, sed ignorari intentionem, qua diriguntur actus ad finem, & quia ex intentione desumitur bonitas, & malitia actus, negat cognosci ab Angelis hos actus, quatenus boni, vel mali sunt moraliter. Scotus in 2. dist. 8. qu. 2. & in quarto dist. 10. qu. 2. ad 3. & dist. 43. qu. 4. Holchot in secūdo dist. 8. qu. 3. Okamus qu. 10. Gabriel dist. 9. qu. 2. art. 2. Bassol. qu. 2. Maior qu. 3. & Maironus qu. prima dicunt absolutè posse cognosci ab

An-

Angelis secreta cordium; de facto tamen ignorari, vel quia impediuntur à Deo, vt sentiunt Okam, Gabriel, & Maior, vel aliquando à nimia distantia, vt docent Scotus dist. 45. & Gabriel. Ex his elgo sententiam S. Tho. prima parte qu. 57. artic. 4. &

Dico: cogitationes cordis, seu affectiones voluntatis posse cognosci ab Angelis in suo effectu; sic enim cognoscuntur etiam ab hominibus per exteriorem effectum, & signum, vt per immutationem vultus, & dispositionem corporis, & similia, vt docet S. P. Augustinus lib. de Diuinatione Dęmonum cap. 5. at verò in se ipsis à solo Deo cognosci. Hanc sententiam non solum Thomistę sequuntur, sed etiam Alensis in summa parte secunda qu. 26. membro 3. S. Bonauentura in 2. dist. 8. secunda parte qu. 6. Ricardus ibi artic. 2. qu. 4. Noster Gregorius Ariminensis dist. 9. qu. prima, & Marsilius qu. 6. artic. 2. & Probatur primo auctoritate Sacræ Scripturæ, quæ cognitionem secretorum cordis soli Deo tribuit; nam lib. 3. Reg. cap. 8. habetur. *Si quis cogitauerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo, & facies, vt det vnicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor eius, quia tu nosti solus corda omniũ filiorum.* & lib. 2. de Paralipom. cap. 6. *Tu exaudies de cælo; & propitiare, & redde vnicuique secundum vias suas, quas nosti eũ habere in corde suo, tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* His locis contra Durandum apparet, sermonem esse de cogitationibus orantium in templo præsentibus, & non futuris; quas solum contra omnes supracitatos Auctores nostræ sententiæ aduersantes dicit à solo Deo cognosci. Sic etiam Hieremiæ cap. 17. dicitur. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile; quis cognoscet illud? ego Dominus.* Quod si Angelus cognosceret præsentes cogitationes, & affectiones, vt vult Durandus, licet nõ ita perfectè sicut Deus, vt limitat Herueus, neque verè diceretur cor hominis inscrutabile, neque inquireret Scriptura, quis cognosceret illud, neque rectè responderet, *ego Dominus*. Nec satisfacit explicatio Scoti, & aliorum, qui dicunt Scripturam Sacram non loqui de possibili; sed de facto, primò, quia non verè diceretur in ea cor hominis inscrutabile; inscrutabilitas enim non solum negat factum, sed etiam potentiam in creatura. Præterea sequeretur cognitionem huiusmodi secretorum esse naturalem, & consequenter non posse ex illorum manifestatione ostẽdi, seu confirmari vllam veritatem supernaturalem; nam ex opere naturali demonstrato, non demonstratur propterea supernaturale; sed consequens est falsum; nam Epist. prima ad Corinth. cap. 14. vbi agit Apostolus de vtilitate Prophetiæ habetur.

tur. *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, conuincetur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in terram adorabit Deum pronuncians, quod verè Deus in nobis sit.* Quibus verbis satis indicat, manifestationem talium secretorum ad solum Deum spectare: quam veritatem S. Io. Chrysostomus ibi, & S. Hieronymus, & S. Cyrillus, & Commentaria, quæ habentur inter opera Sancti Ambrosij, & alij asserunt Christum sufficienter ostendisse suam Diuinitatẽ, quando, vt habetur Matth. 9. & Lucæ cap. 5. manifestauit cogitationes eorum, qui intra se dixerant, *hic blasphemat;* & quando, antequam sanaret ægrotum, dimisit peccatum; & quando Simoni leproso per parabolam duorum debitorũ declarauit; se vidisse, quid lateret in eius corde circa permissionem accessus Magdalenæ; & similibus. Adde quod si esset potentia naturalis in Angelis cognoscendi talia secreta naturaliter, fieret perpetuum miraculum, impediendo eos, ne tali modo ea cognoscerent. Probatur secũdo auctoritate P.P. qui vnanimi consensu docent, secreta cordis soli Deo patere; & primo quidem S. P. N. tractat. 22. in Ioannem ait. *Deus autem scit in nobis, & quod ipsi nescimus in nobis. Nam infirmitatem suam Petrus nesciebat, quando à Domino, quod ter esset negaturus audiebat, & æger se nesciebat, medicus ægrum sciebat. Sunt ergo quædam, quæ Deus nouit in nobis, nescientibus nobis: tamen, quantum ad homines pertinet, nemo sic se nouit, quomodo ipse homo; alius nescit, quid in illo agatur, sed Spiritus eius nouit.* Idem habetur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, qui circumfertur inter opera S. P. N. Augustini; sed re vera non est ipsius, vt obseruauit Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & alij. Similia habent S. Io. Chrysostomus homilia 30. in Matthęum, S. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 19. S. Athanasius lib. 9. ad Antiochum qu. 20. S. Ambrosius, & S. Hieronymus, ac etiam Theophilactus in illa loca Matthei cap. 9. & 12. & Lucę cap. 19. *videns Iesus cogitationes eorum;* apud quos Patres certum est, Diabolum non videre cogitationes cordium, sed ex motibus corporis, & passionibus, ac alijs indicijs eas colligere, & inuestigare. Probatur tertio ratione, quam adducit S. Thomas, quia scilicet Angelus per species sibi inditas non cognoscit nisi naturalia, quę scilicet ad propriam naturam, & statum spectant, & dicunt ordinem ad causas naturales; sed tam actus intellectus, quam voluntatis liberi aliorum non pertinẽt ad statum, & naturam eius, à quo non producuntur, neque habent dependentiam ab aliqua causa naturali; cum emanent à voluntate, vt voluntas est, vel ab ea imperentur, non

verò

verò vt natura est, sed solum à Diuina, quæ sola in voluntatem creatam influere potest: ergò liberæ cogitationes, & affectiones naturaliter ab Angelis cognosci non possunt; quæ ratio fuit indicata ab Apostolo in Epist. ad Corinth. cap. 2. vbi ait. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quę sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Soli enim Deo voluntates liberæ subiacent, ita vt solus in illas operari possit intimè, vt primum eius obiectum, & vltimus finis; & propterea ait Apostolus, vt notat ibi Angelicus Doctor, Spiritũ hominis cognoscere ea, quæ sunt hominis, quæ propriè sunt actiones liberæ, quia in ipso homine est; at Angelus, cum non possit illabi in alios Spiritus, aut in animas rationales, non potest intrinsecus in eorum voluntatibus operari; & consequenter manet, hoc esse proprium solius Dei. Confirmatur etiam ratione supra tacta, quia hę cogitationes, & affectiones liberę non possunt cognosci in ipsa voluntate antecedenter ad earum existentiam; quia tunc voluntas, vt libera, est indifferens; nec possunt cognosci in se, cum existunt, eoquod Angeli non habent earum species; spectat enim ad Diuinam Prouidentiam seruare creaturæ rationali perfectum dominium circa suos motus liberos, quod competit eius perfectioni, quę est supra alias creaturas, quæ exigit, vt tales motus sint occulti, donec per effectus, vel per loquutionem manifestentur; aliàs superfluo poneretur mutua loquutio inter ipsos Angelos.

Quæres hic primò; an saltem possint Angeli naturaliter cognoscere cogitationes cordium naturales, & necessarias, quæ scilicet non dependent à voluntate liberè operante. Affirmant Zumel, Bannez, & Vasquez in suis lucubrationibus ad art. 4. qu. 57. primæ partis S Thomæ; immò Bannez dicit hoc asseri ab omnibus Theologis. Probatur, quia ratio potissima, propter quam Angelus non potest cognoscere secreta cordis, est libertas, & dominium voluntatis in illa, siuè quia, vt loquitur S. Tho. motus liber voluntatis non potest naturaliter cognosci, nisi ab eo, vel ab eis, à quibus ille dependet. (intellige, nisi ab eis, à quibus pendet, vel per loquutionem, vel alio modo manifestentur;) sed voluntas non habet tale dominium super operationes necessarias; ergò naturaliter poterunt cognosci ab alijs Angelis. Confirmatur, quia sublata libertatis ratione sunt in entitate sua res naturales, sicut alia entia naturalia spectantia ad Angelos, qualia sunt potentiæ, habitus, species impressæ, & similia; ergò, sicut ista naturaliter cognoscuntur, ita & illa; & hoc pacto tam actus voluntatis, quam intelle-

tellectus indeliberati poterunt cognosci, antequam post aduertentiam transeant in actus liberos, & ad statum liberum; & hoc verum est, siuè procedant ex vsu rationis totaliter impedito, vt in amentibus, ebrijs, & dormientibus; siuè non totaliter impedito, sed non aduertente, aut ignorante, quales solēt esse in nobis motus primò primi. Hæc dupliciter posse cognosci concedunt prædicti Auctores; primò, vt in causa naturali naturaliter, & non liberè operante, vt in amente; nam in illo tales actus procedunt ex causis naturalibus naturaliter loquendo, quæ naturaliter mouent imaginationem, & appetitum, & consequenter intellectum, & voluntatem. Secundo in se ipsis intuitiuè per speciem inditā, siuè concreatam, per quam S. Tho. qu. 9. de Veritate artic. 4 ad 11. argumentum docet, cognosci quidquid, naturaliter existit in alio Angelo.

Dices primò: eadem est substantia operationis necessariæ, & liberę; ergò si species illa representat cogitationem, seu actum voluntatis necessarium, representabit etiam liberum. ℟. primò, antecedens non esse certum apud omnes. ℟. Secundo communiter negando consequentiam; cum enim ex Sacra Scriptura constet eamdem cogitationem, seu volitionem liberam ante loqutionē esse incognitam, post loqutionem verò esse cognitam; sequitur rationē libertatis extrahere cogitationem, & affectionem ex statu naturali, & ponere illam extra obiectum speciei Angelicæ, quod continet solummodo entia naturalia; ac proinde posita prędicta ratione libertatis non representabitur naturaliter cogitatio, seu volitio illa. Quemadmodum, vt suprà dictum est, quam diù, & quatenus conditio futuritionis afficit rē, tam diù species Angelica illam non representat. Dices, hoc quod est esse liberum in actu intellectus, est solummodo denominatio extrinseca; ergò hæc non poterit impedire representationem speciei circa illum. ℟. quidquid sit de antecedente, de quo variè loquentur D. D. negando consequentiam; nam adhuc dato, quod ratio libertatis esset extrinseca denominatio actui intellectus in esse rei, non tamen in esse representabili, aut scibili; & ratio à posteriori est, quia cogitatione intellectus libera cognita, vt libera, naturaliter deuenitur in cognitionem affectionis liberæ voluntatis, per quam illa imperatur, & à qua dependet; sed hæc debet esse occulta, vt docent communiter Scripturæ, SS. PP. & DD. ergò, & illa.

Quæres secundo: an Angeli possint cognoscere huiusmodi cogitationes liberas quoad substantiam, ignorata ratione, seu conditione libertatis. ℟. negatiuè; eoquod, dum

adest talis conditio, substantia actus est extra obiectum representabile speciei Angelicæ; nam libertas intrinsecè afficit totam substantiam actus, & maximè in sententia, quam sequor, libertatem scilicet esse relationem realem in ipso actu, seu effectu identificatam cum ipso; quemadmodum igitur conditio futuritionis rẽ futuram totam ita afficit, vt faciat esse extra obiectum naturale scientiæ Angelicæ, ita & ratio libertatis. Prętereà quando Scriptura Sacra negat cogitationes cordium ab alio, quam à Deo cognosci, necessariò est intelligenda non solum secundum rationem libertatis, sed etiam secundum rationem substantiæ, seu quidditatis talis actus, tum quia cum ratio libertatis sit relatio prædicta ad voluntatem liberè se determinantem, & producentem talem actum, dicere, cogitationes cordis soli Deo patere, esset dicere, solos actus voluntatis liberos formaliter esse illi cognitos, & tamen Scriptura nõ solum actus voluntatis, sed etiam cogitationes liberas intellectus subiectas esse naturaliter soli Deo docet, vt patet ex locis supra adductis; tum quia hoc verbum cogitatio primò, & principaliter supponit pro substantia, seu quidditate ipsius actus; ac proindè Scriptura negando absolute tales cogitationes naturaliter ab vllo intellectu creato cognosci, aut falsum dixisset, aut saltem non rectè, & propriè loquuta fuisset negando absolutè cogitationes cordium ab Angelo cognosci, si possent cognosci secundũ id, pro quo supponunt, & quod in illis est potissimum. Adde, quod si posset cognosci naturaliter ab Angelo quæcumque cogitatio cordis, quantumuis libera, possent consequenter cognosci peccata infidelitatis, & duritiæ cordis in credendo; quod tamen est falsum; nam alias Christus D. non satis confirmasset suam diuinitatem manifestando cogitationes, & iudicia eorum interna; qui dicebant, *hic blasphemat*, vt habetur Matth. 9. & Luc. cap 5, quod est contra SS. PP. supra citatos, qui vno ore dicunt, fuisse manifestissimũ Diuinitatis signum, & argumentum; sequela patet, quia affectiones liberæ optimè possent cognosci in actu intellectuali memoriæ ipsarum, vel in iudicio practicè practico, vel in iudicio, quo aliquis versatur circa sua desideria; nam etiam hoc modo, saltem reflexè, nos ipsi cognoscimus affectiones nostras. Peccatum verò infidelitatis cognosceretur, vt patet, ex ratione quidditatiua talis peccati, quod consistit in iudicio intellectus, quo quis iudicat non esse verum aliquid, quod proponitur ab Ecclesia, supposita aduertentia in intellectu, quod propositio talis obiecti facta sit ab Ecclesia; his enim duobus positis semper intercedit peccatum infidelitatis; sed qui naturaliter

cogno-

cognoſcit cogitationes cordis, poteſt vtramque cogitationem cognoſcere; ergò & peccatum infidelitatis. Dices prædicta inconuenientia ſequi etiam ex eo, quod cognoſcantur actus intellectus, & voluntatis neceſſarij; fieri enim poteſt, vt prædicta iudicia ſint neceſſaria. ℞. iudiciũ practicè practicum non poſſe eſſe neceſſarium, ſi dependeat à voluntate ſequente cognitionem, vt inde terminatam; ſimiliter etiam negatur poſſe eſſe neceſſarium actum illum, quo quis iudicat falſum eſſe illud, quod ab Eccleſia proponitur, poſito, quod ſimul iudicet ab Eccleſia proponi; tale enim iudicium ſequitur cognitionem determinatam, actus verò memoriæ, & iudicium illud, quo, quis iudicat ſe feciſſe aliquem actum liberum, vt plurimum ſunt actus liberi; quod ſi dentur neceſſarij, tunc ratione obiecti, quod eſſet actus liber, eſſent & ipſi naturaliter incogniti Angelo. Ex quibus manet Angelum poſſe ſolummodo naturaliter cognoſcere illos actus intellectus, & voluntatis neceſſarios, qui ſunt tales completè, id eſt & ratione entitatis, & ratione obiecti, ad quod intrinſecè ordinantur.

Quæres tertio: vtrum Angelus poſſit naturaliter cognoſcere actus imaginationis, & appetitus ſenſitiui, quatenus pendent à ratione, & voluntate, ſiuè quatenus liberi ſunt, & ſecundum eſſe morale ſunt boni, aut mali; & ſimiliter habitus appetitus ſenſitiui [poſito, quod dentur, nam aliqui ſolum eos admittunt in potentijs ſpiritualibus) ſecundum quod ſunt boni, vel mali. Reſpondent communiter negatiuè, & ratio eſt, quia talis ratio moralitatis prouenit à motu libero voluntatis, & ab aduertentia rationis, quæ non poſſunt naturaliter cognoſci ab Angelo, vt habet S. Tho. prima parte qu. 57. artic. 4. ad 3. Ex quo inferunt rationem boni, ſiuè mali moralis, virtutis, aut vitij non eſſe eſſentialem differentiam actus, vel habitus, tunc enim neceſſariò cognoſceretur ab Angelo cognoſcente ſubſtantiam actus, vel habitus; & ſic Dæmon ſua virtute naturali poſſet venire in cognitionem actuum liberorum; concedunt tamen poſſe prędictos actus, & habitus imaginationis, & appetitus ſenſitiui cognoſci ſecundum entitatem actus phyſici, ſiuè, vt alij dicunt, ſecũdum ſubſtantiam, eoquod ſunt materiales, & inferioris ordinis, & eiuſdem rationis cum actibus potentiarum vitaliũ materialium, id eſt ſenſuum exteriorum, & potentiæ loco motiuæ, nec requiruntur neceſſariò ad rationem libertatis, ſicut requiruntur actus intellectus, nec ſufficienter ducunt in cognitionem actuum liberorum voluntatis; ſæpe enim huiuſmodi actus eliciuntur ſinè deliberatione voluntatis, & plena aduertentia intellectus, & tunc

non potest ex illis cognosci, quid agatur in intellectu, & voluntate, voluntas enim, & intellectus, vt docet S. Tho. loco citato, non subiacent appetitui sensitiuo, & phantasiæ, sed potest intellectus diuersimodè illis vti, nam, vt ait idem Angelicus Doctor qu. 8. de veritate, artic. 13. ad 4. ex eisdem phantasmatibus ratio nostra potest tēdere in diuersa; ideſt ſtante actu imaginationis, & eius obiecto, & cognitione vtriusque potest intellectus cognoscere alia, quæ concernunt tale obiectum; quæ cognosci non possunt ab Angelo ex actibus phantasiæ, quemadmodum vnus Angelus cognoscendo species alteri concreatas, non tamen propterea potest naturaliter cognoscere vsum illarum; cum enim per eamdem speciem, verbi gratia Leonis, possit cognoscere plurima de Leone, non potest alter Angelus per cognitionem talis speciei virtualiter solum repræsentantis Leonem, cognoscere quid determinatè alter Angelus cogitet de Leone.

Manet ex dictis; non esse admittendam sententiam aduersariorum, quocumque ex supradictis modis explicetur; nam omnes illi modi supponunt, secreta cordium aliquo modo ab Angelis cognosci; cum tamē Scriptura Sacra absolutè neget illa cognosci, nisi à solo Deo; quod sic ostendo singillatim examinando breuiter singulos in particulari. Primo: falsum est, quod secreta cordiū cognoscantur quoad terminorum significationem, non verò quoad assensum, vel dissensum: cum enim talis assensus, vel dissensus essentialiter includatur in substantia actus, tamquam differentia essentialis illius ordinans illum tali modo ad tale obiectum, non potest cognosci substantia talis actus, quin cognoscatur talis ordo; cum hæc duo sint inter se identificata, & talis cognitio supponatur esse clara, & intuitiua, non verò abstractiua, quemadmodum sunt cognitiones aliorum obiectorum, quæ Angeli naturaliter per species inditas cognoscunt. Secundo falsū est etiam, quod cognoscantur solum quoad entitatem, non verò quoad intensionem, vt contendit Herueus: cum enim intensio non distinguatur realiter à substantia actus, si hæc cognoscuntur intuitiuè, vt deberet esse in proposito, & supponitur etiam ab Aduersarijs, non solum substantia, sed etiam quæcumque intensio cognosceretur. Tertiò: falsum est etiam quod docet Henricus, nempe cognosci quidem vt actus sunt, non tamen vt boni, vel mali moraliter sunt. Cum enim bonitas, & malitia non solum sumatur ex fine, sed etiā ex obiecto, & circumstantijs, poterit saltem Angelus cognoscere tales actus iuxta principia Henrici, immò, & non poterit non cognoscere, quatenus sunt boni ex obiecto, tū quia

vel illa intentio est actus voluntatis, vel vt volunt plures Theologi relatio eiusdem; si dicatur primum, cum identificetur cum actu voluntatis Angelicæ secundum substantiam, si Angeli naturaliter cognoscũt hanc, cognoscent,& illam propter rationẽ supra adductam contra Herueum. Si dicatur secundum, vt vult Henricus, vel illa relatio est rationis, & tunc talis relatio, cum fingatur ab intellectu, sequitur Angelum cognoscentem substantiam actus, & obiectum, optimè cognoscere talem relationem, vel eam ipsummet Angelum fingere posse. Si dicas esse realem, tunc non est maior ratio ignorandi talem relationem,quam ipsam substantiam actus. Præterea vel talis relatio est congenita voluntati, & ita semper erit eadem intentio in voluntate, vel aduenit de nouo, & sic debet habere fundamentum in voluntate de nouo adueniens; quod tamen videtur negare Henricus;docet enim, stante eadem voluntatis affectione, & cogitatione intellectus circa rem aliquam, posse esse varias intentiones. Quartò: falsum etiam multò magis est id, quod docet Durandus,nempe cognosci quidem hęc omnia, sed ignorari futuritionem; nam Scriptura, & S S. P P. vtrumque separatim negant,docẽdo naturaliter cognosci non posse futura illa, de quibus supra dictum est; & naturaliter non posse cognosci ab vlla creatura secreta cordium, non solum quando sunt futura, sed etiam quando existunt, nisi manifestentur ab eo, cuius sunt secreta. Quintò: non rectè ab alijs Doctoribus, admissa possibilitate talis cognitionis naturaliter; conceditur hoc de facto non esse;rationes enim, quibus hoc nituntur suadere, non conuincunt; Gratis enim dicitur Deum denegare concursum stante possibilitate, & potentia expedita in ordine ad talem cognitionem: tum quia violenter Angeli detinerentur, ne cognoscerent talia secreta, & sic esset miraculum æternum; tum quia non videtur adesse fundamẽtum sufficiens denegandi hoc Angelis bonis, saltem custodibus; tum quia non videtur rationi consentaneum, vt tota species indiuiduorum,immò tot species,quæ constituunt maximam vniuersitatem, priuentur in perpetuum operatione sibi connaturali. Præterea gratis etiam adducitur distantia pro impedimento talis cognitionis, tum quia vt rectè arguit Maior in secundo dist. 9. qu. prima si destruerentur omnia corpora; adhuc vnus Angelus non posset cognoscere secreta cordis alterius; tum quia distãtia ad summum potest impedire actiones corporeas, quæ non abstrahunt à quantitate, situ, loco, & tempore, quales non sunt cognitiones intellectuales.

Dices primò: motus exteriores

sunt

sunt liberi non minus, ac sint cogitationes cordis; sed illi cognoscuntur naturaliter, ergò etiam istæ. ℞. esse disparem rationem; cogitationes enim cordis sunt à potentia radicaliter libera, & habent necessariam cõnexionem cum actu voluntatis formaliter libero, tamquam regula cũ regulato, & radix libertatis cum libertate, & tamquam ratio cognoscendi cum re cognita; vnde ita coniunguntur cum actu libero, vt sinè illis iste esse non possit, ac proinde quasi constituunt vnum cum illo, denique non habent connexionem cũ causa naturali; vndè participant suo modo conditionem actus liberi voluntatis: non est sic de motu exteriori, qui licet sit vt plurimum actus liberè imperatus à voluntate, ipsa tamen potentia loco motiua nec est formaliter, aut radicaliter libera, nec motus eius est regula, aut radix libertatis, nec aliam continet rationẽ libertatis, nisi vt effectus à causa, & signi ad significatum; vndè ad summum est ratio cognoscendi à posteriori actum liberum imperantem, quod iam suprà concessum est; non verò sufficiens argumentum, quod si ipse cognoscitur naturaliter, & ipsæ cogitationes cordis debeant cognosci naturaliter.

Dices secundò: Si cogitationes, & secreta cordium ideò sunt incognita, quia sunt libera, etiam ea, quæ procedunt ex libero arbitrio Dei, deberent esse incognita, qualia sunt existentia Angeli, & animæ rationalis, motus cæli, & similia; sed hæc naturaliter cognoscuntur etiam in ratione effectus liberè procedentis à Deo; ergò etiam illa poterunt naturaliter cognosci. ℞. Deum in productione Angeli, & animæ rationalis &c. liberè quidem operari; sed nihilominus se habere admodum causæ naturalis, nam illa eodem modo producit, ac produceret, si esset agens ex necessitate naturæ. Quo pacto Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 4. ad 8. & Sotus lib. primo de Natura, & gratia cap. 8. dicunt, ideo Deum non esse causam peccati, quia non concurrit vt agẽs morale; sed vt agens naturale; idem dicendum de motu cæli, de iactu lapidis, & similibus, nam motus localis non est ex se actus vitalis, si præscindatur à cognitione, & appetitu; nam eodem modo fieri possent à nõ cognoscente. Adde, quod non omnis libertas cõstituit rem extra obiectum intellectus Angelici; sed solum libertas actus vitalis intrinseci, siuè formalis, siuè radicalis naturæ intellectualis, & ideò potest Angelus cognoscere loqutionem liberam externam, & consequenter res omnes naturales liberè factas secundum suam substantiam.

Dices tertiò: Actio libera existens extra causam habet statum determinatum, & naturalem; res enim dum

dum est, non potest non esse; ergò naturaliter potest cognosci. ℞. cogitationem, seu affectionem liberam, etiam quando est extra suas causas, esse liberam, quia est à potentia, quæ poterat illam producere, & non producere; & consequenter potuit in illo instanti non esse, & post illud instans potest non esse: habere tamen determinationem status; quæ non repugnat libertati: ratione cuius libertatis necesse est, vt lateat, nisi ipsemet operans, aut Deus eam manifestet propter rationes supradictas.

Dices quartò: quod est inintelligibile Angelis est tale respectu cuiuscumque intellectus Angelici; ergò si cogitationes, & secreta cordium sunt inintelligibilia, erunt etiã talia respectu eiusdem, cuius sunt secreta, & cogitationes; quod tamen patet ex nostra experientia esse falsum. ℞. non dici à nobis absolutè illa secreta esse inintelligibilia in se, sed esse inintelligibilia naturaliter alijs ab eo, cuius sunt secreta, & cogitationes; propterea enim S. Paulus Epist. 1. ad Corint. cap. 2. excludit ipsum producentem, cum ait, *quę verò sunt hominis nemo nouit, nisi Spiritus hominis qui in ipso est.*

Dices quintò: Dæmones accusant nos apud Deum de nostris cogitationibus, & affectionibus voluntatis malis, & ex illis sumunt occasionem tentãdi nos; propterea enim dicuntur incentores malorum, & immittere cogitationes malas, iuxta illud Psalmi, *immissiones per Angelos malos*; ergò naturaliter cognoscunt secreta cordium, & nostras liberas, quantumuis occultas cogitationes. ℞. cum S. Tho. loco supracitato in Responsionibus ad quintum, sextũ, & septimum, Dæmones posse solum cognoscere internos animi motus liberos ex signis corporalibus exterioribus, vt ex immutatione vultus, & similibus, iuxta vulgatum illud, *in vultu legitur secreta hominis voluntas;* quemadmodum ex pulsu motus cordis, & animę passiones cognoscuntur à medicis. Dicuntur autem incentores malorum, nõ ex eo, quod immediatè agant in intellectum, & voluntatem; hoc enim eis non conuenit; sed quia in pænam peccati originalis permittũtur agere in phãtasia eam immutando varijs modis, componendo phantasmata, ac etiã faciendo feruere sanguinem, quo pacto anima ad concupiscendum disponitur.

AXIO-

AXIOMA SEPTIMVM.

De Cognitione, quam habent Angeli de mysterijs gratiæ.

Ex Lib. 5. de Genesi ad Litteram Cap. 19.

NVncij autem graecè Angeli dicuntur, quo nomine generali vniuersa illa superna Ciuitas nuncupatur, quem primum diem conditum existimamus: nam nec illud eos latuit mysterium Regni cœlorum, quod opportuno tempore reuelatum est pro salute nostra, quo ex hac peregrinatione liberati eorum cętui coniungamur. Neque hoc ignorarent, quandoquidem ipsum semen, quod opportuno tempore aduenit, per ipsos dispositum est in manu mediatoris, idest in eius potestate, qui Dominus eorum est, & in forma Dei, & in forma serui. Dicit item Apostolus: mihi enim minimo omnium Sanctorum data est gratia hæc, annunciare in gentibus inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare, quæ sit dispositio, & dispensatio Sacramenti, quod fuit absconditum à Sæculis in Deo, qui vniuersa creauit, vt innotesceret Principibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei, secundum propositum sæculorum, quam fecit in Christo Iesus Domino nostro. Sic ergò fuit hoc absconditum à sæculis in Deo, vt tamen innotescat Principibus, & Potestatibus in calestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei.

DVBIVM

Vtrum Angeli naturaliter cognoscant mysteria gratię, antequam fiant, vel postquam facta sunt.

NOn loquimur hìc de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, vt patet ex verbis quæsiti; nam hoc mysterium non est factum, & constat ex dictis in Controuersijs de hoc Arcano, illud non posse naturaliter nec ab homine, nec ab Angelo cognosci. Est ergò difficultas de operibus super-

ſupernaturalibus ad extra, quæ ſunt in duplici differentia. Alia enim sũt ſolum ſupernaturalia ratione operationis, ſeu actionis, qualia ſunt viſus cæco reſtitutus, granũ in horreo miraculosè productum, vinum in Canæ Galileæ nuptijs ex aqua factum, & ſimilia. Alia verò ſunt etiã ſupernaturalia ratione termini, qui producitur, vel quia etiam res, quæ producitur, eſt ſupernaturalis in ſua entitate, vt incarnatio, gratia, habitus virtutum Theologalium: aliqui addunt ſupernaturalia quoad modum tantum, qualia dicunt eſſe exiſtentiam corporis Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & exiſtentiam accidentium in eodem ſinè ſubiecto. Qui idcircò addunt hoc tertium membrum; quia putant dari entitates purè modales, quæ ſcilicet non poſſunt nec diuinitus exiſtere ſeparatæ à ſubiecto, licet ſubiectum poſſit eſſe ſinè illis. Verum, cum huiuſmodi entitates reiecerim, tamquã ſuperfluas, tum in Philoſophia, tum in Theologia in Axiomatibus mera phyſicis cap. de diuiſionibus entis; manet ratione talis entitatis modalis non eſſe peculiarem difficultatem in mea ſententia; quod ſi aliundè eſt aliquid difficile ad ſoluendum pro hoc Sanctiſſimo myſterio, infrà dicetur: his poſitis,

Duę ſunt in hoc puncto elebriores Theol. ſententiæ. Prima eſt Scoti in 4. diſt. 10. qu. 8. affirmantis Angelos poſſe naturaliter cognoſcere myſteria gratiæ, quando illa contingunt actu. Addit tamen in eadẽ quæſtione in Reſponſione ad tertium Angelos malos diuinitus impediri, quo minus ea myſteria cognoſcant, vt alioquin naturaliter poſſent.

Secunda Sentẽtia eſt Sancti Thomæ prima parte qu. 57. artic. 5. Caietani ibi, & aliorum Thomiſtarum; qui docent quæcumque myſteria gratiæ ſupernaturalia in vniuerſum non poſſe ab Angelis propria virtute cognoſci. Vaſquez tom. 2. in tertiam partem diſp. 214. cap. primo paragrapho 7. refert ſententiam Durandi pro 3. opinione, qui in quarto diſt. 10. qu. 4. num. 6. partim videtur ſentire cum prima, partim cum ſecunda ſententia. Verum quia iſte ibi loquitur ſolum de myſterio Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & in puncto principali conuenit cum S. Tho. nẽpe Angelos non poſſe propria virtute cognoſcere vlla myſteria, quæ ſint in ſubſtantia ordinis ſupernaturalis: ideo ſiſto ſolum in examine duarum priorum opinionum. &

Dico primò: cum S. Thoma loco citato. Angelos non poſſe ſolo naturali lumine cognoſcere effectus ſupernaturales re ipſa eſſe futuros. Et probatur, quia tales effectus non pendent à cauſis naturalibus, ſed ex libera Dei voluntate; quę non innoteſcit, niſi ipſe reuelet, & ſi reuelat; iam illud reuelatum non cognoſcitur

tur virtute propria naturali; quo pacto etiam idem Angelicus Doctor ibi arguit à minori ad maius: si Angeli non possunt cognoscere liberas cogitationes aliorum; multò minus poterunt cognoscere libera Dei decreta circa res futuras; prout arguit etiam Apostolus in Epist. prima ad Corinth. cap. 2. nu. 11. vt in præcedenti dubio vidimus.

Dico secundo: naturaliter posse Angelos cognoscere aliquos effectus supernaturales esse possibiles, non tamen omnes. Prima pars probatur ex illis effectibus, qui sunt supernaturales solū ratione modi operandi, siuè impediendi operationes naturales: Naturaliter enim cognoscit Angelus Deum esse omnipotentem, ac proinde posse mortuos ad vitam reuocare; sic etiam cognoscit posse se ipso supplere causalitatem causarum secundarum,& consequenter posse reddere visum cæcis, claudis facultatem ambulandi,& similia; ac etiam posse se solo semina, & alia naturalia producere. Item naturaliter scit causas secundas in omni sua operatione indigere actuali Dei cōcursu, ac proinde ei possibile fuisse seruare illæsa corpora in igne, & similia. Secunda pars probatur ex illis effectibus, qui sunt supernaturales in termino, vt sunt incarnatio, iustificatio impij, infusio virtutū Theologalium, & similia; huiusmodi enim effectus, cum non habeant necessariam connexionem neque cum effectu, neque cum causis naturalibus naturali modo operantibus, non habet Angelus motiuum, à quo naturalis eius virtus cognoscitiua ducatur euidenter in cognitionem possibilitatis talium effectuum; & si quando aliquid de illis vaticinati fuere Dæmones, vt de incarnatione Dominica fertur multò ante à quodam Dæmone vaticinatum, hoc non cognitioni naturali virtute sua connaturali habitæ referendum est; sed vel dependenter à cognitione illa quæ supponitur illis facta, quando erant viatores, vel ad notitiam habitam ex Sacris Scripturis.

Dices: Angelos naturaliter posse cognoscere Incarnationem,& alia huiusmodi mysteria non implicare contradictionem; ergò possunt naturaliter cognoscere illa esse possibilia. Antecedens probatur, quia naturaliter possunt soluere omnia argumenta, quę possunt fieri in contrarium. ℞. communiter, Angelum posse soluere argumenta negatiuè, non tamen positiuè, idest posse negare principia ab aduersario allata; eo quod non conuincant intellectum certò, & euidenter ad sui assensum; non tamen posset adducere principia contraria euidenter sibi cognita, quibus possit demōstrare illa mysteria esse possibilia. Si dicas Angelum comprehendere naturaliter humanā naturam, & consequenter naturaliter

ter cognoscere posse spoliari propria subsistentia, & subsistere subsistentia aliena; ergò naturaliter potest cognoscere incarnationem esse possibilem; Respondent communiter ad naturalem comprehensionem sufficere, vt Angelus naturaliter cognoscat ea omnia, quæ naturaliter possunt fieri circa naturam humanam; ad quod non requiritur, vt cognoscat ea omnia, quæ secundum capacitatem obbedientialem Deus potest operari in ea, cuiusmodi est subsistere subsistentia aliena, & maximè diuina.

Dico tertiò: probabile esse ab omnibus omninò Angelis, quando fuerunt viatores, fuisse cognitum mysterium Sanctissimæ Incarnationis per fidem supernaturalem, per quam verissimè fuisse eis reuelatum, fore, vt filius Dei sumeret carnem humanam, & homo factus redimeret genus humanum, licet non quoad particulares circumstantias, & modum Redemptionis. Probant aliqui cum Valentia tomo primo disp. 4. qu. 8. puncto quarto paragrapho, *& quidem* Auctoritate S. P. quæ habetur in Axiomate; in qua licet hoc omninò explicitè non habeatur, videtur tamen implicitè hoc docere. Probant secundo alij cum eodem ibi ex eo, quod Angeli ab initio acceperint gratiam propter merita Christi, & consequenter consentaneum videtur, vt cognoscerent illũ, cuius beneficio, & intuitu eam consequuti fuerant; Sed hoc argumentum in Scholis SS. DD. Augustini, & Thomę nõ conuincit, in quibus ex mente horum Sanctorum docetur, Eos habuisse gratiam ex liberalitate Dei, non verò ex meritis Christi. Probatur tertiò: & fortius; quia, vt asserit etiam S. Thomas 2. secundæ qu. 2. artic. 7. Primo homini hoc reuelatum fuit in statu innocentiæ, & colligitur ex verbis Apostoli ad Eph. cap. 5. vbi insinuans Adamum dixisse illud Gen. 2. *hoc nunc hos ex ossibus meis, & caro de carne mea*; subiungit; Sacramentum illud fuisse magnũ in Christo, & in Ecclesia; idest, vt explicãt communiter interpretes, quasi Propheticè intueretur coniunctionem Christi cum Ecclesia: Quod si inferiori naturæ hoc fuit reuelatum, videtur etiam à fortiori superiori naturæ hoc fuisse manifestatum; Et certè verba illa Diaboli ad Christum Dominum in deserto. *Si Filius Dei es* indicant illum aliquam habuisse de hoc mysterio cognitionem. De Angelis Beatis expresè docet S. Thomas prima parte qu. 57. artic. 5. ab initio habuisse huius mysterij aliquã cognitionem in communi, eoquod, vt habetur in Epist. ad Hebr. cap. primo. *omnes sunt administratorij spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*; & propterea conueniebat, vt ab initio aliquam haberent de eo cognitionem; cum hoc ad eo-

rum statum pertineret.

Dices Origenem tract. 5. in Matt. S. Io. Crysostomũ hom. 14. in Ioannem, & homilia 3. in Epist. ad Eph. in illud. *Vt innotescat Principibus, & potestatibus per Ecclasiam multiformis gratia Dei*; Theodoretum, Oecumenium, & Theophilactum in eumdem locum, ac etiam S. Hieronymũ in commentarijs Isaiæ ad illa verba. *quis, est iste, qui venit de Edom?* & S. Ambrosium in lib. de instit. Virg. cap. quintò docuisse hoc mysterium fuisse planè ignotum omnibus Angelis, antequam re ipsa contingeret, & per Apostolos prædicaretur. ℞. cum S. Thoma loco citato, & cum S. Dionysio lib. de Cælesti Hierarchya cap. 7. Angelos cognouisse quidem illum futurum quoad substantiam, non tamen habuisse perspectas circumstantias particulares futuræ Redemptionis hominum. Non desunt tamen Doctores, qui dicunt Angelos quidem superiores à principio illud cognouisse, non tamen Angelos inferiores; quibus omninò ignotũ fuisse à principio etiam Beatitudinis sentiunt Magister in secundo dist. 11. paragrapho *His autem videtur*. Haymo in illud idem caput tertium ad Ephes. ab eodem Magistro ibidem relatus; & Alensis parte secunda qu. 26. membro primo. Verum sententia S. Thomæ loco citato, quod omnibus omninò Angelis Beatis fuerit ab initio reuelatum, eoquod sit generale officiũ, ad quod omnia eorum officia ordinantur: licet quoad speciales conditiones nõ omnes à principio fuerint edocti, videtur communior, & magis conformis menti S. P. Augustini, vt habes in Axiomate, qui licet hoc explicitè omninò non dicat, eius tamen verba magis fauent sententiæ huic Sancti Thomæ, quam oppositæ. De hoc videndus est etiam Angelicus Doctor qu. 64. primæ partis artic. primo ad 4. vbi ait, *quod mysterium Regni Dei, quod est impletum per Christum omnes quidem Angeli à principio aliquo modo cognouerunt, maximè ex quo Beatificati sunt visione Verbi, quam Dæmones numquam habuerunt; non tamen omnes Angeli cognouerũt perfectè, neque æqualiter. Vnde Dæmones multò minus Christo existente in mundo perfectè Mysterium incarnationis cognouerunt: non enim innotuit eis, vt Augustinus ait lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 21. sicut Angelis Sanctis, qui Verbi participata æternitate perfruuntur; sed eis terrendis innotescendum fuit per quædam temporalia effecta; si enim perfectè, & per certitudinem cognouissent ipsum esse Filiũ Dei, & effectum passionis eius, numquam Dominum gloriæ crucifigi procurassent*, Hoc idem clarè antea docuerat S. P. loco hic à S. Thoma citato, vbi ait: *Ipsi autem Dæmones etiam hoc ita sciunt, vt eidem Domino infirmitate carnis induto dixerint;*

quid

quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos? Clarum est in his verbis, quod in eis, & tanta scientia erat, & Charitas non erat. Pœnam quippe suam in illo formidabant ab illo, non in illo iustitiam diligebant. Tantum verò eis innotuit, quantum voluit; tantum autem voluit, quantũ opportuit. Sed sic innotuit, non sicut Angelis Sanctis, qui eius, secundum id, quod Dei verbum est, participata æternitate perfruuntur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannica quodammodo potestate fuerat liberaturus prædestinatos in suum Regnum, & gloriam semper veracem, & veraciter sempiternam. Innotuit; ergò Dæmonibus non per id, quod est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui videndo per fidem, quæ in illo est, corda mundantur: sed per quædam suæ temporalis virtutis effecta, & occultissima signa præsentiæ, quæ Angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius, quam infirmitati hominum possent esse conspicua. Denique quando ea paululum supprimenda iudicauit, & aliquantò altius latuit dubitauit de illo Dæmonum Princeps, eumque tentauit, an Christus esset, explorans, quantum se tentari ipse permittit, vt hominem, quem gerebat, ad nostræ imitationis temperaret exemplum. Post illam verò tentationem, cum Angeli, sicut scriptum est, ministrarent ei boni vtique, ac Sancti, ac per hoc Spiritibus immundis metuendi, & tremendi, magis, magisque innotescebat Dæmonibus, quantus esset, vt ei iubenti; quamuis in illo contemptibilis videretur carnis infirmitas, resistere nullus auderet. Ex quibus patet, de mente Sancti Patris esse, Angelis Sanctis innotuisse certò, & infallibiliter ex vi Beatificæ visionis hoc Sacrosanctum Incarnationis mysterium. Dæmonibus verò non nisi per temporalia signa, & effecta. Et hoc etiam modo intelligenda sunt ea, quæ docet in libro 5. de Genesi ad litteram cap. 19. vbi per extensum loquitur de cognitione huius mysterij habita ab Angelis.

Dico quartò: posse Angelos naturaliter clarè, distinctè, & euidenter cognoscere effectus illos, qui solum supernaturales sunt in modo, quo producuntur, in entitate autem sunt naturales, ita tamen vt cognoscant quidem euidenter, modo quodam supernaturali illos esse productos, licet non videant clarè, & perspicuè modum illum supernaturalem. Prima pars probatur, quia tales effectus sunt ordinis naturalis in sua entitate, & consequenter continentur intra latitudinem obiecti naturaliter cognoscibilis; ex quo vlterius fit, vt cum vident hominem antea mortuum, postea viuum; antea omninò cæcum, & postea videntem, & sciant certò non dari naturaliter regressus à talibus priuationibus,

consequenter cognoscant omninò necessarium esse, quod supernaturali modo sit factum. Secunda etiam pars probatur, quia modus ille, cum sit ordinis naturalis est extrà latitudinem obiecti naturaliter cognoscibilis; & propterea non potest euidenter, & intuitiuè viribus naturæ cognosci, sicut cognoscitur ipsa entitas, ad quam terminatur talis productio.

Dico quinto: Angelos naturali virtute non posse clarè, & distinctè intueri illos effectus, qui sunt supernaturales in entitate, seu in termino. Sequitur ex dictis. Primo, quia tales effectus supernaturales in entitate sunt altioris ordinis superantes capacitatem naturalem intellectus. Secundò: quia lumen naturale intellectus Angelici non habet naturalem ordinem ad tale obiectum, nec possunt naturaliter habere species, quæ repræsentẽt effectus supernaturales, prout sunt in se. Tertiò: quia alioquin Dæmon posset virtute naturali videre in anima hominis gratiam supernaturalem, & habitus infusos; quod est expressè contra S.P.N. Augustinum, qui lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 17. ait. *Certissimis tamen indicijs apud nos constitit enunciatas à Dæmonibus cogitationes hominum; qui tamen si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent: sicut illam in Iob nobilem, ac mirabilem patientiam procul dubio si posset Diabolus cernere, nollet à tentato vtique superari.* Non cognoscit igitur Diabolus virtute naturali effectus, qui sunt supernaturales in sua entitate.

Dices: Angelus naturaliter cognoscit substantiam alterius Angeli; ergò etiã cognoscet naturaliter gratiam, & virtutes supernaturales: antecedens est certum, consequentia probatur, quia substantia spiritualis est perfectior quocumque accidente, etiam spirituali, & supernaturali; ergò si Angelus naturaliter potest cognoscere substantiam, quæ est perfectior, poterit etiam cognoscere accidens, quod non est ita perfectum; qui enim potest maius, potest etiam minus ℞. quod licet substantia sit perfectior in genere entis, non est tamen perfectior accidente spirituali supernaturali in ratione ordinis. Supernaturale enim excedit in ordine quodcumque ens naturale, & ideò est extra obiectum naturale intellectus, etiam Angelici. Axioma illud intelligitur intra eumdem ordinem; nam extra ipsum ordinem regulariter non tenet consequentia; vt si dicas homo potest intelligere; ergò etiam potest volare, quia hoc est minus, quam illud: non sequitur, quia fit transitus de vno ad alium ordinẽ; & in hoc militat regula iurisperitorum; *A diuersis non fit illatio.*

Dico Sextò: Angelos nec etiam notitia abstractiua per signa, & effectus

ctus; quæ naturaliter intuentur, posse euidenter cognoscere prædictos effectus in sua entitate supernaturales. Probatur, quia nullum est signũ, aut effectus naturaliter cognitus ab Angelo, qui habeat necessariam connexionem cum hoc, aut illo effectu supernaturali. Ergò ex eo, quod Angeli clarè videant aliquem effectum naturalem, aut signum, non possunt euidenter, & distinctè concludere, quod illi sit connexus talis, vel talis effectus ẽtitatis supernaturalis, quod magis clarum fiet ex Responsionibus ad argumenta. Admittitur tamen cognitio euidens euidentia in attestante; vt si vnus Angelus alteri significaret Incarnationem esse factam, alter posset habere euidentiam ex parte dicentis, siuè attestantis; maximè si iste aliundè certò, & euidenter sciret illum non posse mentiri; quemadmodum Diabolus scit Angelos Beatos non posse.

Dices primò: cum Scoto loco citato. Nulla res creata est intrinsecè supetnaturalis à parte rei; sed omnia, quæ creantur, qando sunt à parte rei, sunt naturalia; ergò sicut Angelus naturaliter potest cognoscere omnia alia entia naturalia, quando sunt in re, quia tunc sunt naturalia intrinsecè, ita etiam poterit cognoscere eos effectus, qui à nobis dicuntur supernaturales. Minor probatur, quia huiusmodi effectus sunt omnes entia finita, & solum dicuntur supernaturalia extrinsecè per respectũ ad causam efficientem, quatenus scilicet non possunt produci ab agente creato; ergò omnia, quæ sunt extra Deũ, sunt entia naturalia. Confirmari etiam potest ex eo, quod, cum loquimur de essentia cuiuscumque rei, siuè sit ex numero earum, quas naturales, siuè earum, quas supernaturales dicimus, eam naturæ nomine appellamus. ℞ falsum esse, quod nihil sit à parte rei, quod sit supernaturale intrinsecè; datur enim entitatis gradus altioris ordinis ex genere suo, quam sit quodcumque ens naturale, cuiusmodi sunt gratia Dei, habitus virtutum Theologicarum, Visio Beatifica, & similia, quæ non solum dicuntur supernaturalia, quia in modo producendi supernaturaliter fiunt, vt illuminatio cæci, vel suscitatio mortui; sed etiam, quia entitas eius talis naturæ est, vt petat ab intrinseco, & ratione suorum prædicatorum essentialium fieri à solo Deo, vt Auctore gratię, quem respiciunt non vt finem naturalem, sed supernaturalem, & consequenter vt agens supra omnem exigentiam creaturæ. Decipitur ergò Scotus, dum putat ad supernaturale intrinsecè requiri infinitatem, & omnia finita esse entia naturalia. Ad Confirmationem. ℞. Nomina esse ad placitum, & quandoque defectu vocabulorum nos vsurpare quæ possumus ad exprimẽdos nostros conceptus; quod aduerten-

tentes aliqui recentiores nomen naturæ solum attribuunt entibus de prædicamento substantiæ vt potè quæ re vera snnt principia motus, & quietis; cæteris verò solum nomina entis naturalis, si ei sunt debita ex suis intrinsecis principijs; vel entis supernaturalis, si sunt supra omnem exigentiam ipsius; & hoc acutè;nam reuera accidentia in rigore philosophico sunt entis entia; Quapropter cum non detur, nec dari possit substantia supernaturalis, accidentia, quæ tribuuntur ipsi substantiæ, erũt vel naturalia, vel supernaturalia intrinsecè iuxtà diuersitatem prædicatorum essentialium ipsorum,& differentiam assignatam.

Dices secundò: Angeli naturaliter cognoscunt substantiam panis, quando adest ante consecrationem sub speciebus; ergò etiam naturaliter cognoscunt absentiam illius post consecrationem, & consequenter aliquid supernaturale; supernaturale enim est,quod accidentia existant sinè subiecto. Probatur consequentia. Per eamdem speciem, qua aliquis cognoscit præsentiam alicuius, quando est, cognoscit etiam absentiam eius, quando non est. Eiusdem enim potẽtię est cognoscere lucem, & tenebras;vt communiter loquuntur Philosophi; ergò per eamdem speciem naturalem, per quam cognoscit Angelus substantiam panis, quando est, cognoscit etiam absentiam illius, quando non est. ℞. huic argumento, ex pluribus, quæ possũt considerari in hoc mysterio, Angelum aliqua cognoscere naturaliter, aliqua verò non. Primò cognoscit non adesse substantiam panis propter rationes dictas, & quia carentia illa non est ordinis supernaturalis. Secundò:cognoscit accidentia esse sinè subiecto; nam & ipsa accidentia sunt ordinis naturalis, & consequenter cognoscit illa,quando pręsentia sunt, ac proinde illa esse sinè subiecto; cognoscit enim naturaliter non esse ibi subiectum. Tertium quod ibi consideratur, est Corpus Christi existens sub illis speciebus, de quo est difficultas,an illud naturaliter cognoscat. Aliqui affirmant,eo quod Corpus Christi Domini secũdum se spectatum est res naturalis, ac proindè videtur dicendum naturaliter posse cognosci intuitiuè ab Angelo. Alij negant, eoquod sit ibi præsens nouo quodam modo, nempe totum in toto, & totum in qualibet parte, quod sicut non potest esse obiectum naturale oculi, ita nec etiam intellectus. Respondent tamen communiter Scotistæ, etiã hoc posse intelligi naturaliter ab Angelo; eoquod Angelus optimè cognoscit quantitatem, & passionem eius, extensionem scilicet in ordine ad locum; ergò etiam cognoscit absentiã eius,& consequenter cognoscet Corpus Christi existere indiuisibiliter, &

sinè

finè extensione. Ad confirmationē Respondent, quod non est par ratio de oculo, & de intellectu; nam sub obiecto naturali intellectus, continetur aliquid, quod est totum in toto, & totum in qualibet parte, vt est quælibet substautia spiritualis: non sic sub obiecto oculi corporei, sub quo continentur solummodo ea, quę extenduntur in ordine ad locum, ita vt solum pars correspondeat parti loci, non autem totum cuilibet parti. Quartò: dicendum est non cognoscere Angelum naturaliter modum, quo desijt panis; cum enim desinat per transubstantiationem, quę est actio supernaturalis in sua entitate, non potest esse obiectum naturale intellectus ipsius. Quintò: propter eamdem rationem dicendum est nō cognoscere modum, quo accidentia existunt sinè subiecto, eoquod etiā ille modus est supernaturalis ex parte termini. Sic nec etiam cognoscit Corpus Christi Domini esse vnitum hypostaticè Verbo Diuino, nec etiā eum habere vim producendi gratiam; vis enim illa pendet ex mera voluntate Dei. Hęc clariora fient ex infra dicendis.

Dices tertiò: Angeli naturaliter cognoscunt humanitatem Christi Domini carere propria subsistentia; ergò cognoscunt eam subsistere sub sistentia aliena; sed sciunt non subsistere subsistentia creata, siuè humana, siuè Angelica; ergò euidenter colligunt eam subsistere subsistentia Diuina. Antecedens est certum ex dictis, nam habitus, & priuatio sunt eiusdem ordinis respectu cognitionis; ergò absentia subsistentiæ est eiusdem ordinis cum subsistentia; ergò si Angelus cognoscit subsistentiam humanam, quandò præsens est, cognoscit etiam eius carentiam. Prima consequentia probatur, quia sciunt non dari in rerum natura substantiam, quæ aliqua subsistentia nō subsistat. Quod verò sciant non subsistere alia subsistentia creata, angelica, vel humana, est certum, quia subsistentias creatas, cum sint res naturales, naturaliter cognoscunt, & vident, & cum nulla talis ibi sit, nullam creatam vident, & consequenter necessariò inferunt subsistere sub sistētia diuina. ℞. communiter, quod licet Angelus naturaliter cognoscat humanitatem illam carere propria subsistentia, nihilominus non potest naturaliter esse certus, an illa subsistentia suppleatur per subsistentiam diuinam, an verò per efficientiam extraordinariam. Prętereà dato etiā, quod suspicaretur, an esset ibi subsistentia diuina, non posset cognoscere, quod illa subsistentia sit relatiua; nam ad hoc requiritur necessariò cognitio mysterij Sanctissimæ Trinitatis, quæ naturaliter non potest haberi nec ab homine, nec ab Angelo; & sic si Angelus in puris naturalibus vellet ferre iudicium, necessariò er-

raret; Vnde licet, eadem hæc argumenta inducerent Dæmonem in magnam suspicionem Diuinitatis Christi Domini, quam etiam augebant aliæ coniecturæ; non habebat tamen certam euidentiam.

Dices quartò: Angelos naturaliter intellexisse Beatissimam Virginē fuisse Virginem ante partum, in partu, & post partum; Videbant enim illius integritatem semper eodem modo se habere; sed hoc est quoddam mysterium in sua entitate supernaturale; ergò naturaliter scire poterunt mysteria etiam in sua entitate supernaturalia. Respondet Gregorius de Valentia tomo primo disput. 4. qu. 8. puncto 6. paragrapho ad secundum concedendo naturaliter nouisse Angelum Beatam Virginem fuisse Virginem etiam in partu, & post partum; eoquod si ipsa naturaliter hoc sciebat; multò magis hoc Angelus scire poterat; sed hoc (ait ille) propriè loquendo non fuit aliquod supernaturale intrinsecè; sed quatenus per diuinam virtutem fuit præter id, quod debuit naturaliter euenire: Cæterum Angelum non cognouisse in B. Virgine permansisse virtutem supernaturalem Castitatis, & Temperantiæ infusæ, eoquod ista sint supernaturalia intrinsecè. Quod si dicas Virginitatem hanc Beatissimæ Virginis esse articulum fidei, ac proindè in numero entium supernaturalium; Respondet Idem Auctor dari etiam alios articulos fidei de rebus quibusdam naturalibus, sed nobis minimè notis per euidentiam. Puto tamen his non obstantibus Dæmonem de facto (quidquid sit de possibili) non cognouisse hoc mysterium. Moueor ex Auctoritate Sancti Hieronymi lib. primo Commētariorum in caput primum Matthei, & Sancti Ignatij Martiris, quem S. Doctor ibi adducit, & ait. *Martir Ignatius etiam quartam addit causam, cur à desponsata conceptus sit: vt partus, inquiens, eius celaretur Diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de Vxore generatum.*

Dices quintò: Angelum euidenter scire hominem sinè gratia Dei non posse cognoscere veritates reuelatas à Deo sine errore, aut seruare omnia præcepta per solas vires naturales; ergò quando videt hominem hæc præstare, euidenter cognoscit illum habere fidem, & gratiam. ℞. primo Angelos seclusa omni reuelatione, & testificatione nihil cognoscere de præceptis, vel articulis fidei supernaturalibus. Secundo nec etiam posse scire actus fidei, & obseruantiæ præceptorum supernaturalium; nam tales actus sunt in sua entitate supernaturales, ac proindè extra sphęram obiecti naturaliter cognoscibilis ab Angelo. Dices posse eis manifestari per signa ab homine. ℞. tunc habiturum fidem naturalem, vel suspicionē de illis ad summum,

mum, quibus poteſt ſubeſſe falſum. Denique dato, & nõ conceſſo, quod cognoſceret illos actus, adhuc non ſciret certò, an prouenirent ab habitibus ſupernaturalibus, vel alio modo producerentur, per cõcurſum ſcilicet extraordinarium Dei.

Dices ſextò: Angelus naturaliter cognoſcit exiſtentiam peccati contra legem naturæ in anima peccatoris; hoc enim eſt aliquid ordinis naturalis; ſed hoc peccatum non tollitur, niſi per gratiam ſupernaturalem; ergò quando videt amplius non exiſtere, euidenter cognoſcit eſſe ibi gratiam ſupernaturalem. ℞. primo non eſſe certum, quod videat tale peccatum in anima; nam poteſt dici eſſe eamdem rationem de macula peccati, ac de actibus internis. ℞. ſecundo etiam dato, quod illud videret primò, & poſtea, cum ſublatum eſſet, illud non videret amplius, nõ tamen inde ſequi, quod certò naturaliter ſciret, hoc eſſe factum per gratiam ſupernaturalem; ſed ad ſummum, quod dubitaret de modo, quo ſublatum fuit.

Dices ſeptimo: Omnes Angeli quando fuerunt viatores euidenter cognouerunt ſuos actus ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis per lumen naturale; ergò per vires naturales cognoſcunt aliquod obiectum in ſua entitate ſupernaturale. Probatur antecedens, quia & experiebantur actu ſe illos habere; & non erat aliud lumen, niſi naturale, per quod euidenter illos poſſent cognoſcere; nam lumen fidei non oſtendit euidenter, ſed obſcurè ſua obiecta; & non erat aliud lumen in eis, præter lumen naturale, & lumen fidei ſupernaturalis, vt patet. ℞. quod quemadmodum nos non habemus lumen, quod naturaliter, & euidenter nobis oſtendat noſtros actus ſupernaturales, ita nec etiam Angeli; Nec obſtat experientia, nam etiam nos experimur eos, & tamen non cognoſcimus eos euidenter.

AXIOMA OCTAVVM.

De loqutione Angelorum.

Ex Libr. 16. de Ciuit. Dei. Cap. 6.

NON ſic loquitur Angelis Deus, quomodo nos loquimur nobis, vel Deo vel Angelis, vel ipſi Angeli nobis, ſiuè per illos Deus nobis; ſed ineffabili ſuo modo; nobis autem hoc indicatur noſtro modo. Dei quippe ſublimior

ante suum factum loquutio ipsius sui facti est immutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem, atque transeuntem, sed vim sempiternè manentem, & temporaliter operantem: hac loquitur Angelis Sanctis, nobis autem aliter longè positis. Quando autem etiam nos aliquid talis locutionis interioribus auribus capimus, Angelis propinquamus.

Licet Axioma istud non sit directè de locutionibus Angelorum inter se, sed de locutione Dei ad Angelos, & ad nos; in quo incidenter tangitur locutio Angelorum ad nos; nihilominus, & quia proportionaliter ad has inuestiganda est illa Angelorum inter se, & quia non habeo ad manus expressiorem locum S. Patris; idcircò hunc posui, vt seruata proportione intelligatur, quid de ipsa spirituali locutione Spirituum dicendum sit. Quam indicauit etiam Sanctus Pater lib. 15. de Trinitate cap. 10. vbi ait. *Nec tamen quia dicimus locutiones cordis esse cogitationes, ideò non sunt etiam visiones exortæ de notitiæ visionibus, quando veræ sunt, foris enim, cum per corpus hæc fiunt, aliud est locutio aliud visio intus autem cum cogitamus, vtrumque vnum est, sicut auditio, & visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis, in animo autem non est aliud, atque aliud videre, & audire, & per hoc cum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores, hoc est cogitationes, visas dixit à Domino S. Euangelium, &c.*

DVBIVM.

Quomodò Angeli loquantur inter se.

PRæmitto hic, quod comuniter à Theologis, vt certum de fide supponitur; nempe in Angelis esse locutionem, quod in Scripturis Sacris expresè habetur: Nam Ezechielis cap. 2. dicitur: *Ecce Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur,* & in Apoc. cap. 7. narratur quod vnus Angelus clamabat ad quatuor alios Angelos, & in Epist. Iudæ Apostoli habetur quod Michael cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore; licet posset aliquis duo priora loca exponere de locutionibus corporeis, vocibus in aere formatis; eoquod prædicti Angeli in figura corporea dictis Prophetis apparuerint, & verè tali modo in corporibus assum-

assumptis loqui, possint: nihilominus ex illis iam constat, dari in Angelis aliquam virtutem,& modum loquẽdi, & ex tertio loco apertè habetur esse inter ipsos Angelos locutiones proprias Spirituales quod expresè habetur Epist. prima ad Corint.cap. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum:* vbi S. Ioannes Crysostomus ait dici ab Apostolo *linguam Angelorum non quæ sit corporea; sed qua ipsi Angeli vtuntur.* Hanc eamdem sententiam docuerat S. Basilius homil. in cap. 10. Ioannis. & in expositione prædicti loci Apostoli docent Theodoretus, S. Anselmus Oecumenius, & Auctor Comentariorũ Epistolarum Sancti Pauli quæ circumferunt sub nomine,& inter opera S. Ambrosij (sed re vera non sunt eius, vt in nouissimis impressionibus in censura dicto operi annexa, & est à Cardinale Bellarmino libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Obseruationibus ad opera S. Ambrosij euidenter depræhensum.) vbi ait: *loqui linguis Angelorum esse habere cognitum Spiritualiter Angelicum morem* idest secretum cordis. Similiter S. Ioannes Damascenus lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 3. ait Angelos nec lingua,nec auribus opus habentes citra sermonis adminiculum cogitationes suas, & consilia mutuo comunicare. Probatur etiam ratione, quia Angeli habent liberum arbitrium, & ad inuicem societatem,& constituunt Rempublicã multo perfectiorem quam nos; ergò necesse est admittere in eis modum, quo sibi inuicem manifestent sua consilia, & secreta, & hoc est quod in præsenti quæritur; nam Auctores in sex præcipuas, & diuersas abiere sententias in explicando hoc modo,quo Angeli sibi inuicem suas produnt cogitationes.

Prima Sententia refertur à Durãdo in secundo dist. 11. qu. 2. & est eorum, qui dixerunt per ea,quę quilibet Angelus naturaliter cognoscit in alio Angelo significari, & exprimi occultas cogitationes Angeli,quando his vult ad illos naturaliter nota ordinare tamquam signa occultorum.

Secunda Sententia est Dionysij Carthusiani in 2. dist. 8. qu. vnica artic. 2. Marsilij ibi qu. 2. artic. 2. Gregorij etiam Arimin. qu. 2. Argentinæ qu. prima artic. 2. Molinæ prima parte ad qu. 107. S. Tho. & videtur esse eiusdem S. Tho. in 2. dist. 11. qu. prima artic. 3. & in secundo Scripto dist. 10. artic. 4. & in expositione Epistolæ primæ ad Corinth. cap. 13. ad illa verba. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum:* cum quo concordat Glossa Ord: & aliorũ, qui asserunt,locutionem fieri per quædam signa intellectualia: ex dictis Doctoribus aliqui vt B. Egidius Noster. Argentina,Gregorius, & Molina dicunt huiusmodi signa

formari, á loquente in seipso, & sic exhiberi alteri Angelo quasi legenda, itaut locutio consistat in formatione huius signi.

Tertia Sententia est plurium Nominalium desumpta ex Ocamo in 2. qu. 20. & quod libro primo qu. 7. & ex Gabriele in secundo dist. 9. qu. 2. artic. 4. qui dicunt locutionem fieri per hoc quod Angelus in se format cognitionem alicuius rei; quæ deinde cognitio per modum obiecti effectiuè causat in intellectu audientis cognitionem sui.

Quarta Sententia est Durandi loco supracitato: qui ait se non videre quemadmodũ inter se colloquãtur, nisi eo modo, quo loquuntur cum hominibus formãdo voces in aere.

Quinta Sententia est Scoti in 2 dist. 9. qu. 2. qui docet vnum Angelũ per hoc loqui alteri, quod in eius intellectù effectiuè imprimit conceptum similem conceptui suo nimirum de eadem re, ad quem dicit nõ concurrere alterum Angelum nisi passiuè, & proinde habere se per illum, non vt videntem; sed vt audiẽtem alterum: Hæc sententia videtur coincidere cum sententia Nominalium, quatenus possint vnum Angelũ in intellectu alterius effectiuè causare cognitionem sui conceptus.

Sexta Sententia est S. Tho. in prima partæ qu. 107. artic. primo Caietani ibi, Capreoli, & comunis inter Thomistas tam antiquos, quã modernos; pro qua citantur etiam Alensis secunda parte qu. 27. membro secundo artic. primo, & memb. 3. 6. & 7. Albert. Mag. lib. de 4. Coę uis qu. 8. artic. 5. & secunda parte tract. 9. qu. 35. memb. 3. & 6. Ricardus in secundo dist. 9. artic. 2. qu. prima est tamen aliqua difficultas, an reuera loquantur isti in sensu Thomistarum pro quo remitto lectorem ad loca citata; quod spectat ad Thomistas, certum est eos tenere loqui vnum Angelum cum altero per hoc quod sua voluntate ordinat conceptum suum ad illum idest vult, vt ab altero conceptus ille suus, & res per illum intellecta cognoscatur in hac sententiarum diuersitate amplector sententiam S. Thomæ; quæ mihi videtur esse etiam S. P. lib. 15. de Trinit. cap. 10. &

Dico: Angelorum locutionem cõsistere in hoc quod per actum voluntatis ordinatur verbum mẽtis vnius ad alterum; siuè vt alij loquuntur; quatenus vnus format interius verbum mẽtis relatiuè ad alterum; quod sic explicatur; Tripliciter potest esse obiectum in intellectù, primo habitualiter, siuè in memoria. Secundo actu quidem; sed absolute, quò pacto est in intellectù, quandò se conuertit ad cognoscendum illud; quod habebat in habitù. Tertio relatiuè ad alium, quod esse quando quis loquitur alteri; qui propter sicut per actum voluntatis transit obiectum à pri-

primo ſtatù ad ſecundum, vtimur enim habitibus quando volumus, & in hoc tranſitù conſiſtit noſtra interior dictio, quà nobis ipſis loquimur; ita tranſitus à ſecundo, ad tertium, fit per actum voluntatis, quo dirigitur illa interior locutio ad alterum, vt & ipſe percipiat id quod nos volumus ex noſtris cogitationibus, & rebus per illas cognitis, illum cognoſcere; Eſt tamen differentia inter Angelos, & nos; quod nos, quia habemus duo obſtacula; quæ impediunt nè alter, noſtra interna verba cognoſcat, nempe voluntatē occultandi, & Corpus celans ſpirituales noſtros actus, ideo necesſè eſt tollere hæc duo, primum quidem per actum voluntatis, quò velimus illa nota fieri, ſecundum verò per locutionem ſenſibilem, aut alia exteriora ſigna corporea, quibus inter nos illi actus proponantur. Inter Angelos verò cum non detur niſi primum impedimentum, non quidem per diſtinctos actus; ſed quia ipſemet actus liber naturaliter latet, niſi manifeſtetur, vt ſupradictum eſt, ſufficit illud tollere per dictum actum voluntatis ordinantis conceptus internos ad alterum, cui vult illos prodere; conſiſtit igitur locutio hæc in intellectione non quacumque; nam intellectio abſoluta non ſufficit; per hanc enim ſolum interius loquimur: ſed in intellectione quæ ſit manifeſtatiua intellectionis rei, ſiuè in formatione conceptus relatiuè ad alterum per quam alter audiens poteſt cognoſcere cognitionem alterius, ac etiam res per eam cognitas; conceptus enim non ſolum eſt id quod, ſed etiam id in quo vt comuniter docēt Philoſophi, & maxime Thomiſtæ, poſſumus cognoſcere rem, & conceptum rei: quapropter requiritur etiā actus voluntatis ordinantis modo dicto illos conceptus. Sententia iſta hoc modo explicata probatur primo quia in hac difficultate ſicut in alijs ſimilibus; ille modus præcæteris eſt admittendus, qui nullam inuoluit repugnantiam; & reſecatis ſuperfluis rem paucioribus explicat. Talis eſt iſte modus qui in Sententia S. Tho. præfertur cæteris; ergò præ cæteris modis hoc loqutio Angelorum melius, & verius explicatur. Maior eſt in confeſſo apud omnes. Minor probatur. Quia cogitationes, & affectiones Angelorum, vel ſunt naturales neceſſariæ, vel liberæ; ſi naturales iam ſunt intra obiectum naturale, & proportionatum intellectui Angelico naturaliter operanti; & ſic non eſt opus locutione. Si liberæ, ſunt extra illud, vt patet primo à poſteriori, quia Scriptura Sacra, quæ non negat illas poſſe naturaliter cognoſci, has tamen dicit cognoſci à ſolo Deo. A priori verò, quia vt docet S. Tho. quòd lib. 12. artic. 7. & in prima partæ qu. 57. artic. 4. cum iſtæ ſint actiones omninò liberæ, nō

redu-

reducuntur ad causam naturalem, nec pertinent ad cognitionem, qua cognoscuntur naturalia. Illæ verò, cum sint actiones necessariæ, dicunt ordinem ad causam naturalem; nam fiunt à voluntate, vt natura est, quemadmodum primi motus in nobis, qui non sunt in nostra potestate. Quapropter, cum Angelus habeat solũ species rerum naturalium, non poterit per illas solas cognoscere nisi illas necessarias; liberas verò non, vt dictum est, ac proindè vt ab alio intelligantur, necessè est, vt per aliquem actum ad illum referantur; sed hic actus non potest esse nisi actus liber voluntatis: ergò iste modus qui explicat locutionem Angeli per hunc, & rectè, & verè illam explicat. Prædicta maior iam latè explicata non indiget probatione. Minor etiam infra patebit ex sufficienti refutatione aliarum sententiarum: pro nunc probatur quia iam per illum actum voluntatis cum cæteris in Conclusione explicatis fit, vt illæ cogitationes, & affectiones liberę contineantur intra obiectum proportionatum intellectui Angelico, cum antea nõ continerentur, quod patet à posteriori, quia Scriptura docet, post locutionem Angelicam cognosci ab Angelo audiente ea, quæ antea non cognoscebantur ab illo, vt est clarũ ex diuersis collocutionibus Angelorum, quæ in Sacra Scriptura narrantur; vt cum Angelus princeps regni Persarum restitit alteri Angelo pluribus diebus, donec per Michaelem Archangelũ innotesceret, quid agendum esset, & ex illis quæ in Sacra Apocalypsi narrantur. A priori verò probatur; quia cum aliqua res liberè dirigitur ab aliquo habente liberam potestatem illam rem ponẽdi sub potestate illius; iam illa res incipit esse intra obiectum potestatis huius, ad quem dirigitur; vt est clarum in translatione dominij alicuius rei temporalis. Sed Angelus loquẽs per suum liberum actum ponit sub potestate cognoscitiua alterius Angeli audientis suas liberas conceptiones, & affectiones; ergò sufficiẽter per hoc saluatur huius modi locutio. Confirmatur quia ordo perfectæ Reipublicæ exigit, vt illi, qui sunt perfectę amicitiæ vinculo colligati, secreta cordis sibi per liberam voluntatem manifestent; ac proindè talia secreta debent fieri manifesta ei, ad quem diriguntur cognoscenda. Sed in Angelis est perfectissimus Reipublicæ ordo, & perfecta amicitia (loquor de Beatis) ergò debet esse talis modus loquendi, qualis exigit talis status; de Angelis damnatis non est dubium, quod eis etiam competat, quia licet sint in regno confusionis, & non habeant perfectam amicitiam, quæ fundatur in vera virtute, qualem in Cacodęmonibus certum est non esse. Habent tamen quãdam speciem Reipublicæ, & communica-

nicationis mutuæ ortæ ex naturali amore; ad quæ est necessaria locutio, quæ requiritur in creaturis liberis; cum in eis naturalia manserint integra, iuxta doctrinam Sancti Dionysij Areopagitæ communiter receptam. Prob. 2. sufficientia huius modi sic explicari, quia hoc pacto optime soluuntur omnes difficultates in hac quæstione occurrentes; nam primo sic facile aperitur, quomodo vnus Angelus possit loqui vni Angelo tantum, & non pluribus simul, etiam si sint præsentes; vel quomodo adhuc in magna spirituum copia existens, aliquos possit alloqui, ita vt isti audiant, & non alij; & quomodo mutuo possint intuitiuè cognoscere cogitationes, quod requiri ad conuictum Patriæ cælestis docet S. P. N. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 29. ac etiam S. Greg. lib. 4. dial. cap. 41. S. Basil. hom. *Attende tibi*. S. Io. Damascenus lib 2. de fide, cap. 3. & Venerab. Beda in Comment. Epist. primę ad Corint: li: 14. Præterea in hac sententia fit clarum, quomodo ad quamcumque distantiam vnus Angelus possit loqui cum altero, & audiri, nam vt ait S Thomas qu. 16. de malo artic. 8. & artic. 16. sicut cogitationes, & affectiones liberæ non dicuntur incognitæ, quia voluntas illas distare faciat; distantia enim corporalis non impedit cognitionem Angeli; nec quia illas aliquo impedimẽto tegat; puta alio voluntatis actù, nam nihil est in spiritù respectu alterius, quod naturaliter lateat præter motum ipsum liberum voluntatis; alias etiam de illo alio libero voluntatis actu quæreretur quommodo tegatur: & si dicas alio actu, iam daretur processus in infinitum; nec quia voluntas illas remoueat, nam sic anima ferè nihil cognosceret, aut vellet, cum ferè omnia, quæ intelligit, aut appetit, sint ab ea remota; Quapropter quia tales cogitationes sunt occultæ ex eo, quod immediatè pendent à voluntate; ita & per eamdem voluntatem manifestantur; non ex eo, quod voluntatis imperio fiant minus distãtes; talis enim manifestatio consistit essentialiter, & in volitione, & in intellectione, quæ abstrahunt, & à situ, & à loco. Si dicas ex hoc sequi, voluntatis imperio cogitationes ex sua natura ignotas fieri cognitas, vel cognoscibiles. Contra est, quod res ex natura sua est cognoscibilis, vel non cognoscibilis intellectui ex solis viribus naturæ operanti. At ex imperio voluntatis, quo ab intellectu producitur verbum relatum ad alios fit, quod sit obiectum ex natura sua proportionatum intellectibus aliorum modo explicato, & quod sit de pertinentibus ad statum naturalem ipsorum. Ideoque rectè ait S. Thomas qu. 9. de veritate artic. 4. ad 11. per eamdem speciem Angelum audientem intelligere ea, quæ manife-

ſtantur, ſeu dicuntur, per quam cognoſcit Angelum loquentem, & quidquid eſt in eo ex prædicatis, ſeù operationibus naturalibus; & conſequenter ſtatim ac Angelus voluntariè ſe ordinat ad alterum Angelum ſecundum actum alicuius formæ intelligibilis, alter Angelus cognoſcit eius cogitationem. Præterea vt dixi ſupra, per hunc modum paucioribus explicatur natura huius locutionis, quod eſt ſecundum rectum philoſophandi modum; fruſtra enim explicatur per plura, quod æquè benè poteſt explicari per pauciora: nam rectè ſaluantur omnia requiſita per hoc ſolum, quod detur conceptus relatiuè formatus in Angelo loquente, & ſpecies talis conceptus in Angelo audiente; Alia, quæ ab alijs auctoribus requiruntur extranea, vel ſuperaddita his, vt ſunt alia ſigna, vel corporalia, vel ſpiritualia, aut aliquid aliud ſimile, ſunt ſuperuacanea, & extra quidditatem locutionis, & auditionis Angelicæ. Hoc clarum fit ſi attendas, quod in hoc modo à nobis explicato. Primo eſt naturalis ſignificatio obiecti, quod cognoſcitur in illo verbo relatè producto. Secundo eſt reſpectus intrinſecus ad perſonam, ad quam dirigitur talis conceptus relatiuus; omnis enim locutio eſt de re à perſona ad perſonam. Tertio: eſt excitatio obiectiua ſufficiens ad hoc, vt alter audiat: nam, vt ait Angelicus Doctor qu. 9. de Veritate artic. 4. ad 6 eo ipſo, quod Angelus ſe conuertit ad alios, formando conceptum relatiuum de aliqua re, obiectiuè excitat alium Angelũ ad ſe audiendum, & ad ſibi attendendum, quatenus ponit in rerum natura obiectum proportionatũ ſpeciei, quam habet alter, qua ſtatim actu vtitur, cum ſemper ſit in actu eorum omnium, quæ ad ſe petinent. Faciliter etiam in hac ſententia explicatur quomodo poſſit Cacodæmon mentiri alteri, licet non poſſit aſſentiri ei, quod ipſe putat eſſe falſum, poteſt enim velle formare verbum ordinatum ad alterum ſignificans oppoſitum eius, quod ipſe putat eſſe verũ, & poteſt tale verbum formatum cognoſcere apprehendendo, nõ tamen iudicando, & aſſentiendo tamquam obiecto vero. Denique in hac ſententia patet, quomodo Angelus loquatur Deo; & facilè explicantur, quæ occurrunt difficilia in hoc puncto, dicendo hanc locutionem conſiſtere in eo, quod eſt Angelum ordinare conceptum ad Deum, non tamen ad communicandum, vel manifeſtandum aliquid ei; omnia enim nota ſunt, & aperta, ac nuda oculis eius; & non indiget, quod aliqua creatura ei reuelet, aut manifeſtet aliquid actiuè, quomodo manifeſtant Angeli, & homines inter ſe. Deus enim eſt Auctor omnis veritatis, & voluntatis. Sed loquitur Angelus Deo, ad accipiendum aliquid ab eo paſſiuè ſe

ha-

habendo. Puta ad consulendam diuinam voluntatem, vel ad laudandã diuinam excellentiam seù ad exorandam diuinam pietatem, & misericordiam, vt docet S. Thomas prima parte qu. 107. artic. 3. Dixi supra mihi videri hanc esse sententiam S. P. lib. 15. cap. 10. eo quod ibi expresse locutionem spiritualem dixit esse ipsas cogitationes; ait enim *cum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores hoc est cogitationes visas dixit à Domino S. Euangelium.*

Dices: æquè benè, immò & melius explicatur locutio Angelorum inter se in aliquibus ex supra allegatis sententijs, quam in sententia Thomistica; ergò potius illis, quam isti adhærendum. Si enim dicatur locutionem fieri per signa intellectualia, vt habent Auctores secundæ sententiæ, melius percipitur proportionaliter ad nostras locutiones, quomodo vnus Angelus loquatur alteri, & eius locutio sit quid diuersum à cognitione, & auditione, cum reuera debeant distingui saltem formaliter intellectio, locutio, & auditio. Item si dicatur cum Nominalibus locutionem fieri effectiuè causando cognitionem obiecti in intellectu alterius Angeli, melius percipicitur locutio, & auditio: nam & in nobis locutio vnius hominis causat effectiuè auditionẽ nostram, siuè postea alter Angelus se habeat actiuè, vt fortè volunt ipsi Nominales, siuè passiuè solum, vt volunt Scotistæ. ℞. tamen negando antecedens, cuius negationis causas assigno, examinando singulas ex prædictis sententijs, & referendo rationes, propter quas communiter in schola S. Thomæ illæ nõ admittuntur.

Prima sententia relata à Durando, licet in specie videatur cõuenire cum sententia S. Thomæ; nihilominus vt refertur ab illo, & à Valentia tomo primo disp. 8. qu. 4. Puncto secundo §. *Sed cum sit certum* valdè differt ab illa: nam vel illa naturaliter nota, quæ requirit, sunt signa naturalia occultorum, & tunc semper loqueretur Angelus per illa, & sic locutio non esset libera; vel sunt signa ex libera institutione, & ad placitũ Angeli: & tunc non poterit alter Angelus intelligere quidquam per illa, nisi prius per aliam aliquam locutionem ipsius Angeli loquentis intellexerit, quod ad hoc vel illud significandum sunt instituta; quo pacto is, qui linguam hæbraicam ignorat, non potest intelligere conceptiones eius, qui solum verbis hæbraicis vtitur, & illa exprimit; quo posito esset prætere a concedendus processus in infinitum; nam cum illa locutio fieret, & ipsa per alia nota naturaliter, requireretur alia locutio, & sic deinceps: ex quo patet prædictam sententiam non assignare sufficientem modum locutionis Angelicæ.

Secunda sententia communiter reijcitur à Thomistis. Primo: quia sequeretur locutionem esse actionem voluntatis volentis formare illa signa, non verò intellectus. Secundo: quia esset actio transiens à voluntate in intellectum; cum tamen S. P. lib. 15. de Trinitate cap. 10. doceat esse actionem intellectus; dicit enim ibi, locutionem cordis esse cogitationem, & cum eo communiter sentiunt alij PP & plurimi DD. ac propterea necesse sit, eam esse actionem immanentem, sic Theophilactus ad illum locum S. Pauli. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, (ait) linguam Angelorum esse potentiam intelligendi, qua inuicem communicant sensa. Theodoretus ibi Angelorum linguas non sensu, sed intelligentia percipi docet, per quam Deum laudant, & inter se differunt. Item Venerabilis Beda lib. 2. in Iob ad illud cap. 7. *si subito apparuit Aurora*, dicit Angelorum locutionem non fieri sinè intellectus enunciatione. Tertio cum huiusmodi signa omnibus pateant, sequeretur vnum Angelum non posse loqui alteri, quin omnes audirent; quod videtur esse contra rationem societatis, & amicitiæ. Si dicas cum Molina, denegari à Deo concursum alijs, ne audiant, quia sic oportet fieri; contra est, quia hoc modo violenter illi ab auditione impedirentur, cum habeant talium signorum species; & sic esset miraculum perpetuum, quod illi numquam audirent; quod poni non debet sinè vrgenti necessitate; quapropter melius videntur sentire, & explicare alij, qui hanc sententiam sequuntur, dicendo, hæc signa esse etiam in intellectu audientis; ita vt sicut in nobis est aliquid, quod alter naturaliter percipit, verbi gratia vox exterior, & aliquid, quod secundum se percipi non potest ab omnibus puta conceptus interior mentis, & hic innotescit per signum exterius, idest per vocem, aut nutum; ita in Angelis est aliquid, quod omnes videre possunt, idest signum intellectuale, aliud verò, quod non possunt omnes, idest motus voluntatis. Ita in Angelis locutio formaliter consistit in expressione, aptatione, & ordinatione conceptus mentis per ordinẽ ad signum intellectuale; tali modo, vt ex illa ordinatione illud signum naturaliter cognitum efficiatur significatiuum interioris conceptus, & manifestatiuum illius: quo pacto loquens latinè cum vno, qui nouit linguam, esto alij, eam ignorantes linguam audiant, nihilominus ille solus percipit conceptus, qui callet linguam, alij vero solum percipiũt materialem vocis sonum; neque enim illa verba sunt ordinata, & aptata eorum cognitioni. Hic modus sic explicatus probatur à suis assertoribus, Primo: quia non implicat dari huiusmodi signa intellectualia, siuè dicamus,

camus, ea significare ex institutione diuina, sicut dixerunt aliqui, quod significabant illa verba, quibus Adã vtebatur; siuè dicatur, & melius, illa significare naturaliter, eo quod non videatur impossibile, dari qualitates spirituales, quæ sint naturales imagines conceptuum, sicut ipsi conceptus sunt spirituales, & naturales imagines rerum; ita tamen, vt sit in potestate loquentis, illa ita aptare, & ordinare, vt solum percipiantur ab ijs, ad quos diriguntur, sicut data proportione nos aptamus voces, nutus, & scripturas, ita vt, licet alij intelligant materialitatem eorum, illi tamen soli percipiant conceptus, ad quos dirigimus illa signa, vt dictum est. Probant secundo: quia hoc modo faciliter soluuntur difficultates de locutione Angelorum; sic enim explicatur quomodo vnus loquatur vni, & non alijs, quia scilicet huiusmodi signa sunt tantum eorum, quę spectant ad Angelos, ad quos dirigitur locutio, ac proinde, cum Angelus, vt docet S. Thomas in secundo dist. vndecima articulo tertio ad quartum, & ad 9. & qu. 9. de Veritate artic. 4. ad 11. semper sit in actu cognoscendi se, & omnia, quæ ad se pertinent, & locutio ista sit de pertinentibus ad ipsum, ad quem dirigitur; statim ac Angelus aptat, & ordinat suum conceptum, vt sit conformis, & similis signo intellectuali, quod alter habet, hic statim audit loquentem, cæteri vero minimè; quia licet habeant signa intellectualia locutionum, non tamen illius cõceptus, qui ordinatur ad talem audientem, & non ad alios. Sic etiam explicatur rectè quomodo vnus potest audire plurimos Angelos loquẽtes; quia scilicet illę locutiones ordinantur ad ipsum, & sunt de pertinentibus ad eius statum. Præterea fit clarum quomodo vnus possit loqui alteri distanti, quia scilicet talis locutio, & auditio, cum essentialiter consistant in actionibus purè spiritualibus, puta intellectualibus, abstrahũt à loco, situ, & tempore. Denique quia hoc modo explicatur quomodo non sit necessarium, vt semper Angelus loquens manifestet alijs suos conceptus præter eum, ad quem dirigit locutionem. Hæc sententia sic explicata non displicet in alio, nisi in eo, quod videtur frustra multiplicare illa signa, maximè si ponat esse omninò realiter distincta ab ipsis conceptibus, quos Angelus vult manifestare, vt ponere debet, si vult cõsequenter loqui: cum sufficienter sinè prædictis signis realiter distinctis saluetur ipsa locutio Angelorum in sententia S. Thomæ iam explicata, & non sint multiplicanda entia, absque necessitate.

Tertia sententia; quæ est Nominalium; reijcitur communiter à Thomistis, & a pluribus alijs, primo quia ex eorum modo explicandi sequeretur

retur locutionem esse actionem transeuntem, & non immanentem vllo modo, qualis debet esse vera locutio, quæ cum sit actio vitalis, secundum sua prędicata primaria,& essentialia, debet esse immanens; sequela patet; quia productio illa cum suo termino reciperetur in audiéte. Reijcitur secundo, quia talis cognitio ab obiecto facta est naturalis, & consequenter deberet recipi in omnibus Angelis, & sic vnus Angelus non posset loqui solum vni Angelo. Tertio: quia non posset Angelus malus mentiri. Quarto, & vltimo reijcitur, quia supponit posse naturaliter cognosci cogitationes cordium, quod supra vidimus repugnare.

Quarta sententia, quæ est Durandi, reijcitur communiter primò ex eo; quod S. Paulus distinguit inter linguas hominum,& Angelorum essentialiter, quod non esset verum, si & ipsi vterentur vocibus, sensibilibus in sua propria locutione, sicut & nos; dixi in sua propria locutione; nam in corporibus assumptis,non dubito eos posse producere voces sensibiles; sed hoc fit propter nos, non propter alios Angelos; & præterea non est locutio, quæ sit actio vitalis, de qua in præsenti quæritur. Reijcitur secundo: quia non posset vnus Angelus loqui alteri,quin ab alijs audiretur; nec valet dicere cum ipso Durando, posse eo modo, quo vnus homo in præsentia aliorum loquitur alteri solum,dirigendo scilicet ad ipsum tantum intentionem loquendi; tunc enim dicitur loqui solum cum illo, licet ab alijs audiatur: sed re vera absurdum est, vt obseruat Valentia, non tribuere Angelo eam facultatem, quam habet homo,vt scilicet vni tantum pro arbitrio sermonem suum manifestet, nullis alijs audientibus, vt rectè arguit S. Thomas prima parte qu. 107. artic. 5. Reijciũt tertiò: alij hanc sententiam; quia semper esset necessarium, vt Angelus, cum vult loqui, relinqueret cælum,& ad regionis aerem se conferret, vt posset formare huiusmodi voces, quæ non possunt formari nisi in corpore fluido, eo modo, quo est aer. Verum hęc ratio est debilis;nam primo posset dici, quod in multorũ sententia cælum ipsum est corpus fluidum, non verò solidum. Secundò quod in empyreo est corpus proportionatum locutioni; nam & ibi Beati homines cum corporibus suis existentes loquentur; & exaltationes Dei erunt in faucibus eorum, vt obseruat Arriaga. A fortiori reijcienda est sententia illa, quæ docet loqui Angelos alijs per quasdam figuras, & characteres, quos imprimunt cælo. Primo quia hoc esset potius scribere, quam loqui. Præterea,cum esset actio transiens, non esset locutio vitalis, quam quærimus. Denique illæ figuræ essent signa ad placitum, & sic oporteret, quod per aliquem

alium

alium locutionis modum innotesce-rent Angelis, vt scirent, quod ad hoc, aut illud significandum essent liberè ab ipsis Angelis, vel aliquo illorum institutæ.

Quinta sententia, quæ est Scoti, reijcitur. Primò, quia Angelus inferior non posset loqui cum Angelo superiori; nisi admittatur inferiorem habere actionem physicam in naturam sibi superiorem, quod est inconueniens. Secundo: quia manifestè repugnat sententiæ S. P. qui lib. 15. de Trinitate cap. 10. vt supra notaui, dicit in spiritualibus idem omninò esse audire, & videre, licet in corporalibus vnum sit diuersum ab alio: ait enim ibi S. P. *Foris cum per corpus hæc fiunt aliud est locutio, aliud visio, intus autem cum cogitamus vtrumque vnum est. Sicut auditio, & visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis; in animo autem non est aliud, atque aliud videre, & audire.* At Scotus apertè distinguit realiter in Spiritibus Angelicis auditionem à visione. Tertio: reijcitur eadē ratione, qua reiecta est sententia Nominalium, quia videlicet etiam hæc locutio non esset actio immanens, & vitalis, sed transiens. Quarto: quia si admittitur vnum Angelum posse producere intellectionem in intellectu alterius, hoc se habente solum passiuè, sequitur etiam, quod possit producere volitionem, etiam si iste esset superior, & vnum posse cogere alterum; ac etiā posse efficere, quod amet incognitum, cum non sit maior ratio de intellectione, ac de volitione. Denique sequeretur intellectum posse intelligere sinè specie impressa, si admittatur Angelum posse producere cognitionem, seù conceptū in intellectu alterius non impressa specie; Si dicas imprimi speciem prius; contra est, quia tunc in illa auditione, seù conceptione Angelus audiens non se haberet amplius passiuè solum; [vt vult Scotus] sed deberet concurrere actiuè simul cum illa specie ad producendum talem conceptum.

Præter prædictas sententias antiquorum, Recentiores quidam, vt vidi in quibusdam M. SS. eruditis, aliā sententiam, & modum excogitauerunt, dicentes. Angelum loqui alteri Angelo producendo speciem sui actus in illo, & talem speciem produci actione spirituali, non exigente medium, & directiuè procedente ab intellectu, imperatiuè à voluntate, & executiuè ab actu intellectus, vel voluntatis formando conceptum; quē vult alteri manifestare; ita vt triplex actio profluat à tali actu; duæ necessariæ vna scilicet, quæ producit speciem sui in loquente, per quam recordatur cognitionis habitæ, altera, qua producit habitum. Tertia est libera subiecta voluntati, qua producitur species in alio Angelo. Tribuunt hanc sententiam Alensi, Alberto Ma

gno,

retur locutionem esse actionem transeuntem, & non immanentem vllo modo, qualis debet esse vera locutio, quæ cum sit actio vitalis, secundum sua prędicata primaria,& essentialia, debet esse immanens; sequela patet; quia productio illa cum suo termino reciperetur in audiēte. Reijcitur secundo, quia talis cognitio ab obiecto facta est naturalis, & consequenter deberet recipi in omnibus Angelis, & sic vnus Angelus non posset loqui solum vni Angelo. Tertio: quia non posset Angelus malus mentiri. Quarto, & vltimo reijcitur, quia supponit posse naturaliter cognosci cogitationes cordium, quod supra vidimus repugnare.

Quarta sententia, quæ est Durandi, reijcitur communiter primò ex eo; quod S. Paulus distinguit inter linguas hominum,& Angelorum essentialiter, quod non esset verum, si & ipsi vterentur vocibus, sensibilibus in sua propria locutione, sicut & nos; dixi in sua propria locutione; nam in corporibus assumptis,non dubito eos posse producere voces sensibiles; sed hoc fit propter nos, non propter alios Angelos; & præterea non est locutio, quæ sit actio vitalis, de qua in præsenti quæritur. Reijcitur secundo: quia non posset vnus Angelus loqui alteri,quin ab alijs audiretur; nec valet dicere cum ipso Durando, posse eo modo, quo vnus homo in præsentia aliorum loquitur alteri solum,dirigendo scilicet ad ipsum tantum intentionem loquendi; tunc enim dicitur loqui solum cum illo, licet ab alijs audiatur: sed re vera absurdum est, vt obseruat Valentia, non tribuere Angelo eam facultatem, quam habet homo, vt scilicet vni tantum pro arbitrio sermonem suum manifestet, nullis alijs audientibus, vt rectè arguit S. Thomas prima parte qu. 107. artic. 5. Reijciũt tertiò: alij hanc sententiam; quia semper esset necessarium, vt Angelus, cum vult loqui, relinqueret cælum,& ad regionis aerem se conferret, vt posset formare huiusmodi voces, quæ non possunt formari nisi in corpore fluido, eo modo, quo est aer. Verum hęc ratio est debilis;nam primo posset dici, quod in multorũ sententia cælum ipsum est corpus fluidum, non verò solidum. Secundò quod in empyreo est corpus proportionatum locutioni; nam & ibi Beati homines cum corporibus suis existentes loquentur; & exaltationes Dei erunt in faucibus eorum, vt obseruat Arriaga. A fortiori reijcienda est sententia illa, quæ docet loqui Angelos alijs per quasdam figuras, & characteres, quos imprimunt cælo. Primo quia hoc esset potius scribere, quam loqui. Præterea,cum esset actio transiens, non esset locutio vitalis, quam quærimus. Denique illæ figuræ essent signa ad placitum, & sic oporteret, quod per aliquem

alium

alium locutionis modum innotescerent Angelis, vt scirent, quod ad hoc, aut illud significandum essent liberè ab ipsis Angelis, vel aliquo illorum institutæ.

Quinta sententia, quæ est Scoti, reijcitur. Primò, quia Angelus inferior non posset loqui cum Angelo superiori; nisi admittatur inferiorem habere actionem physicam in naturam sibi superiorem, quod est inconueniens. Secundo: quia manifestè repugnat sententiæ S. P. qui lib. 15. de Trinitate cap. 10. vt supra notaui, dicit in spiritualibus idem omninò esse audire, & videre, licet in corporalibus vnum sit diuersum ab alio: ait enim ibi S. P. *Foris cum per corpus hæc fiunt aliud est locutio, aliud visio, intus autem cum cogitamus vtrumque vnum est. Sicut auditio, & visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis; in animo autem non est aliud, atque aliud videre, & audire.* At Scotus apertè distinguit realiter in Spiritibus Angelicis auditionem à visione. Tertio: reijcitur eadē ratione, qua reiecta est sententia Nominalium, quia videlicet etiam hæc locutio non esset actio immanens, & vitalis, sed transiens. Quarto: quia si admittitur vnum Angelum posse producere intellectionem in intellectu alterius, hoc se habente solum passiuè, sequitur etiam, quod possit producere volitionem, etiam si iste esset superior, & vnum posse cogere alterum; ac etiā posse efficere, quod amet incognitum, cum non sit maior ratio de intellectione, ac de volitione. Denique sequeretur intellectum posse intelligere sinè specie impressa, si admittatur Angelum posse producere cognitionem, seù conceptū in intellectu alterius non impressa specie; Si dicas imprimi speciem prius; contra est, quia tunc in illa auditione, seù conceptione Angelus audiens non se haberet amplius passiuè solum; [vt vult Scotus] sed deberet concurrere actiuè simul cum illa specie ad producendum talem conceptum.

Præter prædictas sententias antiquorum, Recentiores quidam, vt vidi in quibusdam M. SS. eruditis, aliā sententiam, & modum excogitauerunt, dicentes. Angelum loqui alteri Angelo producendo speciem sui actus in illo, & talem speciem produci actione spirituali, non exigente medium, & directiuè procedente ab intellectu, imperatiuè à voluntate, & executiuè ab actu intellectus, vel voluntatis formando conceptum; quē vult alteri manifestare; ita vt triplex actio profluat à tali actu, duæ necessariæ vna scilicet, quæ producit speciem sui in loquente, per quam recordatur cognitionis habitæ, altera, qua producit habitum. Tertia est libera subiecta voluntati, qua producitur species in alio Angelo. Tribuunt hanc sententiam Alensi, Alberto Magno,

retur locutionem esse actionem transeuntem, & non immanentem vllo modo, qualis debet esse vera locutio, quæ cum sit actio vitalis, secundum sua prędicata primaria,& essentialia, debet esse immanens; sequela patet; quia productio illa cum suo termino reciperetur in audiẽte. Reijcitur secundo, quia talis cognitio ab obiecto facta est naturalis, & consequenter deberet recipi in omnibus Angelis, & sic vnus Angelus non posset loqui solum vni Angelo. Tertio: quia non posset Angelus malus mentiri. Quarto, & vltimo reijcitur, quia supponit posse naturaliter cognosci cogitationes cordium, quod supra vidimus repugnare.

Quarta sententia, quæ est Durandi, reijcitur communiter primò ex eo; quod S. Paulus distinguit inter linguas hominum,& Angelorum essentialiter, quod non esset verum, si & ipsi vterentur vocibus, sensibilibus in sua propria locutione, sicut & nos; dixi in sua propria locutione; nam in corporibus assumptis,non dubito eos posse producere voces sensibiles; sed hoc fit propter nos, non propter alios Angelos; & præterea non est locutio, quæ sit actio vitalis, de qua in præsenti quæritur. Reijcitur secundo: quia non posset vnus Angelus loqui alteri,quin ab alijs audiretur; nec valet dicere cum ipso Durando, posse eo modo, quo vnus homo in præsentia aliorum loquitur alteri solum,dirigendo scilicet ad ipsum tantum intentionem loquendi; tunc enim dicitur loqui solum cum illo, licet ab alijs audiatur: sed re vera absurdum est, vt obseruat Valentia, non tribuere Angelo eam facultatem, quam habet homo,vt scilicet vni tantum pro arbitrio sermonem suum manifestet, nullis alijs audientibus, vt rectè arguit S. Thomas prima parte qu. 107. artic. 5. Reijciũt tertiò: alij hanc sententiam; quia semper esset necessarium, vt Angelus, cum vult loqui, relinqueret cælum,& ad regionis aerem se conferret, vt posset formare huiusmodi voces, quæ non possunt formari nisi in corpore fluido, eo modo, quo est aer. Verum hęc ratio est debilis;nam primo posset dici, quod in multorũ sententia cælum ipsum est corpus fluidum, non verò solidum. Secundò quod in empyreo est corpus proportionatum locutioni; nam & ibi Beati homines cum corporibus suis existentes loquentur; & exaltationes Dei erunt in faucibus eorum, vt obseruat Arriaga. A fortiori reijcienda est sententia illa, quæ docet loqui Angelos alijs per quasdam figuras, & characteres, quos imprimunt cælo. Primo quia hoc esset potius scribere, quam loqui. Præterea,cum esset actio transiens, non esset locutio vitalis, quam quærimus. Denique illæ figuræ essent signa ad placitum, & sic oporteret, quod per aliquem

alium

alium locutionis modum innotescerent Angelis, vt scirent, quod ad hoc, aut illud significandum essent liberè ab ipsis Angelis, vel aliquo illorum institutæ.

Quinta sententia, quæ est Scoti, reijcitur. Primò, quia Angelus inferior non posset loqui cum Angelo superiori; nisi admittatur inferiorem habere actionem physicam in naturam sibi superiorem, quod est inconueniens. Secundo: quia manifestè repugnat sententiæ S. P. qui lib. 15. de Trinitate cap. 10. vt supra notaui, dicit in spiritualibus idem omninò esse audire, & videre, licet in corporalibus vnum sit diuersum ab alio: ait enim ibi S. P. *Foris cum per corpus hæc fiunt aliud est locutio, aliud visio, intus autem cum cogitamus vtrumque vnum est. Sicut auditio, & visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis; in animo autem non est aliud, atque aliud videre, & audire.* At Scotus apertè distinguit realiter in Spiritibus Angelicis auditionem à visione. Tertio: reijcitur eadē ratione, qua reiecta est sententia Nominalium, quia videlicet etiam hæc locutio non esset actio immanens, & vitalis, sed transiens. Quarto: quia si admittitur vnum Angelum posse producere intellectionem in intellectu alterius, hoc se habente solum passiuè, sequitur etiam, quod possit producere volitionem, etiam si iste esset superior, & vnum posse cogere alterum; ac etiā posse efficere, quod amet incognitum, cum non sit maior ratio de intellectione, ac de volitione. Denique sequeretur intellectum posse intelligere sinè specie impressa, si admittatur Angelum posse producere cognitionem, seù conceptū in intellectu alterius non impressa specie; Si dicas imprimi speciem prius; contra est, quia tunc in illa auditione, seù conceptione Angelus audiens non se haberet amplius passiuè solum; [vt vult Scotus] sed deberet concurrere actiuè simul cum illa specie ad producendum talem conceptum.

Præter prædictas sententias antiquorum, Recentiores quidam, vt vidi in quibusdam M. SS. eruditis, aliā sententiam, & modum excogitauerunt, dicentes. Angelum loqui alteri Angelo producendo speciem sui actus in illo, & talem speciem produci actione spirituali, non exigente medium, & directiuè procedente ab intellectu, imperatiuè à voluntate, & executiuè ab actu intellectus, vel voluntatis formando conceptum; quē vult alteri manifestare; ita vt triplex actio profluat à tali actu; duæ necessariæ vna scilicet, quæ producit speciem sui in loquente, per quam recordatur cognitionis habitæ, altera, qua producit habitum. Tertia est libera subiecta voluntati, qua producitur species in alio Angelo. Tribuunt hanc sententiam Alensi, Alberto Ma

gno,

Secunda sententia communiter reijcitur à Thomistis. Primo: quia sequeretur locutionem esse actionem voluntatis volentis formare illa signa, non verò intellectus. Secundo: quia esset actio transiens à voluntate in intellectum; cum tamen S. P. lib. 15. de Trinitate cap. 10. doceat esse actionem intellectus; dicit enim ibi, locutionem cordis esse cogitationem, & cum eo communiter sentiunt alij PP & plurimi DD. ac propterea necesse sit, eam esse actionem immanentem, sic Theophilactus ad illum locum S. Pauli. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, (ait) linguam Angelorum esse potentiam intelligendi, qua inuicem communicant sensa. Theodoretus ibi Angelorum linguas non sensu, sed intelligentia percipi docet, per quam Deum laudant, & inter se differunt. Item Venerabilis Beda lib. 2. in Iob ad illud cap. 7. *si subito apparuit Aurora*, dicit Angelorum locutionem non fieri sinè intellectus enunciatione. Tertio cum huiusmodi signa omnibus pateant, sequeretur vnum Angelum non posse loqui alteri, quin omnes audirent; quod videtur esse contra rationem societatis, & amicitiæ. Si dicas cum Molina, denegari à Deo concursum alijs, ne audiant, quia sic oportet fieri; contra est, quia hoc modo violenter illi ab auditione impedirentur, cum habeant talium signorum species; & sic esset miraculum perpetuum, quod illi numquam audirent; quod poni non debet sinè vrgenti necessitate; quapropter melius videntur sentire, & explicare alij, qui hanc sententiam sequuntur, dicendo, hæc signa esse etiam in intellectu audientis; ita vt sicut in nobis est aliquid, quod alter naturaliter percipit, verbi gratia vox exterior, & aliquid, quod secundum se percipi non potest ab omnibus puta conceptus interior mentis, & hic innotescit per signum exterius, idest per vocem, aut nutum; ita in Angelis est aliquid, quod omnes videre possunt, idest signum intellectuale, aliud verò, quod non possunt omnes, idest motus voluntatis. Ita in Angelis locutio formaliter consistit in expressione, aptatione, & ordinatione conceptus mentis per ordinē ad signum intellectuale; tali modo, vt ex illa ordinatione illud signum naturaliter cognitum efficiatur significatiuum interioris conceptus, & manifestatiuum illius: quo pacto loquens latinè cum vno, qui nouit linguam, esto alij, eam ignorantes linguam audiant, nihilominus ille solus percipit conceptus, qui callet linguam, alij vero solum percipiūt materialem vocis sonum; neque enim illa verba sunt ordinata, & aptata eorum cognitioni. Hic modus sic explicatus probatur à suis assertoribus, Primo: quia non implicat dari huiusmodi signa intellectualia, siuè dicamus,

camus, ea significare ex institutione diuina, sicut dixerunt aliqui, quod significabant illa verba, quibus Adã vtebatur; siuè dicatur, & melius, illa significare naturaliter, eo quod non videatur impossibile, dari qualitates spirituales, quæ sint naturales imagines conceptuum, sicut ipsi conceptus sunt spirituales, & naturales imagines rerum; ita tamen, vt sit in potestate loquentis, illa ita aptare, & ordinare, vt solum percipiantur ab ijs, ad quos diriguntur, sicut data proportione nos aptamus voces, nutus, & scripturas, ita vt, licet alij intelligant materialitatem eorum, illi tamen soli percipiant conceptus, ad quos dirigimus illa signa, vt dictum est. Probant secundo: quia hoc modo faciliter soluuntur difficultates de locutione Angelorum; sic enim explicatur quomodo vnus loquatur vni, & non alijs, quia scilicet huiusmodi signa sunt tantum eorum, quę spectant ad Angelos, ad quos dirigitur locutio, ac proinde, cum Angelus, vt docet S. Thomas in secundo dist. vndecima articulo tertio ad quartum, & ad 9. & qu. 9. de Veritate artic. 4. ad 11. semper sit in actu cognoscendi se, & omnia, quæ ad se pertinent, & locutio ista sit de pertinentibus ad ipsum, ad quem dirigitur; statim ac Angelus aptat, & ordinat suum conceptum, vt sit conformis, & similis signo intellectuali, quod alter habet, hic statim audit loquentem, cæteri vero minimè; quia licet habeant signa intellectualia locutionum, non tamen illius cõceptus, qui ordinatur ad talem audietem, & non ad alios. Sic etiam explicatur rectè quomodo vnus potest audire plurimos Angelos loquẽtes; quia scilicet illę locutiones ordinantur ad ipsum, & sunt de pertinentibus ad eius statum. Præterea fit clarum quomodo vnus possit loqui alteri distanti, quia scilicet talis locutio, & auditio, cum essentialiter consistant in actionibus purè spiritualibus, puta intellectualibus, abstrahũt à loco, situ, & tempore. Denique quia hoc modo explicatur quomodo non sit necessarium, vt semper Angelus loquens manifestet alijs suos conceptus prætereum, ad quem dirigit locutionem. Hæc sententia sic explicata non displicet in alio, nisi in eo, quod videtur frustra multiplicare illa signa, maximè si ponat esse omninò realiter distincta ab ipsis conceptibus, quos Angelus vult manifestare, vt ponere debet, si vult cõsequenter loqui: cum sufficienter sinè prædictis signis realiter distinctis saluetur ipsa locutio Angelorum in sententia S. Thomæ iam explicata, & non sint multiplicanda entia, absque necessitate.

Tertia sententia; quæ est Nominalium; reijcitur communiter à Thomistis, & a pluribus alijs, primo quia ex eorum modo explicandi sequeretur

alium locutionis modum innotescerent Angelis, vt scirent, quod ad hoc, aut illud significandum essent liberè ab ipsis Angelis, vel aliquo illorum institutæ.

Quinta sententia, quæ est Scoti, reijcitur. Primò, quia Angelus inferior non posset loqui cum Angelo superiori; nisi admittatur inferiorem habere actionem physicam in naturam sibi superiorem, quod est inconueniens. Secundo: quia manifestè repugnat sententiæ S. P. qui lib. 15. de Trinitate cap. 10. vt supra notaui, dicit in spiritualibus idem omninò esse audire, & videre, licet in corporalibus vnum sit diuersum ab alio: ait enim ibi S. P. *Foris cum per corpus hæc fiunt aliud est locutio, aliud visio, intus autem cum cogitamus vtrumque vnum est. Sicut auditio, & visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis; in animo autem non est aliud, atque aliud videre, & audire.* At Scotus apertè distinguit realiter in Spiritibus Angelicis auditionem à visione. Tertio: reijcitur eadē ratione, qua reiecta est sententia Nominalium, quia videlicet etiam hæc locutio non esset actio immanens, & vitalis, sed transiens. Quarto: quia si admittitur vnum Angelum posse producere intellectionem in intellectu alterius, hoc se habente solum passiuè, sequitur etiam, quod possit producere volitionem, etiam si iste esset superior, & vnum posse cogere alterum; ac etiā posse efficere, quod amet incognitum, cum non sit maior ratio de intellectione, ac de volitione. Denique sequeretur intellectum posse intelligere sinè specie impressa, si admittatur Angelum posse producere cognitionem, seù conceptū in intellectu alterius non impressa specie; Si dicas imprimi speciem prius; contra est, quia tunc in illa auditione, seù conceptione Angelus audiens non se haberet amplius passiuè solum; [vt vult Scotus] sed deberet concurrere actiuè simul cum illa specie ad producendum talem conceptum.

Præter prædictas sententias antiquorum, Recentiores quidam, vt vidi in quibusdam M. SS. eruditis, aliā sententiam, & modum excogitauerunt, dicentes. Angelum loqui alteri Angelo producendo speciem sui actus in illo, & talem speciem produci actione spirituali, non exigente medium, & directiuè procedente ab intellectu, imperatiuè à voluntate, & executiuè ab actu intellectus, vel voluntatis formando conceptum; quē vult alteri manifestare; ita vt triplex actio profluat à tali actu, duæ necessariæ vna scilicet, quæ producit speciem sui in loquente, per quam recordatur cognitionis habitæ, altera, qua producit habitum. Tertia est libera subiecta voluntati, qua producitur species in alio Angelo. Tribuunt hanc sententiam Alensi, Alberto Ma

gno,

gno, Ricardo, & S. Bonauenturæ; sed falluntur: nam isti re vera sequũtur sententiam, quam nos amplectimur; vt est germana S. Thomæ locis supra citatis pro sexta sententia; dicunt enim expressè, Angelum, cum loquitur, vti verbo aliquo, & locutionem perfici in ordine ad alterum, & diuerso modo loqui ad alterum cõpetere Deo, hominibus, & Angelis; locutio enim Dei ad nos præter intellectionem increatam Dei relatam ad nos includit aliquem effectum in nobis, puta aliquam reuelationem, vel per species de nouo impressas, vel per nouam ordinationem specierum existentium in phantasia, vel aliquem motum internum inspiratum, & hoc Alensis, & S. Bonauentura colligunt ex S. Gregorio. In hominibus superaddunt signum vocale ad alterum. In Angelis vero supra cogitationem addunt respectum ad alterum, & nihil aliud vltra.

Quapropter etiã modus iste modernus reijci debet. Primò: quia sine tali productione speciei rectè explicatur locutio modo, qui non importat imperfectionem in audiente, sicut importat hæc productio à Recẽtioribus excogitata. Secundò quia talis locutio esset actio transiens, & non esset essentialiter intellectio, vt docent PP. supra relati. Tertio quia producere talem speciem est facere aliquem potentem ad audiendum, seù intelligendum, non verò formaliter loqui. Denique; quia difficillimum est reddere rationem, cur actus cogitationis producat liberè speciẽ sui in alio Angelo, & necessariò producat consimilem actum in ipso Angelo, ei, à quo talis actus productus est. Vide Vasquez tomo 2. in primam partem. Disp. 211. cap. 4. & 5 vbi latè examinat hanc sententiã, eamque reijcit tamquam eisdem difficultatibus obnoxiam, quibus præcedentes sententię reiectæ laborant.

AXIOMA NONVM.

Quomodo Angelus illuminet mentes inferiores.

Ex enarrationibus. in Ps. 118. concione 18. in fine.

Deus per seipsum: quia lux est, illuminat pias mentes, vt ea, quæ diuina dicuntur, vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro vtitur Angelo potest quidem aliud agere Angelus in mente hominis, vt capiat lucem Dei,

Dei, & per hanc intelligat; Sed ita dicitur intellectum dare homini, & quasi vt ita dicam intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit: cum eam sua luce non penetret, & illustret, sed tantummodo aditum, quo penetretur, atque illustretur, aperiat. Sed nec Sol, qui per fenestram illustrat domum, ipse creauit eamdem domum, aut hominem, qui fenestram fecit in domo &c. aut aliquid aliud egit, vt aperiretur, qua suum lumen infunderet. Deus autem, & hominis mentem rationalem, atque intellectualem fecit, qua posset capere lumen eius, & Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid, vndè ad capiendum lumen Dei mens adiuuaretur humana, & eamdem sic adiuuat mentem, vt Angelicam recipiat operationem, & eam sic illuminat de seipso, vt non solum illa, quæ à Veritate monstrantur, sed ipsam quoque proficiendo perspiciat veritatem.

DVBIVM

Quomodo vnus Angelus illuminet alium, & in quo differant illuminatio, & locutio.

TRes sunt præcipuę circa primũ punctum DD. sententiæ. Prima est Capreoli in secundo dist. 11. qu. 2. artic. primo Concl. 2. & ad primum, ac etiam Durandi ibidem, qui docent fieri per infusionem nouarum specierum. Secunda est Scoti in secundo dist. 9. qu. 2. Bassolij qu. prima art. 2. Ocami qu. 20. art. 2. & Gabr. qu. 2. artic. 4. asserentium fieri per infusionem conceptus veritatis manifestatæ. Tertia sententia est Alensis prima parte qu. 38. memb. 3. S. Bonauenturæ in 2. dist. 10. art. 2. qu. 2. B. N. Egidij dist. 9. qu. prima artic. 5. Thomæ de Argentina, qu. prima artic. 3. Marsilij in 2. qu. 7. artic. 4. concl. prima & in solutionibus argumentorũ Caietani prima parte qu. 106. artic. primo qui docent vnum Angelum illuminare alterum per externam solum propositionem, absq; eo, quod aliquid imprimat Angelo illuminato: propterea,

Dico primo. Angelum superiorem illuminare inferiorem, qua-

habitudines, & effectus passionis Christi Domini; & de e s, quæ pertinent ad dispositionem mundi, & præcipuè ad salutem electorum, de quibus, quia vsque ad diem Iudicij semper noua aliqua supremis Angelis reuelantur, ideo semper remanent aliqua, de quibus superiores illuminent inferiores; sed etiam est de pertinentibus ad res naturales. Verum illuminatio non est de rebus naturalibus quoad quidditates saltem primò, & per se; nam horum cognitiones Angeli habent à principio per species concreatas; possunt tamen esse de aliquibus rationibus ipsarum rerum naturalium; has enim non est necesse omnes ab omnibus sciri, & ideo de his possunt inferiores à superioribus illuminari; consequenter ad ea, quæ docuit S. Tho. prima parte qu. 55. articulo vltimo. Differunt 2. in ratione formali obiecti; obiectum enim formale illuminationis est verum dependens à prima Veritate; locutionis autem est aliquid, vt dependens à voluntate creata, vt cum dicit volo hoc facere. De rebus enim necessarijs, seù naturalibus non est locutio, cum ab illis omnibus æquè per suas species cognoscantur. v. g. homo est animal rationale, quod si daretur casus, quòd aliquod ex his esset ignotum, tunc de hoc etiam posset esse illuminatio. Differunt 3. in proprietate; nam locutio potest esse, & vera, & falsa, vt patet in Dæmonibus; licet enim hoc non detur in spiritibus Beatis, hoc est ratione status ipsorum; non tamen ex eo quod locutio ex genere suo non possit habere vtrumque. Differunt quarto subiecto, nam regulariter solum Angeli superiores illuminant inferiores, locutio verò tam est superioris ad inferiorem, quam inferioris ad superiorem. Differunt 5. fine. Docet enim S. Thomas prima parte qu. 209 artic. 3. in corp. illuminationem propriam esse manifestationem veritatis, secundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum; At locutio potest esse coniuncta cum manifestatione alterius cuiuscumque veritatis, vt cum Dæmon superior veritatem aliquam, quam ipse cognoscit inferiori manifestat; vnde inter Dæmones datur quidem locutio, non verò illuminatio propriè, & in rigore sumpta; plura de his apud S. Thomam prima parte qu. 106.

CON-

CONTROVERSIA SEXTA

De Voluntate, & Amore Angelorum.

AXIOMA PRIMVM.

In Angelis est Voluntas, & libertas.

Ex lib. 12. de Ciuitate Dei Cap. primo.

DEus liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, vt si vellet deserere Deum, Beatitudinem scilicet suam, continua miseria esset secutura.

DVBIVM.

Vtrum in Angelis sit voluntas, & liberum arbitrium.

DIco primo: esse æquè certum, in Angelis esse volũtatem, ac eos esse quasdam creaturas intellectuales; Omnis enim creatura intellectualis non solum est prædita facultate cognoscitiua, sed etiam inclinatione in bonum vniuersaliter aprehensum consequente facultatem illam, illique in suo gradu corrispondentem, quam inclinationem appellamus voluntatem. Hæc conclusio sic explicata probatur communiter à Theologis cum S. Thoma prima parte qu. 79. artic. 2. auctoritate S. P. lib. 10. de Trinitate cap. 9. vbi docet imaginem Dei reperiri secundum intelligentiam, & memoriam, & voluntatem; sed Angelus est ima

habitudines, & effectus passionis Christi Domini; & de e s, quæ pertinent ad dispositionem mundi, & præcipuè ad salutem electorum, de quibus, quia vsque ad diem Iudicij semper noua aliqua supremis Angelis reuelantur, ideo semper remanent aliqua, de quibus superiores illuminent inferiores; sed etiam est de pertinentibus ad res naturales. Verum illuminatio non est de rebus naturalibus quoad quidditates saltem primò, & per se; nam horum cognitiones Angeli habent à principio per species concreatas; possunt tamen esse de aliquibus rationibus ipsarum rerum naturalium; has enim non est necessè omnes ab omnibus sciri, & ideo de his possunt inferiores à superioribus illuminari; consequenter ad ea, quæ docuit S. Tho. prima parte qu. 55. articulo vltimo. Differunt 2. in ratione formali obiecti; obiectum enim formale illuminationis est verum dependens à prima Veritate; locutionis autem est aliquid, vt dependens à voluntate creata, vt cum dicit volo hoc facere. De rebus enim necessarijs, seù naturalibus non est locutio, cum ab illis omnibus æquè per suas species cognoscantur. v. g. homo est animal rationale, quod si daretur casus, quòd aliquod ex his esset ignotum, tunc de hoc etiam posset esse illuminatio. Differunt 3. in proprietate; nam locutio potest esse, & vera, & falsa, vt patet in Dæmonibus; licet enim hoc non detur in spiritibus Beatis, hoc est ratione status ipsorum; non tamen ex eo quod locutio ex genere suo non possit habere vtrumque. Differunt quarto subiecto, nam regulariter solum Angeli superiores illuminant inferiores, locutio verò tam est superioris ad inferiorem, quam inferioris ad superiorem. Differunt 5. fine. Docet enim S. Thomas prima parte qu. 109 artic. 3. in corp. illuminationem propriam esse manifestationem veritatis, secundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum; At locutio potest esse coniuncta cum manifestatione alterius cuiuscumque veritatis, vt cum Dæmon superior veritatem aliquam, quam ipse cognoscit inferiori manifestat; vnde inter Dæmones datur quidem locutio, non verò illuminatio propriè, & in rigore sumpta; plura de his apud S. Thomam prima parte qu. 106.

CON-

CONTROVERSIA SEXTA

De Voluntate, & Amore Angelorum.

AXIOMA PRIMVM.

In Angelis est Voluntas, & libertas.

Ex lib. 12. de Ciuitate Dei Cap. primo.

DEus liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, vt si vellet deserere Deum, Beatitudinem scilicet suam, continua miseria esset secutura.

DVBIVM.

Vtrum in Angelis sit voluntas, & liberum arbitrium.

DIco primo: esse æquè certum, in Angelis esse volũtatem, ac eos esse quasdam creaturas intellectuales; Omnis enim creatura intellectualis non solum est prædita facultate cognoscitiua, sed etiam inclinatione in bonum vniuersaliter aprehensum consequente facultatem illam, illique in suo gradu corrispondentem, quam inclinationem appellamus voluntatem. Hæc conclusio sic explicata probatur communiter à Theologis cum S. Thoma prima parte qu. 79. artic. 2. auctoritate S. P. lib. 10. de Trinitate cap. 9. vbi docet imaginem Dei reperiri secundum intelligentiam, & memoriam, & voluntatem; sed Angelus est ima

gno, Ricardo, & S. Bonauenturæ; sed falluntur: nam isti re vera sequũtur sententiam, quam nos amplectimur; vt est germana S. Thomæ locis supra citatis pro sexta sententia; dicunt enim expressè, Angelum, cum loquitur, vti verbo aliquo, & locutionem perfici in ordine ad alterum, & diuerso modo loqui ad alterum cõpetere Deo, hominibus, & Angelis; locutio enim Dei ad nos præter intellectionem increatam Dei relatam ad nos includit aliquem effectum in nobis, puta aliquam reuelationem, vel per species de nouo impressas, vel per nouam ordinationem specierum existentium in phantasia, vel aliquem motum internum inspiratum, & hoc Alensis, & S. Bonauentura colligunt ex S. Gregorio. In hominibus superaddunt signum vocale ad alterum. In Angelis vero supra cogitationem addunt respectum ad alterum, & nihil aliud vltra.

Quapropter etiã modus iste modernus reijci debet. Primo: quia sine tali productione speciei rectè explicatur locutio modo, qui non importat imperfectionem in audiente, sicut importat hæc productio à Recẽtioribus excogitata. Secundò quia talis locutio esset actio transiens, & non esset essentialiter intellectio, vt docent PP. supra relati. Tertio quia producere talem speciem est facere aliquem potentem ad audiendum, seù intelligendum, non verò formaliter loqui. Denique; quia difficillimum est reddere rationem, cur actus cogitationis producat liberè speciẽ sui in alio Angelo, & necessariò producat consimilem actum in ipso Angelo, ei, à quo talis actus productus est. Vide Vasquez tomo 2. in primam partem. Disp. 211. cap. 4. & 5 vbi latè examinat hanc sententiã, eamque reijcit tamquam eisdem difficultatibus obnoxiam, quibus præcedentes sententię reiectæ laborant,

AXIOMA NONVM.

Quomodo Angelus illuminet mentes inferiores.

Ex enarrationibus. in Ps. 118. concione 18. in fine.

DEus per seipsum: quia lux est, illuminat pias mentes, vt ea, quæ diuina dicuntur, vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro vtitur Angelo potest quidem aliud agere Angelus in mente hominis, vt capiat lucem Dei,

Dei, & per hanc intelligat; Sed ita dicitur intellectum dare homini, & quasi vt ita dicam intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit: cum eam sua luce non penetret, & illustret, sed tantummodo aditum, quo penetretur, atque illustretur, aperiat. Sed nec Sol, qui per fenestram illustrat domum, ipse creauit eandem domum, aut hominem, qui fenestram fecit in domo &c. aut aliquid aliud egit, vt aperiretur, qua suum lumen infunderet. Deus autem, & hominis mentem rationalem, atque intellectualem fecit, qua posset capere lumen eius, & Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid, vndè ad capiendum lumen Dei mens adiuuaretur humana, & eamdem sic adiuuat mentem, vt Angelicam recipiat operationem, & eam sic illuminat de seipso, vt non solum illa, quæ à Veritate monstrantur, sed ipsam quoque proficiendo perspiciat veritatem.

DVBIVM

Quomodo vnus Angelus illuminet alium, & in quo differant illuminatio, & locutio.

TRes sunt præcipuę circa primũ punctum DD. sententiæ. Prima est Capreoli in secundo dist. 11. qu. 2. artic. primo Concl. 2. & ad primum, ac etiam Durandi ibidem, qui docent fieri per infusionem nouarum specierum. Secunda est Scoti in secundo dist. 9. qu. 2. Bassolij qu. prima art. 2. Ocami qu. 20. art. 2. & Gabr. qu. 2. artic. 4. asserentium fieri per infusionem conceptus veritatis manifestatæ. Tertia sententia est Alensis prima parte qu. 38. memb. 3. S. Bonauenturæ in 2. dist. 10. art. 2. qu. 2. B. N. Egidij dist. 9. qu. prima artic. 5. Thomæ de Argentina qu. prima artic. 3. Marsilij in 2. qu. 7. artic. 4. concl. prima & in solutionibus argumentorũ Caietani prima parte qu. 106. artic. primo qui docent vnum Angelum illuminare alterum per externam solum propositionem, absq; eo, quod aliquid imprimat Angelo illuminato: propterea,

Dico primo. Angelum superiorem illuminare inferiorem, quatenus

tenus intra se ita exprimit suum conceptum, vt ordinet illum ad alterū; ita vt ab illo intelligatur. Hæc sententia est communis inter illos DD. quos in præcedenti dubio citaui pro sententia, quam circa locutionem Angelorum sequor. Et prob. primo auctoritate S. P. in hoc Axiomate, in quo docet; hoc modo Angelos illuminare homines: vnde à fortiori colligitur;hoc etiam modo Angelos superiores illuminare inferiores, cū minor actiuitas requiratur ad illuminandum Angelos, quam ad illuminandum homines: in illis enim minora obstant impedimenta, quam in istis, & propterea meritò Vasquez. tomo 2. in prima parte disp. 216. cap. 5. vtitur hoc axiomate ad probandam hanc sententiam, & infert,dicēdū esse multo maiori ratione vnum Angelum in intellectum eius, quem illuminat,nihil operari; sed se habere vt Doctorem proponentem exterius veritatem. Prob. secundo: quia illuminatio est quædam locutio de rebus spiritualibus, & supernaturalibus; sed locutio consistit essentialiter in formatione verbi relatiuè ad alium; ergò etiam illuminatio: propterea S. Thomas prima parte qu. 106. artic. primo ad 2. & qu. 9. de Veritate artic. primo docuit;non fieri illuminationem vnius Angeli ab alio, per traditionem luminis gratię, & gloriæ, & loco citato de Veritate ad 12. non fieri per infusionem nouarum specierum; nec potest secundum ipsius principia dici, quod fiat per infusionem conceptus veritatis manifestatæ; nam locis citatis docet; ex speciebus, quas prius habebat intellectus Angeli illuminati cōfortatus per lumen superioris Angeli fieri, vt sit cognoscitiuus plurium; quemadmodū noster intellectus confortatus per lumen diuinum,vel Angelicum potest ex eisdem phantasmatibus in cognitionem plurium deuenire, quam per se posset.

Dices: ergo de mente S. Thomæ est, quod in intellectione Angeli illuminati, recipiatur intrinsecè aliquod lumen,per quod S. Doctor dicit eum confortari,vt possit plura intelligere per illud,quam posset sine illo. ℞. aliquos propter ea quæ prima parte qu. 106. docuit, putare eū in hac fuisse sententia, cuius mentem, & doctrinam explicant dicēdo, fieri ex parte intellectus Angeli illuminati proportionem cum obiecto, vel traditionem medij intelligibilis perficientis intellectum eius, qui illuminatur, & ita hunc confortari ad cognitionem veritatis ignotæ ex parte speciei (nam secundum hæc duo, quę ad cognitionem concurrunt,potest alicui manifestari veritas ignota) & hoc fieri per particularizationem, diuisionem, & multiplicationem cōceptuum Angeli illuminantis; seù per proportionem obiecti; vel medij per exempla similitudinis; & hæc pro-

proportionata intellectui Angeli illuminati efficere, vt possit, vti speciebus, quibus ante traditionem talis medij, & talis modi vti non poterat ad assẽsum huiusmodi veritatis ignotæ. Confirmant hæc ex ijs, quæ ipse Angelicus Doctor docuit in 2. 2. qu. 15. art. 2. nempè ad intellectualem visionem triplex lumen concurrere, naturale scilicet, habituale, seu speciem intelligibilem, & obiectum, seu medium intelligibile, quod quia ducit in cognitionem alterius rei, lumen dici potest: Ex his, lumen naturale (docet) per reliqua duo confortari, corroborari, & perfici, non quidem intensiuè, sed extensiuè, quatenus lumen naturale adiutum duobus alijs luminibus potest ea cognoscere, quæ sinè illis non poterat. Ex quibus concludunt isti, in sententia D. Thomæ dicendum esse, in hac illuminatione recipi aliquid in intellectu Angeli illuminati; nam sinè receptione non potest stare illa corroboratio, & illa traditio medij intelligibilis, per quam intellectus Angeli dicitur illuminari. His tamen non obstantibus: Caietanus in Commentarijs articuli primi dictæ quæstionis 106. illum benignè interpretatur, & exponit de propositione exteriori supra à nobis cum S. P. explicata: quem secuti sunt postea etiam recentiores Thomistæ, & nouissimè Io. Baptista Gonnetus tomo 6. sui Clypei Theologici disp. 13. art. 2. & putant prædictam illuminationẽ, & corroborationem sufficienter explicari per aliquid exterius coniunctum, & nõ esse necessarium aliquid interiùs receptum; quemadmodum in præceptore, qui tunc dicitur, illuminare discipulum, cum illi exterius tradit medium aliquod, quo confortatus intellectus discipuli euidenter cognoscit connexionem terminorũ, seu passionis cum subiecto, & ea, quę ipse in summa; & paucioribus conceptibus capit, multipliciter distinguens, prouidẽs capacitati discipuli.

Dico secundo pro solutione secũdi puncti: illuminationem, & locutionem differre in multis, & primo in obiecto materiali; nam licet neutra sit de pertinentibus ad visionem Beatificam; cum de his omnibus illuminentur à Deo, iuxta illud Prophetæ Hier. cap. 31. *Non docebit vir fratrem suum*. Nihilominus non omnis locutio est illuminatio, licet omnis illuminatio sit locutio; ratio discriminis est, quia locutio est de rebus tam notis, quam ignotis; illuminatio verò solum de ignotis, & ideo locutio non solum est de illis, quę reuelantur extra visionem Beatificam Angelorum, quæ excedunt cognitionem naturalem, vt de Diuinis Mysterijs pertinentibus, vel ad Ecclesiam triumphantem, vel ad militantem, & de rationibus operum diuinorum, quorum plura videntur ab vno in Verbo, quam ab altero; vt sunt plures

habitudines, & effectus passionis Christi Domini; & de e s, quæ pertinent ad dispositionem mundi, & pręcipuè ad salutem electorum, de quibus, quia vsque ad diem Iudicij semper noua aliqua supremis Angelis reuelantur, ideo semper remanent aliqua, de quibus superiores illuminent inferiores; sed etiam est de pertinentibus ad res naturales: Verum illuminatio non est de rebus naturalibus quoad quidditates saltem primò, & per se; nam horum cognitiones Angeli habent à principio per species concreatas; possunt tamen esse de aliquibus rationibus ipsarum rerum naturalium; has enim non est necessè omnes ab omnibus sciri, & ideo de his possunt inferiores à superioribus illuminari; consequenter ad ea, quæ docuit S. Tho. prima parte qu. 55. articulo vltimo. Differunt 2. in ratione formali obiecti; obiectum enim formale illuminationis est verum dependens à prima Veritate; locutionis autem est aliquid, vt dependens à voluntate creata, vt cum dicit volo hoc facere. De rebus enim necessarijs, seù naturalibus non est locutio, cum ab illis omnibus æquè per suas species cognoscantur. v. g. homo est animal rationale, quod si daretur casus, quòd aliquod ex his esset ignotum, tunc de hoc etiam posset esse illuminatio. Differunt 3. in proprietate; nam locutio potest esse, & vera, & falsa, vt patet in Dæmonibus; licet enim hoc non detur in spiritibus Beatis, hoc est ratione status ipsorum; non tamen ex eo quod locutio ex genere suo non possit habere vtrumque. Differunt quarto subiecto, nam regulariter solum Angeli superiores illuminant inferiores, locutio verò tam est superioris ad inferiorem, quam inferioris ad superiorem. Differunt 5. fine. Docet enim S. Thomas prima parte qu. 209 artic. 3. in corp. illuminationem propriam esse manifestationem veritatis, secundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum; At locutio potest esse coniuncta cum manifestatione alterius cuiuscumque veritatis, vt cum Dæmon superior veritatem aliquam, quam ipse cognoscit inferiori manifestat; vnde inter Dæmones datur quidem locutio, non verò illuminatio propriè, & in rigore sumpta; plura de his apud S. Thomam prima parte qu. 106.

CON-

CONTROVERSIA SEXTA

De Voluntate, & Amore Angelorum.

AXIOMA PRIMVM.

In Angelis est Voluntas, & libertas.

Ex lib. 12. de Ciuitate Dei Cap. primo.

DEus liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, vt si vellet deserere Deum, Beatitudinem scilicet suam, continua miseria esset secutura.

DVBIVM.

Vtrum in Angelis sit voluntas, & liberum arbitrium.

DIco primo: esse æquè certum, in Angelis esse volũtatem, ac eos esse quasdam creaturas intellectuales; Omnis enim creatura intellectualis non solum est prædita facultate cognoscitiua, sed etiam inclinatione in bonum vniuersaliter aprehensum consequente facultatem illam, illique in suo gradu corrispondentem, quam inclinationem appellamus voluntatem. Hæc conclusio sic explicata probatur communiter à Theologis cum S. Thoma prima parte qu. 79. artic. 2. auctoritate S. P. lib. 10. de Trinitate cap. 9. vbi docet imaginem Dei reperiri secundum intelligentiam, & memoriam, & voluntatem; sed Angelus est imago

go Dei; ergo in eo, ficut eſt memoria, & intellectus, ita etiam necefsè eſt, vt reperiatur voluntas. Et confirmari poteſt ex eo, quod docet in hoc Axiomate, nempè in Angelis eſſe liberũ arbitrium; implicat enim contradictionem dari liberum arbitrium, vbi non datur voluntas. Prob. 2. eadem ratione eiuſdem Angelici Doctoris quã in explicatione cõclusionis attigi; quia in ijs eſt Volũtas in quib⁹ eſt potẽtia inclinans ad ipſum bonũ vniuerſaliter apprehenſũ; nihil enim aliud eſt voluntas, quã talis potẽtia; ſed in Angelis datur huiuſmodi potẽtia; ergo in eis eſt Voluntas. Maior eſt certa: Minor probatur; nam quælibet res inclinatur in bonum ſibi proportionatum, cum hac tamen differentia, quod quædã inclinantur in bonum per ſolam naturalem habitudinem ſinè vlla cognitione, vt plantæ, ſaxa, metalla, & cætera huiuſmodi, & talis inclinatio vocatur appetitus naturalis; quædam verò inclinantur in bonum cũ aliqua cognitione, non tamen vniuerſali, ita vt cognoſcant ipſam rationem boni in communi; ſed talem ſolum, vt cognoſcant aliquod bonum particulare ſibi proportionatum; v. g. calidum, & frigidum, dulce, & amarum, album, & nigrum, & inclinatio ſequens hanc cognitionẽ non dicitur voluntas, ſed appetitus ſenſitiuus; conſequitur enim operationem ipſorum ſenſuum. Quædam denique inclinantur ad bonum, cognoſcendo ipſam rationem boni, & in communi, & in particulari, & hæc cognitio eſt operatio potentiæ ſpiritualis, ideſt rationalis, ſeù intellectualis. & propterea inclinatio conſequens ad hanc operationem, ſeù potentiam dicitur appetitus rationalis, & vnico nomine voluntas; Et cum ſupra oſtenſum ſit, dari in Angelis cognitionem intellectualem; conſequens eſt, vt detur etiam in illis potentia inclinas in bonum taliter cognitum, ac proinde quod detur in eis voluntas.

Dico ſecundo: in Angelis eſſe liberum arbitrium, vt rectè docet S. P. in Axiomate. Probatur primo; quia liberum arbitriũ competit illis creaturis, quæ poſſunt agere ex iudicio proponente vtramque partem, vel contrarietatis, vel contradictionis; Sed Angeli poſſunt agere, & ſe determinare ex tali iudicio; ergo habent liberum arbitrium. Et hæc eſt ratio, quam tangit S. P. in Axiomate, cum ait *liberum arbitrium intellectuali naturæ tribuit tale, vt ſi vellet deſerere Deum, &c.* docens in poteſtate naturæ Angelicæ antè aſſecutionem gloriæ fuiſſe, vel adhęrere, vel deſerere Deum; vtramque enim partem huius contrarietatis proponebat iudicium ipſorum vnicuique eſſe in poteſtate. Confirmatur, quia ſi talis poteſtas, eſt in hominibus, eo quod ſunt naturæ intellectualis, à

for-

fortiori dicendum erit esse in Angelis, cuius natura intellectualis est perfectior. Probatur etiam ex ordine vniuersitatis creaturarum; in his enim sunt quædam, quæ agunt solũ, vt ab alijs acta, vt sera à secante, malleus à fabro, & gladius à gladiatore, & huiusmodi res certum est non habere liberum arbitrium; cum non agant nec ex iudicio, nec ex cognitione. Aliqua sunt, quæ agunt solum ex aliqua cognitione imperfecta, per quam non cognoscuntur ambæ partes contradictionis, vel contrarietatis; sed determinatè solum apprehenditur in particulari hoc esse noxium, illud verò iucundum, seu vtile. v. g. ouis videt lupum, & fugit, quia in particulari cognoscit hoc esse sibi noxium: videt herbam virentem, & accurrit, quia cognoscit in particulari sibi esse iucundam; sed cum hæc propensio, seu inclinatio sit à cognitione determinata ad hãc rem in particulari, & non proponens indifferenter vtramque rationem, non potest illa inclinatio dici liberum arbitrium, cum careat indifferentia necessaria ad veram rationem libertatis. Quædam denique sunt, quæ habent potentiam cognoscentem, & iudicantem cum indifferentia in vniuersali, & proponentem vtramque partem oppositionis; qua cognitione inclinatio consequens potest amplecti quamlibet partem contrarietatis, aut contradictionis, quam maluerit, & talis inclinatio, seu potentia dicitur verè, & propriè liberum arbitrium; quia habet omnia requisita ad veram libertatem. Et hoc, loquendo de creatis, reperitur solùm in Angelis, & hominibus: quia in his solum datur potentia taliter cognoscitiua, & iudicatiua, prout necessariò requiri dictum est.

Quęri hic solet: an in Angelis volũtas distinguatur realiter ab intellectu, & ab ipsa substantia eorũ. Respondeo consequenter ad ea, quæ dixi in Textu Philosophiæ naturalis tomo 3. vbi de anima cap. 6. & cum S. P. N. Augustino qui, lib. 9. de Trinitate cap. 4. & 5. agitat hanc quæstionẽ, (loquor de distinctione memoriæ, intellectus, & Voluntatis] eamque his verbis concludit *Miro itaque modo ista tria separabilia sunt à semetipsis, & tamen eorum singulum quodque substantia est; & simul omnia vna substantia, vel essentia, cum relatiuè dicantur ad inuicem.* Dixi has potentias in Anima nostra non distingui realiter, sed sola ratione ratiocinata; & cõsequenter à fortiori dicendum hoc erit in Angelis habere locum, iuxta illud vulgatum, ea, quæ sunt dispersa in inferioribus, in superioribus sunt vnum, & idem. Argumenta, quæ in contrarium adducuntur tam circa potentias spirituales animæ rationalis, quam Angelorum probant solum distinctionem virtualem, non verò realem; & propterea

ab

ab illis adducendis supersedeo.

Quæri etiam solet, an in Angelis sit appetitus irascibilis, & concupiscibilis. Respondet S. Thomas loco citato artic. 4. negatiuè, eo quod hęc distinctio sit solum appetitus sensitiui. Et in Angelis non datur nisi appetitus intellectiuus. Ratio est, quia potentię non distinguuntur per obiecta secundum diuersas rationes materiales, sed solum secundum diuersas rationes formales, vt patet in qualibet potentia sensitiua; nam in tactu non distinguimus plures potentias tactiuas, quarum vna sit frigoris, altera caloris, nec in visu vnam potentiam pro albedine, & alteram pro nigredine, eo quod in ordine ad dictas potentias rationes istæ sunt materiales, & conueniunt sub vna ratione formali specificatiua harum potentiarum, illæ videlicet sub ratione tangibilis, & istæ sub ratione visibilis; sic etiam in ordine ad appetitum rationalem, seu intellectiuum rationes illæ concupiscibilis, & irascibilis conueniunt in vna ratione formali boni in communi ratione boni, terminantis quemcumque actum volũtatis Angelicæ; & propterea nulla est necessitas distinguendi hos duos appetitus in Angelis.

AXIOMA SECVNDVM.

Angeli diligunt Deum, seipsos, & nos.

Ex lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 7.

MEritò illi in cælestibus sedibus constituti Angeli immortales, & Beati, qui Creatoris sui participatione congaudent, cuius æternitate firmi cuius veritate certi, cuius munere sancti sunt: quoniam nos mortales, & miseros, vt immortales, Beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei, cuius & ipsi nobiscum sacrificium se esse nouerunt. Cum ipsis enim sumus vna ciuitas Dei, cui dicit in Psalmo. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei: cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe superna ciuitate, vbi Dei voluntas intelligibilis, atque incommutabilis lex est, de illa superna quodammodo curia (geritur namque ibi cura de nobis] ad nos ministrata per Angelos Sancta illa scriptura descendit, vbi legitur: Sacrificans Dijs eradicabitur, nisi Domino soli.

DV-

DVBIVM.

An Angeli diligant Deum, seipsos, & nos.

PRæmitto: amorem Angelicum quadrifariam diuidi posse. Primo in naturalem, & supernaturalem. De hoc secundo S. P. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 8. ait *Charitatem fuisse etiam diffusam in mentibus Angelorum per Spiritum Sanctum, qui datus fuit illis.* Secundo in amorem amicitiæ, & concupiscentię; de hac diuisione meminit S. Thomas prima parte qu. 60. art. 3. Tertio diuiditur in amorem necessarium, idest qui elicitur cum quadam determinatione, ita vt non possit non elici, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium, vel quoad vtrumque, & in amorem liberum, qui etiam dicitur electiuus, & est is, qui elicitur cũ quadam indifferentia, siuè quoad specificationem, siuè quoad exercitium, siuè quoad vtrumque. Quartò diuiditur in amorem bonum, & malum. Bonus est, qui cum lege diuina congruit, malus verò, qui ab illa discrepat. Hunc habuerunt, & habent solummodo Dæmones. His positis.

Dico primo: Angelos diligere se ipsos, & dilectione naturali, & dilectione electiua. Prima pars probatur, quia quælibet res etiam cognitione carentes naturaliter appetunt consequi illud, quod ipsis est bonũ, vt lapis centrum; ignis suam sphæram; Vegetabilia alimentum; & sẽsitiua obiecta sibi proportionata; Ergo etiam Angelus, & homo appetunt naturaliter suum bonum, & suam perfectionem; sed hoc appetere est idem, ac velle sibi bonum, & amare seipsum naturaliter; ergo dilectione naturali Angeli diligunt seipsos. Secunda pars probatur ab aliquibus, qui sentiunt Angelum posse cessare à cognitione sui; & consequẽter etiam à dilectione; ac proinde diligere seipsum esse actum liberum quoad exercitium, & hoc modo diligere seipsum actũ esse electiuum in Angelo. Verùm quia est incertum; an Angelus possit cessare ab omni actu cognitionis sui ipsius, & videtur, probabilius esse, quod non possit, cũ obiectum sit semper præsens, & po-

tentia expedita ad actum; ac proinde quod sicut potentia visiua, posito obiecto proportionato, & omnibus requisitis ad visionem, non potest suspendere actum videndi, ita nec etiã potentia intellectiua respectu obiecti, maxime præsentis, & habens omnia requisita, vt habet Angelus respectu sui, non possit suspendere actũ intelligendi seipsum, ac proinde propter eamdem rationem nec etiam actum amoris quoad aliquod bonũ. Propterea melius probatur ab alijs cum S. Thoma prima parte qu. 60. artic. 3. quia alia sunt bona communia, & substantialia, vt esse, & subsistere, & hæc, cum sint naturalia, Angelus sibi naturaliter ea vult; alia sunt bona accidentalia, vt sunt hæc, vel illa operatio, quæ sunt in eius potestate; & hæc, cum liberè exerceantur, sic etiam liberè, & electiuè diliguntur ab Angelo, vt motus iste, vel ille, intellectio, aut volitio huius, vel illius obiecti creati, à se distincti; & his similia.

Dico secundo: Angelum naturaliter diligere alium Angelum, sicut seipsum. Prob. ratione, qua vtitur S. Thom. prima parte qu. 60. art. 4. nempè quia cum Angelus naturaliter diligat seipsum, consequenter diligit id omne, cum quo est vnum in naturalibus; sed omnes Angeli sunt vnum in natura, cum omnes conueniant in vno genere, ergò vnus aliũ naturaliter diligit, tamquam seipsũ, ita tamen, vt illa particula [tamquã] importet similitudinem, non verò æqualitatem.

Eadem ratione probatur etiam Angelos naturaliter diligere homines; eo quod cum illis sunt vnum in genere, non solum substantiæ; sed etiam Spiritus, ratione animæ rationalis, cum qua conueniunt in gradu naturæ intellectualis.

Dices: Dæmones odisse alios Angelos, ac etiam nos homines; Ergo falsum est, quod illos, & nos naturaliter diligant. Antecedens est certũ. Consequentia probatur, quia si naturaliter diligerent illos, & nos, non posset non amare, amor enim naturalis est amor necessarius, ac proinde qui hoc modo amat, non potest odisse. ℞. Dæmones non odisse Angelos, & homines quoad naturam, in qua conueniunt; sed quoad illas perfectiones, in quibus cum Angelis, & nobiscum differunt: hoc enim modo non diligunt dilectione naturali, sed libera, & electiua. Ad probationẽ ℞. amorem illum esse necessarium quoad specificationem, non verò quoad exercitium, quia sicut potest libere cessare à cognitione actuali naturæ cuiusuis alterius Angeli; hanc enim liberè exercet, ita consequenter, & ab amore actuali, qui consequitur ad illam, eamque necessariò supponit. Dices: Dæmones vellent alias naturas non esse; ergo neque naturaliter, neque necessariò, nec

etiam

etiam quod specificationē diligunt alios secundum naturam. ℞. Dæmones, si hoc volunt, velle, non quatenus naturæ sunt, sed quatenus ipsis malæ, & infestæ sunt; ac proinde non odisse eas secundum illud, in quo cōueniunt, & sunt vnum cum illis; sed in quo differunt.

Dico tertio: Angelum naturaliter diligere Deum plusquam seipsum. Prob. hæc assertio à S. Thoma loco citato art. 5. ex eo, quod omne illud, quod secundum id, quod est, est alterius, naturaliter magis inclinatur in id, cuius est, quam in seipsum; sed Angelus secundum id, quod est, Dei est; Ergo naturaliter diligit Deū plusquam seipsum. Maior probatur exemplo inclinationis aliarum rerū, quæ naturaliter se exponunt damno, ad tuēdum id, cuius sunt aliquid ab eo dependens, vt manus pro conseruatione capitis vulneri se naturaliter, & sine præuia deliberatione exponit. Sic etiam inanimata ad impediendum vacuum contra propriā inclinationem, per quam conseruantur, ascendunt, aut descendunt. Prętereà si Angelus naturaliter inclinaretur ad amandum magis seipsum, quam Deum, talis inclinatio naturaliter esset peruersa; peruerteret enim ordinem, qui debet esse in rerum naturis, qui exigit, vt naturaliter magis diligatur id, quod exigit magis diligi, sed nihil est in rerum serie naturaliter peruersum: Ergo necessariò dicendum Angelum naturali amore inclinare in hoc principium, cuius est totum id, quod habet, & à quo in omnibus bonis essentialiter dependet. De hoc etiam amore dicendum est, esse necessarium quoad specificationem, quatenus scilicet Angeli, cōsiderando Deum esse ens summè bonum, infinitè perfectum, & per se amabile, non possunt in illum ferri actu odij, non esse tamen necessariū quoad exercitium patet, quia, sicut Angelus naturaliter non necessitatur ad actualem cognitionem, ita nec etiam ad actualem dilectionem, ac proinde naturaliter loquendo ab actuali amore illius vacare potest; & hoc non solum est verum de amore amicitiæ, sed etiam de amore concupiscentiæ. Dixi naturaliter loquendo; nam de amore Beatifico, qui est supernaturalis, certum est Angelos Beatos ab eius actuali exercitio non posse cessare.

Dices: damnati dicuntur Deum odisse, & quantum est ex se vellent ipsum non esse; ergo falsum est, quod Angeli naturaliter diligant Deum quoad specificationem. Respondet S. Thomas loco citato. Aliquos dici odisse Deum ratione effectuum, qui sunt contrarij ipsorum voluntati, vt ratione punitionis. At nihilominus diligere dilectione naturali, quatenus est vniuersale bonum; cum enim diligant suum esse, idest suam naturam, & essentiam, non

possunt sub hac ratione odisse eum, à quo essentialiter pendent in suo esse. Plura alia de his vide apud eumdem Angelicum Doctorem, loco citato.

CONTROVERSIA SEPTIMA

De Gratia, Meritis, & Gloria Angelorum.

AXOMA PRIMVM

Angeli fuerunt creati in Gratia.

Ex lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 9.

Hoc discutiendum est, si boni Angeli ipsi in se fecerunt voluntatem bonam; vtrum aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt. Si nulla; vtique nec fecerunt; si aliqua, vtrum mala an bona. Si mala quomodo esse potuit mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bona, iam ergo habebant; Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate idest cum amore casto, quo illi adhærent creauit, simul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam?

DVBIVM

Vtrum Angeli sint creati in gratia sanctificante.

OMmitto Disputationem prolixam de loco, & tempore, in quibus Angeli creati fuerunt; tum quia breuitati incumbens, ea solum quæ magis controuersa sunt in doctrina S. P. Augustini, pertractare in ten-

tendó: tùm etiam quia de his solum ex coniecturis, & diuersis PP. vel Doctorum Scholasticorum dictis aliquid valdè dubium inferre possumus. Propterea obiter solum S.P. mentem, & sententiam aperio, &

Dico: Hoc semper fuisse certum in S. Ecclesia Catholica:non solum corpora: sed nec etiam Spirituales creaturas fuisse ab æterno: Id enim contra Aristotelem habetur ex cap. 8. Libri Prou. illis v. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret.* loquitur hic Spiritus S. de Sapientia increata,quã docet fuisse in Deo ante omnia sua opera ad extra: quod non esset verum,si aliqua creatura Spiritualis,vel corporea Deo coeterna fuisset. Fuit etiam definita hæc veritas in Concilio Lateranensi sub Innocẽtio Tertio, & refertur in cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Vtrum verò aliquo tempore antè omnem creaturam corpoream, vel simul cum ipsa fuerint producti, fuit etiam inter PP. controuersum: nam pro parte quæ affirmat ante omnem creaturam corporalem fuisse Angelos conditos: ex Græcis stant Origenes. Hom. 4. in Esaiam: (licet in proemio Periarchon sit de hoc dubius:) S. Basilius hom. 1. in Genesim antè medium, & hom. 2. ad illa verba *Terra erat inanis* S. Greg. Nazianz. oratione 38. quæ est de natali Domini ante medium §. *sic nimirum,* & in sequenti Oratione. Vbi sequitur eum etiam Nicetas: in illa verba *At vero nobis.* Et S. Io. Damascenus lib. 3. de Fide cap. 3. Ex Latinis vero S. Hilarius lib. 12. de Trinitate post medium S. Ambrosius in Præf Ps. 1. & lib. 1. Hexam. cap. 5. S. Hieronymus in Epistolã ad Titum in magnis Comment. quę habetur Tomo Sexto. cap. 1. ad illa verba *quam promisit non mendax Deus* Cassianus Collatione 8. cap. 7. quibus etiam adhærere videntur S. Greg. lib. 28. moralium cap. 7. S. Isidorus lib. primo de summo Bono cap. 12. Sententia 4. & Venerabilis Beda in Tomo 8. Libro QQ. quæst. 9.

De mente S. P. fuit aliqua difficultas. Aliqui enim existimarunt eum cũ prædictis PP. sentire: quod & probabant ex libro de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 10. qui circumfertur inter opera S. P. & ex expositione Psalm. 89. ad illa verba *Priusquam montes fierent aut formaretur terra.* Sed falluntur primò, quia liber ille de Eccl. Dogm. non est S.P. vt euid. ostendunt Bellarminus in lib. de Ecclesiasticis Scriptoribus, & DD. Louanienses in Censura dicti libri; vbi ostendunt esse opus Gennadij Præsbyteri Massiliensis, & propterea illum reiecerunt ad appẽdicem Tomi Tertij. Præterea si attentè perpendantur verba prædicti capitis hoc non continent; nec etiã

in

in secũdo loco hoc docet S. P. quod ante me aduertit etiam P. Gabriel Vasquez Tomo secundo in Primam Partem disp. 224. cap. primo numero marginali tertio. Veritas est, quod S. P. N. opinatur quidem; Angelos fuisse creatos simul cũ creaturis corporeis; sed fatetur esse rem incertam, nam in libro imperfecto super Genesim cap. 3. dicit esse rem coniecturis impenetrabilem: & lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 32. vbi ex professo agit de hoc puncto, concludit. *Proinde vt volet, vnusquisque accipiat; quod ita profundum est, vt ad exercitationem legentium à Fidei regula non aberrantes plures possit generare Sententias: dum tamen Angelos Sanctos in sublimibus cæli sedibus, non quidem Deo coeternos, sed tamen de sua sempiterna, & vera felicitate securos, & certos esse nemo ambigat*. Liberum est igitur in Doctrina S. P. sequi quam malueris sententiam. Hanc enim facultatem ille concedit hic. Propterea sententiam negatiuam ego amplector; hæc enim probabilior mihi videtur, Angelos scilicet simul duratione cum creaturis, corporalibus fuisse creatos. Hanc docet ex professo S. P. N. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 6, vbi cum posuisset differentiã inter æternitatem, & tempus, descendit ad explicandum creaturarum initium, & absolute docet, & dicit. *Si litteræ Sacræ maximèque veraces ita dicunt in principio fecisse Deum cælũ, & terram, vt nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cætera cuncta quæ fecit: procul dubio nõ est mundus factus in tempore, sed cum tempore*. & cap. 9. eiusdem libri vbi ex professo agit de creatione Angelorum, & docet quid secundum Diuina testimonia de hoc sentiendum sit: ex Cantico trium puerorum Danielis cap. 3. & ex Psal. 148. & ex Iob. cap. 38. infert; eos inter opera Dei esse conumerandos, quæ in spatio illorum sex dierum dicũtur creata, & concludit ex illis. *Sic nimirum; ergo si ad istorum dierum opera dici pertinent: Angeli ipsi sunt lux illa, quæ diei nomen accepit, cuius vnitas vt commẽdaretur non est dictum dies primus, vel dies vnus*. Aduerte tamen, quod non absolutè, aut sinè aliqua formidine docet; quod lucis nomine significãtur; nam in principio huius capitis præmittit. *Vbi de mundi constitutione Sacræ Litteræ loquuntur, nõ euidenter dicitur vtrum, vel quo ordine creati sint Angeli: sed si prætermissi non sunt vel cæli nomine &c. vel potius lucis huius, de qua loquor, significati sunt*. Idem docet etiam libro vigesimo secundo contra Faustum Manichæum capite decimo; non verò primo, & secundo, vt perperam aliqui citant, ibi enim ait. *Cum essent tenebræ super abyssum, ille qui erat lux, dixit Fiat lux. Quæ lux lucem fecerit manifestum est. Manifestè*

enim

enim positum est, dixit Deus: *Quam tamen lucem fecerit, non ita manifestum est. Vtrum enim illam quæ in mentibus Angelorum est, idest ipsos tunc spiritus rationales Deus fecerit, an corporalem quamdam lucem, remotum etiam ab aspectibus nostris in sublimibus huius mundi locis inter studiosos Diuinarum Scripturarum concorditer disputatur.* Hic etiam, vt vides, dubitat; an nomine lucis veniãt: licet potius in partem affirmatiuam, quam in negatiuam ex alibi ab eo di ctis illum inclinare nõ dubitem. Hoc mihi sufficit in præsenti: quod huiusmodi Spiritus cum creaturis corporalibus, & non antea creatos esse sentiat, vt in præcitatis locis ex Ciuitate Dei constat. Videndus est etiam in Libro 2. de Gen: ad litteram cap. 7. & 8. vbi de hoc differens explicat, quomodo nomine lucis primo die factæ veniant Angeli, & Lib. de Genesi imperfecto cap. 3. vbi etiam inquirendo plura docet de creatione Angelorum in principio mundi ante, vel simul cum mundo corporeo, inclinãs tamẽ semper in sententiam docentem cum mundo corporeo creatos fuisse. A quibusdam adducitur etiam Auctoritas ex lib. de Incarnatione, qui circumfertur inter opera S. P. cap. 6. Sed opus istud non est S. P. vt obseruarunt DD. Louanienses. in Censura ad ipsum; & propterea eum reiecerunt ad appen dicem Tomi Quarti; & idem censuit Em. Cardinalis Bellarminus in Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis; in Obseruationibus ad prædictũ Tomum: & Preterea operis istius Auctor non asserit, sed dicit incertum esse, quando sint creati Angeli. &c. quod etiã S. P. indicauit in prædicto lib. de Genesi imperfecto cap. 3. cum dixit *res secretissima est in humanis coniecturis impenetrabilis:* quod tamen dictum est circa Quæstionem de tempore, & principio temporis præcipuè: nam de principio durationis Angelorum, immediate post subiungit. *Illud certe accipiendum est in fide, etiam si modum nostræ cogitationis excedit, omnem creaturam habere initium, tempusque ipsum esse creaturam, ac per hoc ipsum habere initium, nec coeternum esse Creatori. Potest enim cælum, & terra pro vniuersa creatura positum videri, vt & hoc visibile Aethereum firmamentum cælum appellatum sit, & illa creatura inuisibilis supereminentium potestatum, &c.* manet ergò semper S. P. fixus in hoc; quod in principio mundi corporei fuerint creatæ etiam substantiæ Angelicæ; licet sit dubius an veniant nomine cæli, aut lucis. Hanc camdem sententiam creationis Angelorum simul cum mundo corporeo docuerunt etiam Venerabilis Beda Tomo quarto in lib. Hexamerõ paulo post principium. Hugo de S. Victore lib. primo de Sacram: parte 5. cap. 3. & 4. Rupertus lib. primo in Gen. cap. 10. & 11.

& 11. S. Gregorius Magnus lib. 32 Moralium cap. 9. & in aliquibus impressionibus 10. vbi ait, *Simul vt cælum, & terra dicuntur facta, intellige corporea, & spiritualia*. Ex Grecis PP. ei adhæserunt S. Epiphanius heresi 65. ante medium, & Theodoretus Quæstione 3. in Genesim. Ex Scholasticis Magister in secūdo dist. 2. S. Thom. Q. 61. in Primam Partem Artic. 3. & cum eo Caietanus ibi, & ferè omnes alij Theologi tam veteres, quam recentiores; & ita est habita communior, & vera; vt noster Ferrariensis lib. 2. contra Gentes. cap. 83. §. *Sed circa hoc quod vltimo*, arbitratus fuerit, oppositam sententiam damnatam, & hanc nostram definitam sub Innocentio Tertio in Cōcilio Lateranensi illis verbis, quæ referuntur etiam in cap. *Firmiter* de Summa Trinitate *Creator omnium visibilium, & inuisibiliū &c. simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam Spiritualem, & corpoream Angelicam videlicet, & mundanam*. Sed fallitur noster Compatriota; vt latè probat, & demonstrat Vasquez tomo secundo in Primam partē. Disp. 224. cap. 3. & 4. quod etiam ante ipsum docuerat S. Thomas loco citato in corpore articuli, vbi de opposita sententia ait. *Quamuis contrarium non sit reputandum erroneum, precipuè propter sententiam Gregorij Nanzianzeni, cuius tanta est in Doctrina Christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis, vt Hieronymus dicit*, quod miror meum Ferrariensem non aduertisse. De Loco etiam, in quo creati fuerunt Angeli, est nō parua Quęstio inter Theologos Scholasticos; nam Magister in secundo dist. 2. docet fuisse in Cælo empyreo productos, & hanc sententiam accepit ex Venerabili Beda loco supra citato: etiam Hugo de S. Victore in summa Sententiarum Tract. 2. cap. primo, & eam tradit Glossa ordinaria in primi paragraphi libri Genesis expositione: quæ opinio solet probari auctoritate verborum Christi Domini, quæ habentur Lucæ cap. 10. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem*, & ex Apocalypsi cap. 12. vbi dicitur factum esse prę-lium magnum in cælo à Michaele Arcangelo cum Dracone; & pro ea sententia adduci solent aliqui PP. qui tamen expresè non loquuntur de Cælo Empyreo.

Quod spectat ad S. Patrē de hoc puncto, inuenio eum solum in libro vndecimo de Genesi ad litteram egisse, vbi cap. 19. refert quosdam docuisse; Dæmones ex alio genere Angelorum, quam Beatorum Spirituum fuisse, eosque in hoc mundo inferiori fuisse creatos; At ipse postea cap. 19. concludit; *Sed asserant hæc duo genera bonorum Angelorum, qui potuerint, vnum super cælestium in qui*

bus

bus numquam fuit, qui cadendo Diabolus factus est: alterum autem Mundanorum, in quibus fuit: Mihi autem fateor undè hoc secundum Scripturas asseram, non interim occurrit. Propterea do quidem esse probabile, quod Angeli fuerint creati in Cælo; sed an in Empireo, vel in alio mihi incertũ est; Opponit sibi Angelicus Doctor in Prima Parte qu. 61. artic. 4. in secundo Argumento. Quod S. P. lib. 3. super Genesim ad litteram cap. 10 dixerit; quod Angeli fuerunt creati in superiori parte aeris: & consequẽter ex sententia ipsius nõ fuisse creatos in cælo. Respondet ibi Ang. D. S. P. Augustinum fortè per supremã partem aeris intellexisse supremam partem cæli, cum quo aer quamdam conuenientiam habet propter suam subtilitatem, & diaphaneitatem. Vel loqui non de omnibus Angelis; sed de illis, qui peccauerunt, qui secundum quosdam fuerunt de inferioribus ordinibus: quibus explicationibus positis dicit, quod nihil prohibet dicere, superiores Angelos habentes virtutem eleuatam, & vniuersalem supra omnia corpora esse in supremo creaturæ corporeę creatos: alios verò habentes virtutes magis particulares esse creatos in inferioribus corporibus: hæc docet ibi Angelicus Doctor. Attentè legi prędictum caput, & librum; & vidi, eum non loqui ibi ex propria sententia: nam & interponit in discursu: *Si ergo hæc ita sunt, non impedit ista distinctio nostram Scripturam.* (& infra) *Si quid de his transgressoribus Angelis diligentius inquirendum est, alias erit accommodatior Scripturæ locus.* Quapropter ex hoc loco non rectè infertur: quod ipse sentiat, dari aliquos Angelos, qui fuerint creati in superiori parte elementi aeris; cum solum loquatur ex sententia Platonicorum, & aliorum qui illud tenuerunt: immo dictam sententiam referens omnino dubitatiuè loquitur dicens. *Superior verò pars aeris propter puram tranquillitatem, cælo cui collimitatur, communi pace coniungitur, & eius vocabulo nuncupatur. In qua fortassis parte si fuerunt ante transgressionem suam transgressores Angeli cum Principe suo nunc Diabolo, tunc Arcangelo; nam non nulli nostri, non eos putant cælestes, vel super cælestes Angelos fuisse: non mirum si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem, vbi tamen, & aer sit, &c.* Sẽtentiam igitur hanc omninò sub dubio relinquit, vt patet ex dictis; neque enim ibi, aut alibi habetur locus, in quo assertiuè, & sinè dubitatione loquatur de hoc puncto; immò in libro primo Retractationum expendens cap. 26. ea, quæ dixerat in libro de diuersis quæstionibus in quæstione 67. aduertit, illud, quod à se dictum ibi fuerat de Angelis inferioribus, idest eos animaliter viuere: tamquam audacius dictum, & quod

non possit probari, retractat his verbis. *Quod dixi spiritaliter summos Angelos viuere, infimos verò animaliter, audacius dictum est de infimis; quam vt possit, vel Scripturis Sanctis, vel Ipsis rebus ostendi. Quia & si forsitan potest, difficillimè potest.* Inclinauit ergo S. P. potius in sententiā, quod omnes Angeli fuerint in cælo creati, quam in oppositam, & hæc de hoc puncto obiter notasse sufficiat.

Venio nunc ad Quæstionem propositam; in qua duæ sunt extremè oppositæ DD. Sententiæ.

Prima est nostri B. Egidij Romani in secundo Sententiarum Dist. 4. Quæst. prima artic. 4. vbi ex professo docet; Angelos in gratia non fuisse creatos: sed solum stantibus concessam fuisse; cadentibus verò inflictam pænam: est etiam Hugonis de S. Victore lib. de Sacram. cap. 19. & 22. Ruperti Abb. lib. primo de Operibus Trinitatis cap. 16. Magistri Sēt. in secundo Dist. 5. Alensis in summa parte 2. qu. 19. memb. 2. S. Bonau. in 2. Dist. 4. artic. primo qu. 2. Marsilij, ac etiam nostri Thomæ de Argentina ibidem quæst. prima art. 2. qui licet concedat fuisse creatos in gratia gratis data; negat tamen eos fuisse creatos in gratia gratum faciente.

Secunda sententia est S. Thomæ in Prima parte quæst. 62. artic. 3. & cum eo sentiunt omnes Thomistæ tam antiqui, quam recentiores; ac etiam plures alij extra illius Scholā, qui omnes docent; Angelos fuisse creatos in gratia gratum faciente, & de hac sententia ait ibi Angelicus Doctor; quod est probabilior, & magis consona dictis Sanctorum: propterea.

Dico: omnes Angelos fuisse creatos in gratia gratum faciente; vt ait ibi S. Thom, idest omnes illam habuisse in primo instanti suæ creationis. Prob. primo ex Isaia cap. 64. vbi exprobatur Diabolo in persona Regis Babylonis, vt ait S. Hieronymus ibi, ipsius casus his verbis. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer qui mane oriebaris.* ex quibus verbis per ly *mane oriebaris* communiter intelligitur ortus eius in gratia, à qua cecidit non enim cecidit à natura. Similiter in Ezech. cap. 28. habetur de eo. *Perfectus in vijs tuis fuisti à die conditionis tuæ, donec inuenta est in te iniquitas.* Quem locum etiam communiter exponunt de perfectione in gratia sanctificante, quam habuerunt Angeli *in die conditionis* idest in primo instanti suæ creationis. Prob. 2. Auct. S. Patris qui, & in Axiomate expresse docet, quod *erat Deus simul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam,* & pariter in dicto libro de Ciuitate Dei cap. 11. ait. *Nullo quidem modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ quos Angelos dicimus: Sed simul vt facti sunt, lux facti sunt: non ta-*

tamen ita tantum creati, vt quoquo modo eßent, & quoquo modo viuerent, sed etiam illuminati, vt sapienter beatèque viuerent. Ab hac illuminatione auersi quidam Angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientis beatæque vitæ, quæ procul dubio non nisi æterna, æternitatisque suæ est certa atque secura. noster Leonardus Coquęus hoc caput exponens ait. *Videtur itaque hic apertè docere Angelos ab initio fuisse in gratia creatos*, vbi ex professo probat esse de mente S. P. Substantiam Angelorum natura non tẽpore præcessisse informationem per gratiam. Sic etiam in libro duodecimo cap. 9. ad illa verba S. P. *Vt facti sunt ei à quo facti sunt amore cum quo facti sunt adhæserunt.* subiungit *Non de amore naturali, quo feruntur in Deum tamquam in Authorem naturæ, & finem naturalem intelligit, sed de amore supernaturali, quo Deũ amabant tamquam bonum supernaturale, & obiectum Beatitudinis supernaturalis, quem nouerant ab initio, vndè apertissimè vult: Angelos ab initio fuisse creatos in gratia, quod dilucidè testatur in hoc eodem capite cum dicit simul in eis Deum condidisse naturam, & largitum esse gratiam, & non tantum ad homines pertinere, verum etiã de Angelis dici posse, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sãctum, qui datus est eis. Amor enim ille quo ab initio Deo adhæserunt, nõ alius erat à Charitate diffusa in eis per Spiritum Sanctum qui datus est eis.* hæc ibi Coquęus, & verissimè, & doctissimè obseruauit. Idem docuerunt etiam S. Hieronymus in Commentarijs Oseę ad cap. 3. ad illa verba *Dilexerunt Vinacia vuarum*, S. Greg. magnus lib. 5. Moralium cap. 27 & lib. 32. cap. 24 & 25. Theodoretus lib. de Decretis Diuinis cap. de Diabolis, & Dæmonibus, & S. Ioannes Damascenus lib. 2. de Fide Orth. cap. 3. & 4. Probatur 3. ratione; nã Primus homo fuit creatus in gratia, vt colligitur ex Sacra Scriptura, & habetur in Cõcilio Tridentino. Sess. Quinta in Decreto de peccato Originali, vbi dicitur, *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset trãsgressus, statim Sanctitatem, & Iustitiam in qua constitutus fuerat amisisse. &c.* Ergò etiam Angelus qui est perfectior creatura. Hanc rationem attulit etiam Durandus; quam confirmat sic, homo fuit creatus in Iustitia Originali, quæ consistebat in perfecta obedientia corporis ad animam, & virium inferiorum ad superiores; ac etiam in rectitudine volũtatis ad Deum; sed hæc non poterant consistere sinè gratia gratum faciente: Ergò cum huiusmodi gratia creatus fuit: Ergò etiam Angelus. Probatur 4. ratione D. Thomę; qui sic arguit. In primo principio creationis omnia fuerunt simul creata, vel in se, vel in suis rationibus semi-

nal.bus;ſed in illo primo inſtanti gloria Angelorum non fuit creata in ſe, quia tunc Angeli fuiſſēt Beati in ipſa ſua creatione, & nullus poſtea cadere potuiſſet. Ergò talis gloria fuit creata in ſuo ſeminario, quod eſt ipſa gratia gratum faciens: ergo huiuſmodi gratia fuit in Angelis in principio creationis ipſorum. Noſter Argentina expendens hanc rationē loco citato dicit; dato quod illa maior ſit vera quantum ad naturalia, tamen non eſt vera quantum ad gratuita: eo quod iuxta principium vulgatum S. P. N. Qui creauit nos ſinè nobis, non iuſtificat nos ſinè nobis. Sed fallitur; nam S. P. N. in hoc Axiomate loquitur de homine adulto exiſtente in peccato, cuius actus conuerſionis in Deum requiritur, vt iuſtificetur, non verò in vniuerſum de quibuſcumque creaturis intellectualibus; alias nec etiam infantes qui baptizantur iuſtificarentur, cum non poſſint habere liberum actum conuerſionis in Deum, vel deteſtationis peccati. De mente S. P. iam ſupra euidenter demonſtrata eſt eius ſententia, quæ, & noſtra eſt. Prob. 4. ab aliquibus ex eo, quod nōn ſit dicendum, Deum magis retardaſſe ornatum creaturæ ſpiritualis, quam corporalis; ſed Deus à principio creationis immediatè ornauit corpora cæleſtia ſuis luminibus. Ergo, & creaturam ſpiritualem ſtatim ornauit gratia, & virtutibus. ℞. Argentina huic rationi: Ornatum naturæ corporalis eſſe eiuſdem ſtatus cum ſua natura; eoquod huiuſmodi ornatus, & ipſa natura quam ornat conſtituunt vnum ſtatum, id eſt ſtatum naturæ: At in ſpiritualibus res non ita ſe habet; nam ſtatus cuiuſcumque naturæ ſpiritualis eſt diuerſus à ſtatu gratiæ; & propterea debet natura ſpiritualis præcedere gratiam, ne gratia videatur natura. Æquè mihi difficilis videtur ratio, ac reſponſio. Nā in primo capite Geneſis habemus, cælum, & terram creata fuiſſe in principio; luminaria verò cæli fuiſſe producta die quarta; ac proindè non ſtatim à principio fuiſſe ornata luminaribus; ſed mediaſſe tres dies. Si dicas prima die fuiſſe productam lucē. ℞. nō tamen propterea haberi quod hæc fuerit producta ad ornatum corporum cæleſtium; ſed è cōtra potius ad ornatum terræ, & elementorum cum aſſignetur ibi veluti pro ratione; quod tenebræ erant ſuper faciē abyſſi. Nec ſatisfacit reſponſio; nam licet ſtatus gratiæ ſit diuerſus à ſtatu naturæ, nihil tamen obſtat, quo minus vterque ſtatus ſit ſimul; dummodo intelligatur præcedere naturam in priori naturæ, vt ſubiectum, & ſubſequi gratiam vt formam ſupernaturalem: ita tamen vt duratione ſint ſimul; nec propterea videretur, Gratiā eſſe naturam; nam cum ſimul infundantur Fides, Spes, & Charitas, optimè cognouiſſent Angeli, & per

Fidem, & per Species inditas statum gratię esse supernaturalem, & statum naturæ esse ordinis naturalis. Itaque ad summum haberet locum illa ratio in sen tententia, quæ tenet omnia omninò crèata fuisse simul in eodem instanti simultate coexistentiæ; quam aliqui tribuunt S. P. quod quam falso tribuatur, Deo dante ostendam. Non enim simultatem coexistentiæ; sed simultatem immediationis admisit S. P. vt suo loco dicam. Prob. 5. ab alijs; quia Liberalitas Diuina semper est parata dare gratiam, vbi non inuenit obicem ex parte suscipientis; sed Angeli in primo instanti suæ creationis nullum habuerunt in se impedimentum ad suscipiendam gratiam: Ergò, &c. Confirmatur; quia Deus magis pronus est ad miserendum, quam ad condemnandũ. Ergò non minus est pronus ad conferendum principium merẽdi, quam principium demerendi; sed in ipsa creatione contulit principium demerendi, quod est liberum arbitrium. Ergò etiam principiũ merendi, quod est gratia. Antecedens est certum ex Scripturis, & in confesso apud omnes; consequentia probatur; quia alias Misericordia eius non esset super omnia opera eius, nec super exaltaret Iudicium, & Iustitiam vt prędicat Scriptura. Respondent prædicti nostri A A. ad hoc argumentum, quod licet Angeli in primo instanti suæ creationis non habuerint impedimentum contrariè, seu priuatiuè ad recipiendam gratiam; quod stat in auersione seu refutatione gratiæ: habuerunt tamen impedimentum negatiuè; quod dicit non fuisse in illis ante illud instans vsum liberi arbitrij; quo se ad gratiam recipiendã disponerent, & conuerterent. Ad Confirmationem respondent; Magnam Dei bonitatem, & Misericordiam apparuisse in eo, quod dedit eis naturam inclinatam ad virtutem sinè omni incitamento intrinseco, vel extrinseco ad vitium, siuè ad peccatum; & prætereà in eo quod contulerit eis principium, quo saltem de congruo mereri possent, & virtuosè persistere, donec Deus gratiam sanctificantem infundisset, qua mediante etiam suam beatitudinem de condigno meruissent. Verum Responsio ista non eneruat vim argumẽti, quod licet non habeat vim demonstratiuam, magnam tamen probabilitatẽ affert huic sententiæ: Illud enim impedimentum negatiuum est gratis excogitatum ad eludendum argumentum; est enim idem ac non habere impedimentum: illa enim conuersio non requiritur ex natura rei in ijs, qui non habent obicem contrarium, seu priuatiuum, quod est peccatum; immò neque in istis Deus semper requirit hanc dispositionem, seu conuersionem per actum liberi arbitrij, vt patet in infantibus, qui baptizantur: Vndè cum dependeat ex beneplaci-

placito Diuino, habemus nos maius fundamentum ad asserendam prędictam iufusionem gratiæ ratione Diuinæ Liberalitatis: quam Aduersarij ad eam negandam. Adde quod esto requireretur ille actus conuersionis in Deum in illo primo instanti pro debita præparatione; nihil obstat quo minus in illis fuerit talis actus in eo ipso primo instanti simul cum infusione gratiæ sicut de peccatore eliciente actum Contritionis communiter docetur, in eodem instanti infundi illi gratiam; ita vt in priori naturæ intelligatur præcedere talis actus, & in posteriori infundi gratiã: cum tamen duratione sint simul; & solum in diuerso genere causalitatis habeãt præcedere, vel subsequi. Nec etiam satisfacit responsio ad Confirmationem, tum propter prædicta; tum etiam quia non videtur conueniens Diuinæ Misericordiæ, quod pro aliquo instanti voluerit habere creaturam Intellectualem innocentẽ ordinatam ad finẽ supernaturalem; nec amicam; nec inimicam; quod licet potuerit, non est tamen dicendum, quod fuerit, nisi habeamus sufficiens fundamentum, quale in præsenti non extat.

Dices primo: cum prædictis. S. P. N. docuisse lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 12. hominem non fuisse creatũ cum gratia gratum faciente; Ergò nec etiam est de mente ipsius; quod Angeli fuerint creati in gratia; Confirmatur ex libro de Corrept. & Gratia cap. 10. 11. & 12. vbi contendit, eadem dona à principio maximè supernaturalia fuisse collata, & Angelis, & Primo Parenti. Probat antecedens Argentina; quia ibi S.P. docet, quod quantum ad spem futuri boni beatior est quilibet iustus in hac vita, quam primi parentes. Huius doctrinæ rationem reddit Magister Sententiarum. Quia iustus in hac vita habet, quo possit proficere. Primus autem homo quamuis haberet quo posset stare, idest originalem Iustitiam, non tamen habuit, quo posset proficere, idest Dei gratiam. Cõsequentiam probat idem A. hac ratione: Conditor ordinatus non minus nititur substentare partem debiliorem, & de facili ruinosam, quam partem fortiorem, & naturaliter minus ruinosam: sed homo fuit infirmior Angelo, & plures causas habuit ruinæ, quam Angelus; nam habuit causam intrinsecam, idest appetitum sensitiuum, & causam extrinsecam idest Diabolum temptatorem; & tamen homini non fuit concreatum gratiæ fulcimentum. Ergò nec Angelo, qui caruit prædictis incitamentis ad ruinam. Ad hoc argumẽtum Respondeo cũ nostro Coquęo, in Comment. ad prædictum caput. eo loco S. P. non loqui de quibuslibet iustis, ex quibus certum est nonnullos in dies excidere à gratia, sed de his quibus tantas vires gratię De

us

us confert, vt ab ea nec excidant vi quorumcumque tormentorum, vt certa veritate iam intelligant sibi cō ferendam vitam æternam in consortio Beatorum. Quæ expositio est adeo certa, & vera, vt sit tantummodo explicatio ipsorum verborum Textus. Nam S. P. ibi sic loquitur. *Quantum pertinet ad delectationem præsentis boni, beatior erat Primus homo in Paradiso, quam quilibet Iustus in hac infirmitate mortali: quantum autem ad spem futuri boni, beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis cui non opinione, sed certa veritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatē Angelorum in participatione Summi Dei, quam erat ille homo sui casus incertus in magna illa felicitate Paradisi,* Comparatio igitur inter primum hominem, & talem iustum in natura lapsa non fit à S. P. in eo; quod ille non haberet gratiam sanctificantē, iste haberet; sed in eo quod ille non habebat certitudinem suæ perseuerantiæ, & erat incertus sui casus: iste vero iustus cum non sit quilibet iustus; sed talis qui habuerit reuelationem à Deo de sua finali perseuerantia; (non enim aliter in hac vita certa veritate manifestum est alicui, se sine fine habiturum omni molestia carentem societatem Angelorum in participatione Summi Dei, vt loquitur S. P. ibi) quis dubitet in hac parte feliciorem esse talem iustum, quam fuerit Primus homo. Non ergo recte intulerunt prædicti nostri AA. ex dicto loco S. P. Primum parentem non habuisse gratiam sanctificantem in primo instanti suæ creationis; nam ibi de hoc puncto non loquitur nec explicitè, nec implicitè. Sensus igitur istius loci; & illius qui citatur in argumento ex lib. de Corrept. & Gratia est; multo maiorem gratiam conferri iustis modo per Christum in lege Euangelica, quam Adamo in statu innocentiæ, quia Adamo tunc fuit collata gratia, qua perseuerare posset, si vellet, Verum iustis illis, de quibus hic loquitur S. P. confertur etiam gratia qua non solum possint perseuerare; sed etiam actu perseuerent; & præterea vt certo sciant, se ad Angelorū societatem peruenturos; quam certitudinem Adamus non habebat: Ex quo etiam patet expositionem Magistri sententiarum non esse ad mentem S. P. sed potius contrariam; nam vt benè notat Coquæus loco citato: ex alijs locis S. P. constat; Primum hominē fuisse creatum in gratia, & consequenter habuisse, quo posset proficere, de quo alibi erit sermo. Ad probationem Argentinæ patet responsio ex dictis: nam iuxta principia S. P. est par ratio de Angelis, ac de primo homine; vt habes in cit. lib. de Corrept. & Gratia cap. 10.

Dices secundo: Creatura videns se esse in gratia numquam à gratia po-

potest resilire; maximè si illa notitia perfecta fuerit, vt est intuitiua: sed Angelus à principio vidit, & se ipsum, & omnia; quæ fuerunt in ipso. Ergo si fuisset in gratia, numquam à gratia vllus excidisset; quod tamen ex Scripturis Sacris cõstat aliter euenisse. Maior probatur: quia Gratia Sanctificans est pulcherrimus naturę decor, & quicumque huiusmodi decorem in se videret non posset ipsum non appetere; immò minus posset ipsum non appetere,quam aliam quamcumque naturalem suam perfectionem; cum sit pulchrior quacumque tali perfectione naturæ. Ergò cum sit de fide Angelos peccasse,sequitur eos gratiam sanctificãtem non habuisse. ℟. negãdo maiorem. Ad probationem Respondeo: quod nullum bonum creatum necessitat liberum arbitrium ad sui amorem, saltẽ quoad exercitium, quantumuis perfectè cognoscatur,& videatur ratione suę limitationis; ac proindè Angelum potuisse actu non appetere conseruationem illius doni, & habere actum appetitus destructiuum talis doni; & consequenter ex hoc capite non rectè inferri;quod Angeli non habuerint huiusmodi gratiam in sua creatione.

Dices tertiò: Ioannes Summus Pontifex relatus in secunda parte Decreti: Causa sextadecima quæst. 2. cap. primo incipiit. *Visis litteris.* docet, Diabolum dolere, & erubescere, quod ipse in cælo non habuerit charitatem, quam homines habent in terra: Ergò non omnes omninò Angeli habuerunt gratiam sanctificantem; Diabolus enim, vt ait iste Pontifex, eam non habuit; siuè dicas gratiam esse idem realiter, ac est charitas; siuè ponas eam esse realiter diuersam; nam etiam posita reali distinctione Gratiæ à charitate adhuc semper saltem de lege ordinaria sunt coniunctæ. ℟. textum hunc nõ citari fideliter ab illis, qui eo vtuntur pro hoc intento: nam verba Pontificis loco citato sunt ista. *Dolet enim satis, & erubescit Charitatem [quam in cælo nequit habere] homines constantes ex lutea materia tenere in terra.* loquitur igitur de præsenti ibi Pontifex dum ait. *Nequit habere.* nihil statuens, aut memorans de principio durationis eius; Vel si magis placet dic cum Glossa in dictum caput ad illud verbũ *Cõstantes* dolet quod *non potuit habere Charitatem perseuerantem.* Puto tamen quod melius diceretur. *non habuit.* nam S. P. in loco præcitato de Correptione, & Gratia cap. 10. 11. & 12. docet,& Angelos, & Primum hominem à principio potuisse perseuerare si voluissent. Alij dicunt dolere Diabolum, quod homo charitatem semel ammissam potest recuperare, quam ipse non potest, quam responsionem refert Becanus Tractu de Angelis cap. 2. quæst. p. de Gratia Angelorum.

rum, num. 5. Verum duæ priores responsiones magis correspondent Textui.

Dices quarto: Si Angelus fuisset creatus in gratia, hæc esset illi connaturalis; Sed hoc est impossibile: ergò nullo modo concedendum est, fuisse creatum in gratia. Probatur maior; quia species intelligibiles, quas habent Angeli, ideo dicuntur illis connaturales, quia sunt creati cũ illis. Ergo similiter si essent creati cum gratia, hæc diceretur, & esset illis connaturalis. ℞. negando maiorem. Ad probationem. ℞. Species dici connaturales, quia sunt debitæ tali naturæ: cum enim naturaliter Angelus sit intellectualis, exigit naturaliter habere principia, quibus possit exercere actus suę naturę conuenientes, & consequenter sunt etiã datę illæ species in ordine ad finem naturalem; cum quo tamẽ stat, quod si quæ species fuissent datæ in ordine ad mysteria supernaturalia, dicerẽtur supernaturales: (sed quidquid sit de hoc) mihi sufficit, quod ex illo duplici capite illæ species dicantur naturales: quorum neutrum competit Gratię Gratum facienti, esto ponatur infusa in ipsa creatione; neque enim exigitur à natura; neque fuit data in ordine ad finem naturalem; sed in ordine ad Vitam æternã, quæ est finis supernaturalis.

Dices quinto; Si omnes Angeli à principio habuissent Gratiam, & charitatem: omnes immobiliter Deo adhæsissent. Sed hoc non est factum; nam multi corruerunt. Ergò non habuerunt huiusmodi dona. Probatur sequela maioris: Si enim habuissent huiusmodi habitus supernaturales in primo instanti, tunc fuissent conuersi ad Deum per actum charitatis, & cum eorum liberum arbitrium sit inflexibile, immobiliter ei adhæsissent: nec postea aliqui corruissent. ℞. in hoc argumento inuolui aliqua difficilia, quæ in sequentibus sunt fusius disputanda. Pro nũc dico primo ex principijs Doctrinæ S. P. N. non haberi, quòd Angeli sint ex sua natura inflexibiles; sed solum ratione termini, & status in quo sunt: consequenter ad ea [quæ habentur in Sacris litteris de Diabolo: quòd *in Veritate non stetit* quòd non esset verum, si eius arbitrium ex natura sua inflexibiliter, & immobiliter adhæreret obiecto. Præterea Respondeo non sequi necessariò; quòd si Angeli habuerunt Gratiam, & charitatem quòd in eodem instanti fuerint in Deum actualiter conuersi: nam licet ex Sacris Scripturis hoc inferamus; nihilominus non est necessaria consequentia ex eo quod habuerint Gratiã, & charitatem in primo instanti; quòd in eodem fuerint per proprios actus conuersi ad Deum. Potest enim creatura viatrix, & libera exercere, & non exercere actus suorum

habituum esto supernaturalium: sed de hoc fusius in sequenti Dubio: in quo huiusmodi difficultates examinantur.

AXIOMA SECVNDVM.

Angeli omnes in primo instanti suæ creationis amore casto Deo adhæserunt.

Ex lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 9.

SI dixerimus, nullam esse efficientem causam etiam bonæ Voluntatis, cauendum est, ne Voluntas bona bonorum Angelorum non facta, sed Deo coæterna esse credatur. Cum enim ipsi facti sint, quomodo illa non esse facta dicitur? Porrò quia facta est, vtrum cum ipsis facta est, an sinè illa fuerunt prius? Sed si cum ipsis, non dubium quod ab illo facta sit, à quo, & ipsi: simulque vt facti sunt, ei à quo facti sunt adhæserunt. Eoque sunt isti ab illorum [dæmonum] societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso quòd à bono defecerunt; à quo non defecissent, si vtique voluissent.

DVBIVM

Vtrum Angeli per proprium actum potuerint se præparare, & de facto se disposuerint in primo instanti ad gratiam habitualem recipiendam.

PONO Quæstionem hanc sub his terminis; eo quod sit specialis difficultas tam circa possibilitatem quam circa actum. Ratio dubitandi

di de potentia est, quia si Angeli potuissent se præparare ad gratiam per suos actus in primo instanti, vel fuisset per actus necessarios, vel per actus liberos: sed actus necessarij non sunt aptæ dispositiones ad gratiam sanctificantem de lege ordinaria saltem in Viatoribus, vt erant tunc Angeli, & actus liberi non videntur posse admitti in illis pro primo instanti. Ergo nullo modo potuerunt se præparare. Secunda pars minoris, in qua est difficultas. (Primam enim omnes, vltro cōcedunt;) probatur quia defuit sufficiens libertas ad habēdum talem actum in primo instanti; nam ad huiusmodi libertatem requiritur indifferentia voluntatis ad operandum, & non operandum, quam Angeli non potuerūt habere pro illo primo instanti; sed solum respectu temporis sequentis: Cum enim huiusmodi indifferentia debeat præcedere talem actum; alias enim non esset actus liber, nisi principium illum eliciens antequam se determinet ad illum, potens esset illum elicere, & non elicere; & non possit esse sub tali indifferentia in minori duratione quam per instans; consequens est, illos in primo instanti non potuisse habere actum liberū, quò se ad gratiam præpararent: his tamen non obstantibus.

Dico cum communi Theologorum sententia: Angelos omnes in primo instanti potuisse elicere proprium actum supernaturalem, & liberum dilectionis Dei, & de facto exercuisse; quod probatur; quia pro illo instanti habuerunt liberum arbitrium; & nulla est repugnantia, quin Deus posset illis conferre auxilia actualia tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis ad actus supernaturales fidei, spei, & charitatis. Ergo potuerunt illos actus liberos elicere: & idcircò si Deus disposuisset, vt illi actus non ab habitibus elicitiue prodirent, ita potuissent ordinari vt essent dispositiones ad illos; hanc sententiam esse de mente S. P. N. non dubito, cum enim doceat in Axiomatibus precedentibus; omnes Angelos, eo ipso vt facti fuere, adhæsisse Deo amore sancto, & casto; & Dæmones ideo malos effectos; *quia ab ea voluntate deficiendo mutati sunt mala voluntate*. Manet eos potuisse tales actus elicere. Ad rationem dubitandi respondent aliqui, ad libertatem non requiri, vt voluntas prius duratione reali sit indifferens ad operandum; sed sufficere, vt prius natura precedat; & hoc dicunt esse de mente S. Thomę qui prima parte qu. 63. art. 5. ad 3. docet Angelum in primo instanti posse mereri, & tamen ad meritum requiritur libertas. Licet enim alibi doceat in primo instanti non potuisse peccare; hoc tamen non infert ex defectu libertatis vllo modo; sed ex alio capite. Hoc tamen non obstā-

 te;

te; solutio prædicta censetur insufficiens à recentioribus,& maximè ab illis qui docent prædictam indifferentiam esse constitutiuum formale libertatis;eo quod nec etiam diuinitus fieri possit, vt duo contradictoria simul existant in eadem duratione reali, nec etiam pro vnico instanti; & consequenter nec etiam fieri poterit; vt in eodem instanti reali sit negatio formæ,& simul forma ipsa existat; & cum esse determinatum dicat negationem indifferentiæ,& indifferentia dicat negationem determinationis; nullo modo voluntas, pro eo tempore, vel instanti quo est determinata, poterit esse indifferens: propterea ad complementum prædictæ solutionis dicunt determinationem, & indifferentiam causæ dupliciter posse contingere. Primò vt sit ipsius causæ determinatio per se, & secundum illa, quę ipsius actionem prę cedunt, cui opponitur indifferentia ipsiusmet causæ per se. Altera vero est determinatio non ratione ipsius causę præcisè; sed ratione actus quo informatur, cui opponitur indifferẽtia respectu ipsius actus; quo posito dicunt ad rationem libertatis causæ pro eo instanti in quo agit non esse posteriorem indifferentiam, aliàs nulla causa libera quando actu exercet suos actus qui dicuntur liberi,esset verè libera. Esse tamen de ratione eius priorem indifferentiam, quæ solummodo per aliquid præcedens actum,quo ante eius exercitium ipsa causa sit determinata, tolli potest; quòd dicunt fieri quoties in intellectu est iudicium determinans voluntatem ad exercitium actus; cuius rei exemplum habemus in visione beatifica determinante voluntatem ad amorem Dei. Quapropter cum solum per illam priorem indifferentiã causa libera differat à necessaria; manet optimè posse cohęrere hęc duo, & quod voluntas in primo instanti, quo existit, sit libera, & liberè agat; & nihilominus in illo instanti sit determinatio posterior; dummodo nõ sit illa prior per quam solam tollitur libertas. Sic discurrit Caspensis Tract. de Angelis disp. sexta sect. 2. nu. 10. cum Monceo,& Meratio ab eo ibi relatis. Hæc responsio licet patiatur suas difficultates; videtur enim imperceptibile; quommodo causa sit libera, & indifferens illa prima indifferentia, & tamen hæc non præcesserit actum neque per instans, & quomodo stante illa indifferentia in causa in omnibus, & singulis indiuiduis quarumcumque specierum naturę Angelicæ fuerit iste actus in illo primo instanti elicitus; non enim aliundè colligimus determinationẽ in causis necessariis, nisi ex eo quod in omnibus,& singulis indiuiduis talium causarum existentibus talibus circumstantijs dentur tales actus. Nihilominus est melior quæ in prædicta sententia de constitutiuo libertatis

tis

tis dari possit. Quia verò nos cum S. P. lib. 3. de lib. arb. c. 3. & lib. de Natura, & Gratia cap. 45. & 47. & alibi, vt suo loco dicam ponimus cōstitutiuum libertatis in Amplitudine, & eminentia cum Dominio, & potestate in suos actus præscindendo ab illa indifferentia, & determinatione, cum quo sentiunt SS. DD. Anselmus, Bernardus, & Thomas, & cum his plurimi alij clarissimi, & toto orbe celeberrimi Auctores. Propterea respondemus Angelos omnes casto amore se in primo instanti ad Deum conuertisse, quia erant plenè domini talis actionis, de cuius dominij ratione non erat, vt præcederet per aliquod instans realem suum actum; sed solum quod ita poneret; vt quantum erat ex se, posset non ponere: Eiusque exercitium in omnibus, & singulis indiuiduis naturæ Angelicæ inferimus ex scripturis Sacris; & præcipuè ex Ezechiele cap. 28. vbi de Diabolo dicitur. *Perfectus in vijs suis à die conditionis tuæ: donec inuenta est iniquitas in te.* & ex SS. PP. & maximè ex S. P. N. vt habes in Axiomate.

Circa secundam difficultatem; an scilicet per talem actum Angeli se disposuerint ad gratiam iustificantē recipiendam; est duplex sententia. Prima est Caietani in Commētarijs 22. quæst. 24. artic. 3. ad 3. nostri Ferrariensis libro 3. contra Gentes cap. 100. Gregorij de Valentia Tomo primo disp. quarta qu. 13. puncto primo Assert. 3. & Ludouici Calpensis loco citato, & est affirmatiua. Secunda vero est negatiua quā docent Capreolus in secundo dist. 4. qu. 1. ad primum Molina qu. 72. ait 3. ad primum. Res hæc est incerta, & dubia, vt obseruant Beccanus Tract. de Angelis qu. 2. §. 5. *Secunda Conclusio*. & Arriaga. Tomo 2. disp. 20 de Angelis Sectione tertia. Nam certum est Deum potuisse vtroque modo disponere; At quid fuerit de facto; nec ex Sacris Scripturis, nec ex SS. PP. adducitur testimoniū conuincens pro alterutra parte contradictionis.

Dico tamen secundò: in re tam dubia mihi videri probabiliorem Sententiam Capreoli negantis talem actum fuisse dispositionem: moueor p. ex verbis S. P. quæ habentur in eodem capite; ex quo desumpsi Axioma; vbi dicit quod *Deus eos cum bona volūtate, idest cum amore casto, quo illi adhæserūt, creauit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Si simul condendo naturam largiebatur gratiam; profectò omninò liberaliter, & sinè vllo merito, vel ex condigno, vel ex congruo eam illis donabat, hoc enim sonat illud verbum *largiens.* largiri enim est idem, ac donare; non esset autem donata, si fuisset prærequisita dispositio, & actus meritorius saltem de congruo. Prob. 2. ex supra relata PP. & DD.

com-

communiori sententia, quod Angeli fuerint in gratia creati: Si enim ipsi ad eam se per proprium actum disposuissent, hoc non fuisset in gratia esse creatos; sed eam sibi met ipsis suis actibus comparare. Prob. 3. quia etiam per Aduersarios melius est operari in gratia, & per gratiam, quam sinè gratia; maioris enim valoris semper sunt opera illa, quæ procedunt à gratia, quam illa quæ eam antecedunt. Prob. 4. quia Christus Dominus non habuit gratiam habitualem in instanti suæ conceptionis ex meritis; Et tamen si honorificentius esset [vt volunt Aduersarij) eam habere ex meritis, seu dispositionibus præcedentibus, non apparet ratio; cur hæc honorificentia Christo Domino esset deneganda: Nec satisfacis, si dicas, eam fuisse debitam ratione vnionis hypostaticæ: ac proindè nullam debuisse præcedere actionem dispositiuam; nam etiam Gloria Sanctissimi Corporis ipsius erat ei debita propter prędictā vnionem; & tamen Deus eam illi dedit propter opera. Prob. 5. quia in hoc magis elucet Liberalitas Dei, & Artificis Potentia, si ipse per semetipsū ornet opus suum; quā si ipsum opus per semetipsum sibi suum ornatum comparet, & acquirat per sua opera.

Probant vltimò alij; quia si data fuisset huiusmodi gratia propter opera, licet solum de congruo meritoria eius; fuisset collata secundum intensionem actus; quemadmodum de homine peccatore se conuertente ad Deum, & præparante ad gratiam communiter docent Theologi. Sed hoc dato talis gratia fuisset nimis exigua: Et non posset verè dici, quod omnis lapis pretiosus fuisset indumētum eius. Ergo probabilius est, eam fuisse datam independenter à meritis. Sic discurri Arriaga loco citato.

Dices primo: gloriosius esse cuicumque creaturæ ratione vtenti habere gratiam propter merita, quam sinè illis. Ergò ne Angeli carerent hac gloria, dicendum erit hoc modo fuisse illis collatam. ℞. negando antecedens, nam tota gloria pensatur ex meritis factis per gratiam, & ex gratia: Immo gloriosiora sunt merita prouenientia à persona iam existente in gratia; quam illa quæ proueniunt ab eadem antecedenter ad gratiam; quo enim dignior est persona, eo gloriosior est operatio. Vbi aduerte, non propterea nos negare esse illis datam nouam gratiam in præmium operationis; sed solum cō tendimus, primam gratiam sanctificantem fuisse illis collatam antecedēter ad talem dispositionem actualem ipsorum.

Dices secundo: S. Thomas prima parte qu. 62. art. 6. docet, Angelos perfectiores accepisse maiorem gratiam; quia fortius, & efficacius se disposuerunt, & ad Deum conuerterunt: Et quæst. 63. art. 3. ad 4. dicit:

cit: omnes Angelos in primo instanti meruisse. Ergo de mente S. Thomæ est Angelos se præparasse ad primam gratiam, & eam accepisse secundum proportionem dispositionis vniuscuiusque ipsorum; Et hoc eo magis quod in eo instanti habuerũt supernaturalem cognitionem Dei, ac etiam supernaturalem amorem, quod eo magis de illis dicendum est, quia non erat in illis vllum impedimentum, vel praua aliqua cogitatio; quæ illos à tali amore auerteret. ℞. S. Thomam loqui ibi de augumẽto gratiæ non vero de prima gratia sanctificãte; nam eo loco docet, eos accepisse talem gratiam iuxta quantitatem suorum naturalium; quod non esset, si fuisset collata intuitu dispositionis præcedentis; nam ille actus, vt potè procedens ab auxilio actuali supernaturali, cum esset in sua entitate supernaturalis, vt docẽt etiam Aduersarij, fecisset, vt gratia illa nõ esset secundum quantitatem suorum naturalium; sed secundum intensionem talis actus supernaturalis. Propterea cum idemmet Angelicus Doctor in præcitato art. 6. qu. 62. sibi obiecisset pro secundo argumento: quod magis propinquus est ad gratiam actus humanus, quam natura; & cum gratia non sit ex operibus, vt habetur ad Rom. 11. multo minus quantitas gratiæ in Angelis est secundum quantitatem naturalẽ. Satisfecit argumento in ℞. ad secundum his verbis. *Dicendum quod actus rationalis creaturæ sunt ab ipsa* (v. gratia) *Sed natura est immediatè à Deo. Vndè magis videtur, quod gratia detur secundum gradum naturæ, quam ex operibus*. idem omninò conuincitur ex duobus articulis præcedentibus, si attentè considerentur: nam in quinto docet, quod Angelus statim post primum actum Charitatis beatitudinem meruit, & in quarto articulo in quo quærit; vtrũ Angelus creatus suam beatitudinem meruerit: in corpore articuli finit dicendo. *Melius dicendum est, quod gratiam habuit Angelus antequã esset beatus, per quam beetitudinem meruit.* Statuit itaque hunc ordinem Angelicus Doctor, vt prius prioritate naturæ sit ipsa natura Angeli: secundò gratia sanctificans per quam possit mereri: tertiò ipse actus meritorius: quartò ipsa beatitudo; vt legenti articulos illos clarum erit. Aduerte hic pro solutione aliarum obiectionum, quæ possunt fieri; nos non negare Angelos in primo instanti habuisse actum conuersionis in Deũ vt putant aliqui Aduersariorum; & idcircò totis viribus conantur probare Angelos in primo instanti exercuisse huiusmodi actum; hoc enim vltro concedimus. Tota differentia inter illos, & nos est in hoc præcisè, quod Aduersarij dicunt illum primũ actum dilectionis, seu conuersionis in Deum fuisse prius natura, quam ipsa

ipsa gratia sanctificans, & nos dicimus fuisse posterius.

Dices tertio: in collatione gratiæ contrahitur quædam amicitia spiritualis inter Deum, & creaturam rationalem: Sed amicitia consistit in mutua dilectione, quæ etiam despõsatio spiritualis dicitur. Ergò debet acquiri per propriam, & actualem dispositionem; cum consistat in mutua dilectione inter ipsum Deum, & creaturam rationalem. ℞. hoc argumentum pati instantiam in Christo Domino; nam amicitia illa, & despõsatio fuit perfectior in illo, quam in qualibet pura creatura; fuit enim per gratiam vnionis; & tamen non præcessit operatio libera ipsam gratiam habitualem: non ergo benè infertur ex eo, quod datur mutua dilectio inter Deum, & creaturam; quod actus ille dilectionis debeat præcedere in priori naturę ipsam gratiam sanctificantem; sufficit enim si ab ipsa procedat. Habet etiam instantiam in infantibus qui baptizantur, in quibus datur illa spiritualis desponsatio; & tamen non habent actum conuersionis liberum in Deum. Vndè ad summum illa, & aliæ similes congruentiæ ostendunt, Deum potuisse res sic ordinare, vt actus aliquis liber Angelorum fuisset dispositio ad infusionem primæ Gratiæ Sanctificantis; non tamen probant; quod ita factũ fuerit, vel debuerit fieri.

Dices quarto: nihil impedit, quominus ille actus dicatur productus à gratia, & nihilominus fuerit dispositione ad illam; Ergò etiam si non præcesserit natura, sed subsequtus fuerit, adhuc erit præparatio ad illã. Prob. antecedens: quia communiter admittitur; actum contritionis esse priorem gratia sanctificante in genere causæ materialis, & posteriorẽ in genere causæ efficientis; Ergo idẽ poterit dici de illo actu Angeli; quo casto amore adhęsit Deo; idest quod fuerit prior Gratia sanctificante quatenus disposuit subiectum ad illam recipiendam, posterior verò quatenus fuit productus ab illa efficienter. Arriaga loco citato dicit; hoc esse argumentum Tanneri disput. quinta. quæst. 6. dubio primo; vbi etiam alios citat pro se; sed esse argumentũ valde durum, eò quod ponat mutuã causalitatem, quam ille in physicis reiecit. Sed quidquid sit de hoc. Respondetur in nostro casu non posse admitti illam prioritatem, & posterioritatem in eo actu; cum ponatur à nobis gratiam esse priorẽ hoc actu dilectionis in genere causæ efficientis, & principium effectiuum est simpliciter prius suo effectu: & quod est simpliciter prius alio in genere causæ efficientis, non potest postea in vllo alio genere esse posterius illo: nam causa efficiens est illa, quæ dat esse effectui, quod non habebat antecedenter; vndè cum antè ipsam causam efficientem non existeret, nõ

po-

poterat esse dispositio ad ipsam; esse enim dispositionem ad aliquid, verè, & realiter importat necessariò, & essentialiter veram, & realem existentiam talis dispositionis antecedenter ad ipsam formam, saltem in priori naturæ, quam existentiam in casu nostro (vt vides) antecedentem gratiam nullo modo ille actus habebat.

Dico tertio: probabilissimum esse; Angelos in primo instanti acceptis gratis habitibus Gratiæ Sanctificantis, ac etiam fidei spei, & Charitatis, qui ipsam Gratiam gratum facientem in Viatoribus de lege ordinaria comitantur, elicuisse in primo instanti non solum actum charitatis, & conuersionis in Deum, de quo supra: sed etiam Fidei, & Spei; & hos non solum illi qui steterunt, sed etiã illi, qui ceciderunt; hæc assertio est consequens ad prædicta, & communis inter Theologos; in quantum dicit Angelos in illo primo instanti elicuisse hos actus. Controuersia solũ est an huiusmodi actus fuerint dispositiones ad ipsos habitus supernaturales; vel potius eorum effectus: in quo puncto eodem modo philosophandum est; ac de ipso actu dilectionis Dei: militant enim eadem argumenta, & nihil noui pro, aut contra mihi in hac parte placet adducere. Prior pars assertionis quæ est communis: probatur hac ratione. Angeli potuerunt in eodem instanti omnes hos actus elicere, & nullum erat impedimentum; immò posito quod in primo instanti elicuerint actum dilectionis Dei supernaturalem, prærequirebatur in eis actus cognitionis, & fidei supernaturalis de ipso Deo non solum tamquam Principio, & Auctore naturæ, & gratiæ; sed etiam vt fine non solum naturali, sed etiam supernaturali ipsorum; cum nondum haberent cognitionem intuitiuam, seu visionem Beatificam; Ergo hos omnes actus elicuisse dicendum erit. Prob. 2. quia isti actus mutuo se iuuant; fides enim dirigit, & spei est fundamentum iuxta Apostolicam definitionem in qua dicitur. Fides est substantia rerum sperandarum; & spes excitat amorẽ, & amor erigit spem; & cũ sint actus spirituales eliciti, & recepti etiam in potentijs spiritualibus, nihil impedit, quò minus possint simul existere in eodem instanti. Probatur 3. quia isti actus sunt media necessaria ad beatitudinem supernatalem consequendam. Ergò illos habuerunt in primo instanti; cum sit inintelligibile quod habuerint actum Amoris supernaturalem in primo instanti, vt est communior ferè omnium DD. sententia, & non habuerint etiã actus fidei, & spei supernaturales: Cumque omnes fuerint pares in illo instãti non solũ perseuerantes; sed etiam cadentes habuisse hos actus in illo primo instanti dicendum est. Hos actus censeo elicitos fuisse per habi-

tus ipsos supernaturales primò infusos, & consequenter non fuisse dispositiones ad illos, nec etiam ad gratiã sanctificantem propter supradicta.

Dices: nõ solum in peccatoribus, sed etiam in qualibet creatura rationali, quæ habet vsum rationis requiruntur hi actus, vt infundatur ei gratia sanctificans, & isti habitus: Ergo hi actus fuerunt dispositiones ad illos. ℞. antecedens esse verum quoad peccatores; quia cum proprijs motibus, & actibus liberis se auerterint à summo bono, & conuerterint ad creaturas: ratio dictat, vt in conuersione necessariò debeãt auerti à creaturis, & cõuertere ad Deum per huiusmodi actus; De alijs creaturis, quę supponuntur non peccasse, nulla necessitas cogit nos ad hoc dicendum; Si enim Deus per suam meram liberalitatem primo infundat hos habitus (vt in Angelis factum fuisse censeo propter prædicta) nulla omninò est necessitas, vt se disponãt ad primã infusionem illorum; sed ad summum per illos possũt se disponere ad augmentum eorumdem habituum.

Cum hæc scriberem, à quodam viro satis erudito mihi oblata fuerũt quædam loca S. P N. Augustini ex Epistola 207. quæ est ad Vitalem. Ex lib. 2. op. imperfecti contra Iul. fol. 216 ex lib. primo ad Bonif. cap. 2. & 3. ex lib. de Gen. ad litt. c. 14. De Nat. & Gratia cap. 13. lib. primo de peccator. merititis, & remissione cap. 37. ex lib. de Corr. & gratia c. 12. ex S. Fulgentio libro de Incarnatione, & Gratia cap. 2. 12. & 13. Et ex S. Prosp. in carmine de Ingratis quidam versus, & alia plura; Ex quibus concludebat, vt verissimum, & absque dubitatione tenendum in Doctrina S. P. & Ecclesiæ certum esse, omnia bona opera Angelorum in via, & Primi Parẽtis in statu innocentiæ inclusis etiam actibus Fidei, Spei, & dilectionis Dei ab illis potuisse fieri; & quæ facta fuerunt de facto elicita fuisse per naturalem arbitrij libertatem; ita vt ea non essent ex gratia Dei, & consequenter falsa esse ea, quæ supra dicta sunt de supernaturalitate habituum, & actuum Angelorum, dum erant in via. Hæc mihi paradoxa visa fuere; & non esse ad mentem S. P. N. nam cum in Axiomatibus supra positis docuerit ex professo; quod Deus erat in Angelis *condens naturam, & largiens gratiam*, profectò per gratiam intellexit dona gratuita contra distincta ab ipsis perfectionibus naturalibus. Præterea recolui in præcitato libro de Correptione, & Gratia cap. vndecimo S. P. loquendo de possibilitate quã habuerunt Angeli; & Primus homo; sic habere *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? immo verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat. Neque enim ea bona ille suis meritis*

comparauerat, in quibus prorsus nullũ patiebatur malum. & sic per extensum probat ibi S. P. Primum hominem habuisse gratiam Dei, per quã posset benè, & meritoriè operari; & cum posuisset apertam differentiam inter Gratiam datam Adamo, & Gratiam datam nobis concludit dicendo. *Nec ipsum ergo Deus esse voluit sinè sua gratia, quam reliquit in eius liberò arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab Omnipotenti bono: quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet; non quo fieret vt vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est Primo Adam.* & infrà loquens tam de Angelis, quam de primo homine à principio durationis eorum; sic discurrit. *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini quum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sinè Diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: Adiutorium quippe defuisset, sinè quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pæna peccati est, quibus autem datur secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Sentit ergo S. P. & Angelos, & Primum hominum habuisse Gratiam, & Adiutorium Diuinum superadditum naturæ humanæ, & datum non secundũ debitum: sinè quibus permanere nõ potuissẽt, etiam si voluissent. Nec loca illa obiecta vllo modo probant contrarium; nam licet in illis dicatur Adamum accepisse *voluntatem liberam, & sufficientissimam voluntatem*, & similia; numquam tamen in illis locis excludit necessitatem gratiæ, immò vel explicitè, vel implicitè eam docet; & ex professo in locis, hic adductis ex lib. de Correptione, & Gratia eam declarat; vndè immeritò ei attribuitur illa sententia, quam nec ipse nec Sancti illi adducti ab Aduersarijs tenuerunt. Quapropter arbitror, & Michaelem Baium; & Cornelium, Iansenium, Iprẽsem Episcopum lib. sing. de Gr. Prim. hom. c. 7. in hoc sicut, & in pluribus alijs aberrasse à germana mente S. P. Nostri Augustini. Dixi Michaelem Baium. Nam inter eius proportiones damnatas in Bullis Fel. Rec. B. Pij PP. Quĩti, & Greg. XIII. hæc primo loco habetur. *Nec Angeli, nec primi hominis integri merita rectè vocantur gratia.* & septima erat. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed iuxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur gratiæ, quo fit vt tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari:* & Nona sic se habebat. *Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan non impro-*

ban-

banda ratione possunt dici gratia; sed quia secundum vsum Sacra Scriptura nomine gratia ea tantum munera intelligimus, qua per Iesum Christum malè merentibus, & indignis conferũtur, Ideo neque merita, neque merces, qua illis redditur gratia dici debet. Duæ priores Sententiæ fuerunt ab illis Summis Pontificibus proscriptæ; quia continebant errorem intolerabilem; quatenus asserebatur in illis; merita Angelorum, vel hominis integri non rectè vocari gratiam; cũ nihil repugnet, meritum aliquod ita esse gratiam; vt etiam simul sit meritum, cui ex iustitia merces debeatur; & propter eamdem rationem damnata fuit etiam nona; quia in illa ponebatur in dubio: vtrum dona collata Angelis, & homini integro sint dicenda gratia, & tandem affirmabatur non debere dici; & præterea quia affirmabat gratiæ nomine in Sacris litteris id solũ censeri, quod per Iesum Christum malè merentibus confertur: quod etiam ex ipsa Sacra Scriptura patet esse errorem. Dixi etiam Cornelium Iansenium Iprẽsem Episcopum; quia in Libro singulari de Gratia primi hominis, & Angelorum cap. 7. videtur fauere Doctrinæ Michaelis Baij contentæ in illis tribus propositionibus. Eam tamen Iansenius, retractauit cap. 19. eiusdem libri, in quo expresse dicit. *Non ideo Angelorum, & Adami merita non sunt gratia, quia non supremo modo sunt gratia?* & paulo infra *Quapropter omninò fatendum est merita status innocentia tam Angelica, quam humana fuisse gratias, ac dona Dei; sed non illo sublimi, ac speciali modo qui statui fracta libertatis, damnataque natura proprius, & supra fusius explicatus est.* & postea subsequenter propositis quattuor modis quibus merita illa vocari possint gratiæ, ac dona Dei cõcludit sic. *Hinc est igitur quod magna cum fiducia Augustinus omnia non solum merita, sed etiam pramia meritorum Diuina Gratia in illo statu prima tam humana, quam Angelica felicitatis ascribit*. Constat etiam authenticè de retractione Mihcaelis Baij qua non solum illas tres; sed etiam omnes alias contentas in illis diplommatibus eiurauit die 24. Martij Anno 1580. Est igitur, & Sententia expressa S. P. N. Augustini: Et S. R. Ecclesiæ. Potestatem Angelorum, & actus illos, quibus vitam æternam promeruerunt, habuisse veram Gratię rationẽ; & inter dona Dei gratuita esse numeranda; & nullo modo solis viribus naturæ adscribenda: aut inter dotes, & actus merè naturales esse computanda.

Quæri hic solet· an Angeli acceperint gratiam secundum quantitatem suorum naturalium. De hac quęstione non habeo explicitam sententiam S. P. eam tamen pertractat Magister sententiarum lib. Secundo

dist.

dist. tertia in principio. Et S. Th. prima parte quæst. 62. artic. 6. & Conclusio est affirmatiua, quam S. Th. duobus potissimum probat argumentis. Primum est quia Deus, qui est Auctor naturæ, & gratiæ; cum naturam Angelicam ordinauerit ad gratiam, verisimile est, quod perfectiori naturę perfectiorem contulerit gratiam. Secundum est quia. Quo quis Angelus est perfectior; eò maiori conatu potuit se disponere ad gratiam recipiendam, & cum sit verisimile vnumquemque Angelorum operatum esse toto conatu; verisimile est perfectiores Angelos maiori conatu se disposuisse; ac proindè maiorem gratiam accepisse: Hoc secundum argumentũ in sententia, quam ego sequor accipiendum est de augmento gratiæ; non verò, de prima gratia sanctificante: hanc enim sentio eos accepisse à Deo ex liberalitate ipsius iuxta ordinem suæ Diuinæ Sapientiæ, & Prouidentiæ. Hæ rationes non excedunt limites probabilitatis: Nam non solum Christus Dominus; sed etiam Beatissima Virgo acceperunt maiorem gratiam quam omnes Angeli simul, & tamen Angelus natura humana est perfectior, & consequenter Deus non habet pro regula infallibili largitionis suæ gratiæ proportionem naturalium perfectionum. Secundum etiam patitur difficultatem in eo, quod sicut quidam Angeli etiam ex perfectioribus non solum potuerunt peccare sicut, & alij; sed etiam de facto peccauerunt, ita etiam potuerunt non ex toto conatu; sed remissius operari. Quapropter nullo modo est dicendum maiorem perfectionem naturalem Angelorum, vel maiorem conatum naturalem conuersionis fuisse causam impetrandi à Deo gratiam habitualem; nam in hoc est eadem ratio de Angelis, ac de hominibus; sed Deum ex mera sua voluntate, & liberalitate voluisse, Angelis perfectioribus conferre maiorem gratiã sanctificantem, & maiora auxilia pręueniētia, & adiuuantia vt acceptę gratię, & donis habitualibus cooperarētur. Ratio huius doctrinæ est, quia motiuum Diuinę voluntatis nõ potest esse aliquid creatum; sed sola bonitas increata. Bonitas enim creata nõ habet rationẽ finis vltimi respectu Dei; sed solum medij. Pręterea si aliqua fuisset causalitas in natura Angelica in ordine ad inæqualem distributionem huiusmodi donorum supernaturalium, in aliquo genere causalitatis fuisset; sed excepto genere causalitatis materialis, quod de se non est sufficiens, ad hoc; vt Deus maiorem gratiam det vni, quam alteri; nullum aliud genus assignari potest, ratione cuius contingat talis inæqualitas: Ergò ex libera Dei volũtate facta est talis diuersitas dispẽsationis. Maior est certa: Minor quoad secundam partem probatur, quia

ipsa

ipsa natura Angelica, quantauis dignitate polleret, non potuit esse causa efficiens Gratiæ, solus enim Deus est causa illius; nec potuit esse causa meritoria, quia vires, & actus merè naturales non sufficiunt ad meritum Gratiæ Sanctificantis, & aliorum habituum supernaturalium; cum inter illos, & hæc non detur proportio requisita ad veram rationē meriti: nec potuit esse finalis; neque enim natura Angelica estò dignissima est finis operationum Dei: sed ipsamet eius bonitas; vt habemus ex Diuinis Scripturis; quod scilicet omnia propter semetipsum operatus est. Ergò nullum est assignabile causæ genus ex parte Angelorum, propter quod Deus vni dederit maiorem gratiam quam alteri; nisi libera Dei voluntas, cui placitum fuit, distribuere sua dona, prout illi placuit.

Dices: sicut in hominibus assignatur maior conatus, quo peccator se conuertit in Deum, pro ratione cur vni det Deus maiorem gratiam sanctificantem, quam alteri peccatori se conuertenti cum minori conatu; ita etiam ex parte Angeli possumus hoc assignare pro maiori ratione in vno, quam in altero. ℞. hanc rationem in nostra sententia non habere locum quoad primam gratiæ infusionem; nam vt dixi supra etiam ex mente S. P. Deus largitus est illis gratiam Gratum facientem, & habitus Fidei Spei, & Charitatis antecedenter ad omnem illorum operationem: Loquendo vero in sententia eorum qui dicunt Angelos se disposuisse per proprium actum non solum ad augmentum; sed etiam ad primam Gratiæ Sanctificantis infusionem: adhuc dicendum est, hoc non fuisse factum ex solis viribus naturæ; sed ex maiori gratia præueniente, & adiuuante; quemadmodum etiam in exemplo assignato in argumento de peccatoribus se conuertentibus diuersis conatibus. Ratio est illa, quam paulò ante indicaui; quia inter dispositionem, & formam debet dari proportio: sed nulla est proportio inter actū naturalem, & formam supernaturalem: Ergò Angelus solo naturali conatu non potuit se disponere neque ad primam, neq; ad augmentū Gratiæ Sanctificantis. Ergò quod vnus Angelus, magis se disposuerit, quam alius prouenit ex eo, quod vnus maiori gratia fuit præuentus, quam alter: Propterea merito reijcitur nunc à Theologis Sententia illorum, qui dixerunt, Angelos fuisse iustificatos ex dispositione solius liberi arbitrij absque vllo supernaturali auxilio, vel dono Gratiæ Dei supernaturali.

AXIO-

AXOMA TERTIVM

Angeli non receperunt Gratiam Sanctificantem ex meritis Christi.

Ex Enchiridione ad Laurentium Cap. 61.

H*Aec ergo quæ Sanctis Angelis, & virtutibus Dei est Ecclesia, sane nobis sicuti est innotescet, cum ei coniuncti fuerimus in finem, ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista verò quæ ab illo peregrinatur in terris, eo nobis notior est, quod in illa sumus; quia hominum est, quod & nos sumus. Hæc sanguine mediatoris nullum habentis peccatum ab omni redempta est peccato, eiusque vox est, si Deus pro nobis quis contra nos? Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim pro Angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro Angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur, & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines, & Sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur.*

DVBIVM

Vtrum Angeli acceperint Gratiam ex meritis Christi Domini.

CElebris est hæc difficultas in scholis, & communiter disputari solet Tertia parte in comentarijs quæstionis octauæ, vel quæstionis 19. eam tamen placet hic breuiter propter affinitatem materiæ discutere, quod & alij auctores præstiterunt. Videndum igitur in præsenti: an Angeli acceperint gratiam sanctificantem, & consequenter etiã beatitudinem essentialem ex meritis Christi; in quo sunt duæ Theologorum sententiæ extremè oppositæ. Prima est Ambrosij Catherini in

lib.

lib. primo de eximia prædestinatione Christi, & in alio lib. de gloria Angelorum. Viguerij in lib. Institutionum Theologicarum cap. 20. §. 1. verſ. 4. Noſtri Iacobi de Valētia in pſal. 102. Petri Galatini lib. 3. de Arcanis cap. 4. Iacobi Naclanti in cap. p. Epiſt. ad Epheſios. Melchioris Flauij in lib. de Regno Christi. Suarij tom. primo in 3 parte diſp. 42. ſeſ. prima vbi etiam citat Albertum Magnum in 3. diſt. 13. artic. 2. Ioannem Arboreum lib. 3. Theoſophiæ cap. 13. qui ſentiunt Chriſtum Dominum meruiſſe Angelis gratiã, & gloriam, & rationē huius influxus eſſe caput ipſorum.

Secunda ſententia eſt S. Thomæ in 3. Sententiarum diſt. 13. quæſt. 2, art. 2. & de Veritate quæſt. 29. art. 7. ad 5. & art. 4. ad 5. & in 3 parte qu. 59. art. 6. Alexandri Alenſis 3. parte quæſt. 12. mem. 2. art. 3. e 5. S. Bonauenturæ in 3. diſt. 13. art. 2. qu. 3. in corpore, & ad 3. & 4. Durandi ibidem quæſt. 2. nu. 7. Paludani qu. 1. art. 3. Almaini item in 3. diſt. 19. quæſt. prima poſt primam concluſionem. Maioris in eadem diſt. quæſt. prima in argumentis poſt concluſiones. Driedonis in lib. de captiuitate, & redēptione generis humani tract. 2. cap. 2, par. 3. art. 5. poſt 4. propoſitionem. Et Vaſquez tomo primo in 3. part. diſp. 49. cap. 2. & eſt communis inter Thomiſtas; qui omnes docent, Angelos non habuiſſe gratiam ſanctificātem ex meritis Chriſti, & conſequenter nec etiam beatitudinem eſſentialem. Eamque non dubito eſſe de mente S. P. Auguſtini, vt patet ex preſenti axiomate, & ex alijs locis infra adducendis. Propterea.

Dico: Angelos omnes, qui ab initio ſuæ creationis iuſtificati ſunt; iuſtitię, & gratię dona ex meritis Chriſti Domini non accepiſſe. Probatur hæc ſententia primo ex Sacris Scripturis; nam Lucæ cap. 15. habetur parabola de Paſtore, qui relictis nonagintanouē ouibus in deſerto abijt, vt quæreret vnam ſolum, quæ perierat; quem locum S. Ambroſius in Lucam lib. 7. explicat de Chriſto Domino, qui merito ſuæ paſſionis quæſiuit totum genus humanum; quod per peccatum perierat; vt ſicut in Adam omnes mortui erant; ita & in Chriſto omnes viuificarentur; & ſubdit *omnes nos centeſima portio ſumus; habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominorum, Poteſtatum, Thronorum aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit.* Quod ſi Chriſtus Dominus non ſolum propter ſalutem hominum; ſed etiam propter iuſtificationem, & glorificationem Angelorum carnem aſſumpſiſſet, & mortem ſubijſſet, non rectè diceretur, eos reliquiſſe in cælo; ſed quod ſicut venit ad quærendum hominem perditum; ita etiam ad quærendas alias oues, quæ perijſſent

sent nisi per gratiam ab ipso promeritam iustificatæ fuissent. Nec obstat, si dicas Angelos multo ante aduentum Christi Domini fuisse iustificatos: & propterea non esse dictum, quod venerit propter illos; nam etiã Adam, & Patriarchæ, ac Prophetæ, ac plurimi alij Sancti Veteris Testamenti fuerunt multò ante aduentũ Christi Domini iustificati, & nihilominus ex communi consensu SS. PP. spectant ad hanc centesimam ouem, quæ perierat, & inuenta, ac redempta fuit; eo quod acceperint gratiam, & gloriam ex meritis Christi Domini: ac proindè, si & ipsi Angeli accepissent gratiam hoc modo, non diceretur eos reliquisse; sed etiã illos quæsiuisse; cum S. Ambrosio sẽtiũt S. Gregorius hom. 34. in Euang. Venerabilis Beda in illud Lucæ 15. *Quis ex vobis homo &c.* & Theophylactus in expositione illius loci Euãgelici. Dices iterum, ideo dici, Christum reliquisse Angelos; quia pro illis mortuus non est, licet alijs bonis operibus eis gratiam promeruerit. Sed neque hoc euacuat vim argumẽti; cum enim omnia opera Christi Domini tam exteriora, quam interiora quibus alijs promeruit fuerint humanitatis, ad quam assumendam; siuè in cuius assumptione dicitur venisse in mundum: Si aliquo opere promeruisset Angelis gratiam, & gloriam; licet hoc non fuisset ratione mortis: Dicendum omninò esset, venisse in hunc mundum ad quærendos Angelos, sicut venit ad quærendos homines. Respondent aliqui Theologi his testimonijs potius probari oppositum; eo quod si nomine nonagintanouem ouium veniũt Angeli; cum vocentur, & ipsi oues ipsius Christi Domini; consequens est, vt per eius merita acceperint gratiam, & gloriam. Hæc enim est ratio propter quam nos vocamur oues ipsius. Rerpondet Vasquez loco citato, & rectè considerandum esse duplicem statum huius Pastoris; idest primum in deserto, idest in Cælo; secundum verò extra idest in hoc mũdo; Quapropter licet Christus appellet etiam Angelos oues suas; hoc tamèn est solum in deserto: antequã scilicet assumeret carnẽ humanam, & quatenus vt Deus simul cum Patre, & Spiritu Sancto illos creauit, iustificauit, & eos qui perseuerauerunt glorificauit. At vt extra desertum proficisceretur, idest veniret in hunc mundum factus homo, fuit in causa sola ouis, quæ perierat, idest genus humanum; pro quo vocando, iustificando, & glorificando venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Replicant ijdem: quod sicut Christũ relinquere iustos non est nihil illis mereri; sed non quærere illos tot modis, quot quæsiuit peccatores, & cũ illis conuersatus est; ita etiam reliquisse Angelos, non esse nihil illis promeruisse; sed solum peculiari mo-

do ad quærendum hominem deſcendiſſe; relicto interim ſecundum humanitatem Angelorum conſortio: & gloriæ ſtatu. ℞. hanc expoſitionem eſſe violentam, & contra intentum PP. qui nomine ouis intelligunt nō ſolum exiſtentes in peccato mortali, quando Chriſtus Dominus venit, & mortuus eſt pro eis; ſed totum genus humanum, quod in primo parente perierat: nam etiam illi, quos inuenit iuſtificatos, antequam iuſtificarentur erant ouis perdita; & per ipſius paſſionem, & merita factū fuit, vt iuſtificarentur, & liberarentur à morte peccati incurrenda, vel iam incurſa. Dices cum Cornelio Ianſenio Gandauenſi Epiſcopo in Concordia Euangelica cap. 94. hunc ſenſum non eſſe litteralem; ſed myſticum: nam ſecundum litteralem dicit, venire ibi per 99. oues etiam iuſtos; quos dicitur ibi Chriſtus reliquiſſe; eo quod non ita frequenter cum illis ageret, ſicut cum peccatoribus, qui illius Doctrina, & exemplo magis indigebant; & infert hoc ex occaſione, quam habuit Dominus noſter proferendi hāc parabolam; quæ fuit murmuratio iniuſta Phariſęorū, quod cum peccatoribus, & publicanis māducaret: quibus ille reſpondit. *Non eſt opus valentibus medicus; ſed malè habentibus &c. Non enim veni vocare iuſtos; Sed peccatores*, vt hab. Matth. cap. 9. ℞. Vaſquez loco citato verū quidem eſſe, quod iſte ſenſus ſit myſticus; quod ſi dicas, ſenſum myſticum non valere multum ad argumēta Theologica. Reſpondet hoc verum eſſe, quando de illo ſenſu non conſtat, vel per aliam ſcripturam, vel ex Doctrina Patrum illum locum exponentium in eo ſenſu: quapropter cum ex prædicto textu præcisè non intendamus arguere; ſed ex Doctrina PP. qui illum prædicto modo exponunt de Angelis, propterea nō leue argumentum pro noſtra ſententia ex eo loco deducimus. Addo ego (ſaluo meliori iudicio) quod ſi quis contenderet locum illum in ſenſu litterali fuiſſe ſumptū ab illis PP. etiam de Angelis, non video quid in contrarium opponi poſſit; cum ex vna parte illi PP. non ſe explicent an in ſenſu myſtico, vel litterali illū accipiant, quando de Angelis illum interpretantur: & ex alia parte vnus, & idem Sacrę Scripturę locus plures ſenſus litterales admittat; vt ex Doctrina S. P. N. demonſtraui in Controuerſia Proœmiali de S. Doctrina in dubio ad Axioma octauum §. dico 8. Quod facile ſuaderi poteſt ex Gloſſis Ordinaria, & interlineali, quę per 99. oues Angelos intelligunt, & Nicolaus de Lyra per nouē drachmas Choros Angelicos intelligit; & per vnā perditam genus humanum.

Secundum locum adducit Vaſquez ex cap. 2. Epiſtolæ ad Hebræos vbi habetur. *Qui Sanctificat, & qui Sāctificantur ex vno omnes.* Ex quo loco

eo arguit ad intentum positis interpretationib⁹ S. Dionysij Areopagitę in lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. S. Maximi in Scholijs ad prędictum caput. S. Cyrilli lib. 3. contra Nestorium. Et lib. priori de Fide ad Reginas cap. *Quod vnus Filius Dei, est Dom. Iesus Christus.* Et aliorum Auctorum ad dictum locum probat suam sententiam; sic Qui sanctificat, & Auctor nostrę salutis est, nempe Christus, & qui ipsius passionis fructum participant vnius naturę sibi consubstantiales sunt, siquidem omnes sunt homines, sicut Adamus: aut vt ait Claudius Guillialdus, ex vno Adamo omnes sunt propagati. Confirmari etiam potest ex illo Textu eiusdem capitis Apostolici. *Numquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit;* ita vt sensus sit, Christum apprehendisse carnem humanam, vt redimeret genus humanum; non verò Naturam Angelicam, quia non venit ad redimendos Angelos, & hanc expositionem Vasquez dicit esse Adami, & S. Anselmi. Prob. 2. Auctoritate PP. & primo S. P. N. Augustini hic in Axiomate, cũ dicit: *Non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Quo loco vtuntur etiam S. Anselmus, & Venerabilis Beda in illud Epistolæ ad Ephesios cap. primo. *instaurare omnia, &c.* Vbi aduertendum est S. Patrem ibi sentire, non solum Christum Dominum non fuisse mortuum pro Angelis; sed etiam solos homines dicere posse. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* ratione Incarnationis; ex quo sequitur Angelos nullo merito Christi iustificatos fuisse: nam si aliquo merito fuissent iustificati, rectè dicere potuissent; *Si Deus pro nobis quis contra nos?* eodem prorsus modo quo dicimus nos; qui gratiã, & gloriam consequimur ex meritis eiusdem Domini nostri Iesu Christi; Vt autem ostendat, quem fructũ Angeli perceperint ex meritis ipsius, subiungit. *Sed ideo etiam pro Angelis fit quicquid hominum per eius morte redimitur, & liberatur a malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines, & Sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimẽta reparantur.* Neque hic, neque alibi vlla fit mentio gratiæ sanctificantis, aut glorificationis, vt est clarum ex ipsis verbis: idem prorsus docet in sermone 8. de verbis Apostoli explicando illud, quod habetur in Euãgelio S. Lucæ cap. 19. *Venit filius hominis querere, & saluum facere quod perierat:* Vbi ait *si homo non peryßet, filius hominis non venißet: Ergo quia perierat homo, venit Deus homo, & inuentus est homo.* Similiter in Sermone sequenti ait. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino; nisi peccatores saluos facere.* Item in expositione psalmi 36. concione 2. cir-

ca medium ait *quis iste Deus homo? Si tu ò homo non dimitteres Deum, nō fieret pro te Deus homo.*

Hoc idem docuerat S. Ambrosius in expositione psalmi 118. sermone 10. explicando versum illum *manus tuæ fecerunt me, & psalmauerunt me,* vbi ait *legimus enim; puer natus est nobis, filius datus est nobis. Nobis carnē, suscepit, immo potius nos in illa carne suscepit, quando filium hominis in Dei sede constituit. Non lego Angelos in Dei sede nisi stantes, nisi ministerium deferentes. Non lego Angelos, sed homines consepultos Christo, & in Christo resuscitatos. Denique ait Apostolus: Quia cōuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluificati &c. & simul suscitauit, simulque sedere fecit in cælestibus cum Christo Iesu.* Hoc loco apertè S. Ambrosius docet; ex meritis Christi gratiam sanctificantem datam esse hominibus, non verò Angelis. Hoc idem docuit S. Gregorius Magnus lib. 28. moralium cap. 6. cum ait. *Cuius incarnationis mysterium quia, & electi Angeli mirati sunt, qui eodem mysterio redempti non sunt.* & cap. 7. ait *Angeli Diuinam potentiam laudant, quia & ipsa eos tanta claritatis visio delectat, ita Deum laudant; quanto magis nos, qui redempti sumus de potestate peccati, laudare debemus?* est etiam insignis locus S. Bernardi pro hoc intento in sermone Feriæ Quartæ hebdomadæ Sanctæ post medium, vbi ait; *Sicut passio Domini data est quia alteri dari non potuit; Numquid Angelo? sed ille non eguit Numquid diabolo? sed ille non resurgit; denique non in similitudinem Angelorum, sed in similitudinem hominum.* Quod si Angelis per merita Christi Domini iustificati fuissent, non rectè diceret Mellifluus Doctor, quod Passione eius non eguerunt. Hoc idem implicitè docuerunt plures alij PP. qui nullam aliam fuisse causam Incarnationis Dominicæ docent: vt sunt S. Irenæus lib. 5. cap. 14. vbi ait. *Si enim non haberet caro saluari nequaquam Verbum Dei caro factum esset: Et si non haberet sanguis iustorum inquiri nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* Origenes hom. 24. in lib. Numer. *Si non fuisset peccatum non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, neque opus fuerat eum in carne positum iugulari, sed mansisset hoc quod in principio erat Deus Verbum.* S. Athanasius Serm. 3. contra Arrianos post medium. *Necessitas quippe indigentiaque hominū anterior est, quam illius Natiuitas, qua sublata carnem non induisset.* S. Greg. Nazianz. Orat. 4. de Theologia sub initium. *Quæ humanitatis à Deo propter nos susceptę causa extitit. Profectò vt nobis salus pararetur. Quid enim aliud causæ afferi potuit?* S. Ambrosius in lib. de Incarnationis Dominicæ Sacram. cap. 6. *Sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro, quæ peccauerat*

rat

rat, per se redimeretur? S. Leo Serm. 3. in Pentecostem ait. *Si homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in sua honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, Creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret.* Hoc idem docent S. Cyrrillus Alex. lib. primo Thesauri cap. 8. S. Io. Damascenus lib. 3. de Fide cap. primo, & lib. 4. cap. 4. & S. Io. Chrysostomus hom. 2. & 3. in Matth. & SS. PP. ex professo, & diser tis verbis docent, quòd si Adam non peccasset, non fuisset futura Incarnatio Verbi Diuini. Ex hoc principio sequitur per necessariam consequentiam, gratiam, & gloriam essentialē Angelorum non habere dependentiam ab incarnatione, nec à meritis Christi Domini: vnde eo admisso prout PP. illi admittebant, non potest negari consequentia. Prob. 3. ratione sic. Gratia Angelorum fuit independens, & à peccato Angelorum, & à peccato Adami. Ergò fuit independens à meritis Christi Domini. Antecedēs prob. quia id quòd est prius non dependet à posteriori; sed voluntas dandi Angelis gratiam fuit prior, quam voluntas permittendi aliquos perdere gratiam per peccatum, & consequenter prior præuisione peccati Angelici; ac etiam pręuisione peccati Adami: (hoc enim ortum est ex suasione Angeli præuaricatoris, & iam peccatoris.) Ergò à primo ad vltimam gratia Angelorum fuit independēs à peccato tam Angelico, quam primi parentis. Cōsequentia etiam probatur, quia merita Christi Domini supponunt peccatum Adami, & dependent ab eius operationibus, passionibus, & morte, quæ non fuissent nisi existente peccato Adami ex vi pręsentis decreti, vt fusè probant, & demonstrant communiter Theologi, qui hanc sententiam docent: & præcipuè S. Thomas cum suis Discipulis. Ergò omninò dicendum est gratiam Angelorum fuisse indepēdentem à meritis Christi Domini. Ex his omnibus sic efformari potest argumentum: Gratia Angelorum est independens à peccato Adami: Ergò non est fundata in meritis Christi, quæ supponunt peccatum ipsius Adami.

Dices primo: in Epistola ad Ephesios cap. primo habetur. *Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso;* vbi per ea, quæ sunt in cęlo, veniunt omninò Angeli; sic etiam in Epist. ad Col. cap. pr. *Quia in ipso cōplacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis eius, siuè quæ in terris, siuè quæ in cælis*: quibus consonat illud quod habetur ad Hebr. cap. 2. *Decebat enim*

um per quem omnia, & propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat Auctorem salutis eorum per passionem consummare, nomine suorum filiorum qui adducti fuerant in gloriam antè passionem Christi Domini nulli alij possunt venire, nisi Angeli glorificati; ad quod faciunt etiam illa alia verba eiusdem capitis. *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* ly enim pro omnibus comprehendit tam homines, quam Angelos. Præterea in Apocalypsi cap. 12. descripto prælio Angelorũ habetur. *Et ipsi* (idest Angeli boni) *vicerunt eum* (idest Draconem] *propter sanguinem Agni.* Si ergo habuerunt Victoriam per merita sanguinis Christi Domini, quæ consistit in dono perseuerantiæ: manet eos habuisse etiam gratiam, & alia dona, & auxilia tam præuenientia, quam comitantia, ex meritis eiusdem. Sic etiam arguitur ex Eu. S. Io. cap. 14. vbi Christus Dominus de se ipso dicit. *Ego sum via, veritas, & vita: Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Nã ly *Nemo* iuxta phrasim scripturæ cõprehendit non solum homines; sed etiam Angelos; quemadmodum communiter PP. interpretantur alia loca, in quibus dicitur. *Nemo bonus nisi solus Deus;* & *Nemo potest rapere de manu Patris mei.* quæ non solum de hominibus; sed etiam de Angelis ab eis exponuntur. Denique ex eodẽ Euang. cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deũ verum, & quem misisti Iesum Christum.* cum sit eadem vita æterna hominum, & Angelorum: ex his omnibus concludũt Aduersarij: Angelis fuisse data cum gratia iustificante alia dona supernaturalia; ac etiam collatã vitam æternam ex meritis Christi Domini, & in confirmatione adducunt testimonia S. Hieronymi ad illum locum Epistolæ ad Ephesios cap. primo. S. Gregorij Magni lib. primo: Expositionis moralis in Iob. c. 2. & hom. 14. in Ezechielem. S. Fulgentij Ruspensis Episcopi lib. 2. ad Trasamundum cap. 3. S. Cyrilli lib. 5. in Isaia ad illa verba. *Lætare sterilis quæ non paris.* & lib. 9: de adoratione ante medium in quibus locis hi Sancti de Christo, vt causa meritoria videntur loqui in ordine ad Angelos, quibus addẽdus est etiam Sanct. Bernardus serm. 22. in Cantica ante medium, vbi docet Christum Dominum fuisset Angelis, & hòminibus redẽptionem; quod verum esse non potest, nisi dicatur Angelos habuisse gratiã ex meritis Christi. ℞. Vasquez in precitata disputatione cap. 4 ex scriptura, si communem PP. & aliorum interpretum etiam recentiorum expositionem sequamur, nullum prorsus contra nostram sententiam argumentum desumi posse; quod demonstrat percurrendo singula, & primo ad illud ad Eph. primo Respondet ly *proposuit instaurare omnia.* in Græco

habe-

haberi loco instaurare à ἀνακεφαλαιώσασθαι. quod nihil aliud significat, quam ea quæ sunt sparsa, & diuisa colligere, & in summam redigere; & propterea S. Hieronymum in priori Commentario illius Epistolæ mirari, quod interpretes non sint secuti Textum Græcum; quod tamen præstiterunt Græci PP. S. Io. Chrysostomus, & Theophy. reddendo sic lectionẽ, *ea quæ in cælis, & in terris diuisa erãt, nec sub vno capite congregata, coaptauit*, & sensus est, quod Christus Dominus est quædam congregatio siuè recapitulatio eorum, quæ in cælis, & in terris sunt; eo quod sub eo tamquam sub vno capite congregata fuerunt. Vel cum ijsdem D.D. Hieronymo: Chrisostomo, Theophylato dici potest, Christum Dominum esse summam, & congregationem quamdam omnium mysteriorum: Sicut cum parui numeri in vno quoddam magno numero supputantur, & in summam rediguntur. Si vero lectionem vulgatam sequamur, vt debemus. Ex ponendus est iste locus cum S.P.N. in Enchiridione cap 62. vbi eum locum adducit hoc modo, *In ipso quippè instaurantur quæ in cælis sunt, cum id quod indè in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurãtur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam à corruptionis vetustate renouantur. Ac sic per illud singulare Sacrificium, in quo mediator est immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cælestia cum terrestribus, & terrestria cum calestibus. Quoniam sicut idem Apostolus dicit ad Coll. 1. In ipso complacuit omnem plenituninem Diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siuè quæ in cælis sũt, siuè quæ in terris.* perquæ manet responsum etiam ad alium locum Apostoli ex cap. primo ad Colossenses, quem S. P. hic adducit. Expositionem hanc S. P. N. sequitur S. Thomas; ait enim in Lectione 3. ad dictã caput prim. Epistolæ ad Ephesios; per Christum instaurari omnia, quæ in cælis sunt, id est Angelos, non quod pro Angelis mortuus sit Christus, sed quia in redimendo homine reintegratur ruina Angelorum: iuxta illud psal. 109. *impleuit ruinas*. Sic etiam loquuntur cum S. P. S. Anselmus Vener. Beda. & ferè omnes latini interpretes; quod non est vllo modo contrarium; sed omninò conforme illi Græcorum expositioni, nam quod illi reddunt *recapitulare*, & *cõgregare* nostri reddunt *reconciliare*, & *pacificare*, & *instaurare*, quod sinè congregatione, & vnione non fit. Locus ille ex Epistola ad Collos. eodem modo exponitur, ac prædictus; nempè per Christum Dominũ, & sanguinem eius extinctas fuisse inimicitias inter Angelos, & homines: quas propter nostra peccata contraxerant:

xerant: vnde, & ad vindictam sæpe mittebantur; sublato verò peccato per Christum sublata etiam fuit inimicitia: sic interpretatur S. P. in Enchiridione cap. 63. vbi ait, *Pax ista præcellit, sicut scriptum est omnem intellectum, neque sciri à nobis nisi cum ad eam venerimus potest. Quomodo enim pacificantur cælestia nisi nobis, idest concordando nobiscum?* Similia habet etiam in capite sequenti. Hoc idem docent S. Io. Chrisostomus hom. 3. in dictam Epistolam. Theophylactus. Theodoretus, & Ven. Beda; ac omnes fere recentiores. Aliæ expositiones, quas alij adducunt, vel cum ista concordant, vel facili negotio ad eã reducuntur. Textus adductus ex cap. 2. Epistolæ ad Hebreos nullo modo fauet aduersarijs: siuè enim legatur cum aliquibus *consũmari*, siuè cum alijs *consummare*; verba illa referenda sunt ad Deum, qui Christum consummauit, & perfecit per passionem Auctorem salutis eorum, qui in gloriam adducuntur; sic enim intelligunt S. Io. Chrysostomus, Theophylactus, & Anselmus, quos sequitur Adamus. Quartum testimonium ex eodem loco, quod est. *Vt Gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*, nullam habet difficultatem contra nostram sententiam: sensus enim est, quod omnibus passio Christi Domini profuit: nam & Angeli perpetua afficiuntur lætitia, non quod illi acceperint gratiam sanctificantem, & gloriam essentialem ex morte Christi. Vide Theoderetum in expositione dicti loci. Quintus textus desumptus ex capite 12. Apocalypsis versu 11. nullo modo probat intentum; nam licet in versu 7. eiusdem capitis narretur prælium factũ in cælo à Michaele Archangelo cũ dracone, & versu 8. ac 9. qualiter proiectus fuerit draco ille: in versu 10. postea refertur laus data Deo à Sanctis: eo quod proiectus fuisset accusator fratrum ipsorum, & in dicto versu 11. habetur postea; *& ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter Verbum testimonij sui, & non dilexerunt animam suam vsque ad mortem*, quem locum ad litteram interpretatur Cornelius; à Lapide in comentarijs dicti libri ad dictum caput de fortitudine Martyrum, qui animam idest vitam suam pro fide morti obiecerunt, & pro Christo eam exposuerunt, ac neglexerunt, & quasi oderunt, & maluerunt mori quam negare Christum, vbi etiam subiungit *perperam ergò aliqui Theologi ex hoc loco colligunt Angelos ex Christi sanguine, & meritis accepisse gratiam, & victoriã, ac consequenter gloriam, & coronam. Ioannes enim loquitur de hominibus non de Angelis.* Propterea Vasquez to: primo in 3. partẽ disput. 49 cap. 4 §. 5. *verum testimonium* ait quod sinè fundamento pro dicta sententia allegatur locus iste; Nam secundum sententiã

PP.

PP. ibi non describitur prælium Michaelis cum Dæmonibus in Cælo, sed præliũ Michaelis cũ Demone pro animabus nostris, quas a fraudibus Dæmonum Sancti Angeli defendũt per secretam inspirationem: Et ideo rectè subditur, *& ipsi* (nempe homines] [*vicerunt eum*) (idest dæmonem) *propter Sanguinem Agni* nam homines vincunt dæmonem propter meritum passionis Christi; ex quo illis gratia communicatur; Quam expositionem[ait dictus Auctor) cõfirmat id, quod sequitur: idest, *& non dilexerunt animas suas* [hoc est vitas suas] *vsque ad mortẽ*; Quod non de Angelis, qui non possunt subire mortem, & nõ componuntur ex anima, & corpore; sed de hominibus, qui pro Christo mortem passi sunt exhortantibus bonis Angelis contra malos intelligendum est. Hęc expositio est etiam S. Anselmi. Oecucum: immò, & Glossę ordinarię quæ dictum locum sic explicat. *cum ostendisset Diabolum in hoc certamine occulto ab Ecclesia victum ab auxilio Filij, & Angelorum, subiungit exultationes Angelorum ipsorum, vel Sãctarum animarum de victoria fratrum, vt laborent vincere, qui de victoria sua Angelos, vel Sanctas animas audiunt exultare.* Sextum Testimonium ex Euangelio S. Io. non cogit nos asserere, quod ly; *Nemo* neget omnes, tam Angelos, quam homines; licet enim quandoque in scripturis Sacris comprehendat tam naturam Angelicam, quam humanam; nihilominus quandoque restringitur ad solos homines, quod ex subiecta materia dignoscẽdum est; vt cum dicitur; *Nemo mundus à sorde nec infans cuius est vnius diei vita super terram.* quo loco non veniunt Angeli. Vnde ridiculũ esset, in quouis textu illam particulam; *Nemo* eodem modo explicare; cum iuxta materiam, & argumentum, de quo est sermo, debeat intelligi.. Ad vltimum ex eodem Euangelio S. Io. cap. 17. Respondetur; ibi ex contextu esse sermonem de vita æterna hominũ sub velamento Fidei, per quam merentur æternam beatitudinem alterius vitæ, & patriæ; non verò de vita æterna Angelorum; nam paulò ante dixerat. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*. vbi per omnem carnem intelligit omnes homines, ad quorum beatitudinem promerendã venit Christus Dominus, & propterea continuò subiungit, quænam sit hæc vita æterna præparata omni carni. Verum dato, & non concesso; quod ibi esset sermo etiam de vita æterna Angelis communi, & hominibus, indè solum concludi posset Angelos in via, vel post beatificationẽ habuisse notitiam mysterij Incarnationis sicuti homines, non autem quod habuerint gratiam sanctificãtem, vel gloriam ex meritis Christi.

Ad Auctoritates SS. PP. adductas respondet Vasquez loco citato cap. 5. quod si mediocri attentione considerentur, nō solum nihil colligi poterit quod nostræ sententiæ aduersetur; sed plerisque eorum adeò perspicuè eam confirmari; vt mirum sit à viris Doctis, & eruditis pro priori sententia fuisse allegatos: quod cum ille per extensum demonstret ibi datis, & expensis illorum verbis; propterea Lectorem ad dictum Auctorem remitto: cum nihil noui occurrat, quod eius eruditioni superaddā: Nam, & si prædicti PP. essent in opposita sententia; quod tamen non concedimus; Nobis pro nostra sufficiunt S. P. N. Augustinus Angelicus Doctor, & alij supra pro nobis adducti.

Dices secundo: negari non potest: Christum Dominum esse caput Ecclesiæ; hoc enim ad minimum conuincunt prædicta Sacræ Scripturæ testimonia; & consequenter esse caput hominum, & Angelorum; hi enim simul sumpti constituunt vnam Ecclesiam, & sūt membra huius mystici corporis. Ergo vt membra eius accipiunt influxum gratiæ, & gloriæ ab illo. Respondetur primò huic argumento ab aliquibus Doctoribus idest Altisiodorensi, Gabrielle, & Driedone; Christum Dominum secūdum humanitatem non esse caput Angelorum: Sed hominum solummodo; Secundum vero Diuinitatē esse caput etiam Angelorum: Qua responsione data cessat obiectio; nā solum physicè, vt Deus cum Patre, & Spiritu Sancto influit in eos gratiam, & gloriam, non vero meritoriè; vt contendunt aduersarij. In hac tamen responsione ego non sisto, non enim videtur posse denegari in doctrina S. P. Augustini dignitas capitis etiam quo ad humanitatē respectu Angelorum. Propterea respondeo cum Thomistis: ex habitudine capitis ad membra non rectè colligi quod eosdem effectus quos habet in ordine ad aliqua membra, habeat etiam in ordine ad alia specie distincta; propterea enim S. Thomas quæst. 29. de veritate art. 4. ad 5. ex fine Incarnationis colligit, quod humanitas Christi ordinetur ad influendum in homines redemptos, vt ad finem principaliter intentum; nō autem ad influendū in Angelos: eo quod incarnatio sit facta principaliter ad liberandum hominem à peccato, & propterea idem Sāctus Doctor ibi docet: influxum illum, quem habet Christus in Angelos, esse illuminationes, & premia accidentalia: quod est quid consequens ad Incarnationem. Hoc est illud, idem quod docent alij Theologi, cum dicunt Christum Dominum esse quidem caput Angelorum etiam secundum humanitatem; non tamen homogeneum sicut est hominum; cum non sit eiusdem naturæ cum illis, quemadmo-

modum est nobiscum; nec ratione interni influxus gratiæ sanctificantis sicut influit in homines; sed solum quoad eccellentiam, gubernationē illuminationes, & premia accidentalia: quo pacto est caput vtrorūque. Dices: si hoc est verum, sequitur Christum Dominum solum accidentaliter, & secundum quid esse caput Angelorum, non verò absolutè, & simpliciter; quod videtur repugnare scripturis Sacris in præcedenti obiectione adductis; in quibus videtur absolutè, & sinè addito dici; Christū Dominum esse caput Angelorum. Præterea data prædicta responsione nō potest explicari; quommodo prædestinatio Angelorū subijciatur prædestinationi Christi Domini, vt consummanda, & perficiēda per ipsum; supponuntur enim prius prędestinati Angeli, postmodū verò ipse Christus Dominus. Respondetur negādo vtramque sequelam, & ratio est, quia aliud est loqui de capite naturali; & physico, & aliud de capite morali, & mystico. Nam ad rationem illius requiritur quidem quod influat vitam naturalem, & substantialem in membra, non tamen requiritur hoc ad rationē huius: ad hoc enim sufficit quod habeat aliquem influxum secundum exteriorem guberna tionem, vt patet in Regibus, & Principibus respectu Ciuitatum, & Regnorum, quibus dominantur; propterea cum Christus Dominus respectu Angelorum habeat non solum exteriorem gubernationem; sed etiā communicationem internam donorum accidentalium, de quibus supra, poterit simpliciter, & absolutè dici illorum caput, licet non omnibus modis, nec ita propriè sicut hominum; vt docet S. Thomas 3. parte q. octaua quę est de gratia Christi Domini, secundum quod est caput Ecclesiæ. artic. 4. Quæ responsio cōroborari potest ex eo, quod nec etiā caput physicum eodem modo, & cādem ratione vitæ influit in singula membra. In membris enim eiusdē capitis datur diuersus influxus secundum diuersitatem operationum sensitiuarum, quæ exercere debent, & in membris totius corporis datur etiam diuersitas secūdum rationem operationum, quarum aliæ sunt vegetatiuæ, & aliæ sensitiuæ. Quanto magis hoc debet admitti in capite morali respectu corporis mystici, in quo non datur illa vnio physica, quę est in capite, & in corpore naturali; sed diuersitas nō solum specifica, sed etiam generica: per quæ sufficienter explicantur scripturæ prædictæ, nō solum à DD. scholasticis: sed etiā à Sanctis PP. Ad illud de prædestinatione respondetur sufficienter saluari subordinationem in ratione dignitatis personæ, quæ fuit prædestinata ad hoc, vt esset supra omnem principatum, & potestatem, & super omnes choros Angelorum; & in hoc

quod gratia ipsorum Angelorum cō summatur per Christum. Ad hoc enim sufficit, quod ab ipso recipiāt perfectionem accidentalem eo modo, quo omnis alia substantia creata perficitur, & consumatur per accidentia. Hanc diuersitatem influxuū indicauit S. P. N. in Enchiridione cap. 62; vbi dicit. *Propter quod ait Apostolus, instaurari omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris. In ipso quippè instaurantur quæ in cælis sunt, cum id quod indè in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur; Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate renouantur.*

Dices tertio: Quod est primum, & supremum in vnoquoque genere est causa cæterorum, quæ sunt in eo genere, eo modo quo esse potest. Sed Christus Dominus est supremus in genere gratiæ tam respectu naturæ humanæ, quam naturæ Angelicæ: Ergò est causa gratię tam hominum, quam Angelorum, tam in genere causæ finalis, quam efficientis, exemplaris, & meritorię seu moralis. Maior est Axioma indubitatum apud Philosophos, & Theologos. Minor etiam colligitur ex Scripturis supra adductis; & consequentia est legitima. ℞. maiorem non esse semper veram in tota sua latitudine, in qua accipitur in hoc argumento. Nam supremus Angelus est Primus omniū, & tamen non est causa cæterorum, neque in genere causæ efficientis, neque in genere causę finalis, vel exemplaris, aut moralis; nec in esse naturę, nec in esse gratię aut glorię; & sic de multis alijs generibus rerū discurrendo inuenietur, non semper primum in illo genere esse causam cęterorum. Nec enim Aurum causat cętera metalla, nec Adamas cęteros lapides pretiosos. Nec Sol cętera astra. Nec homo cętera animalia, &c. Ad minorem respondeo: Ex vi præsentis Decreti Christum Dominum esse quidem causam gratiæ hominum illis tribus modis, cum prædestinatio hominum sit fundata in meritis Christi; vt demonstraui in Controuersia duodecima de Perfectionibus Diuinis quæ est de Prædestinatione Sanctorum in dubio ad Axioma septimum, ac proindè poste rior Incarnationis, & meritorum ipsius præuisione. At prædestinatio Angelorum est prior decreto Incarnationis; ac proindè per se non pendet ab Incarnatione, & à meritis Christi, & consequenter nec eorum gratia aut gloria; sed solum ab ipso Deo; qui in primo instanti creationis eos liberè sanctificauit, & via peracta glorificauit.

Dices quarto: Ad id, quod est tale per essentiam, vel per se, reuocantur ea omnia, quæ sunt talia per participationem. Sed solus Christus Dominus est gratus per essentiam; seu per-

perse, & Angeli sicut, & homines sunt grati per participationem Ergò Angeli sicut, & homines reuocantur, & respiciunt Christum, vt ab illo, & per ipsum obtineant gratiam. Respondeo distinguendo minorem. Christi Domini diuinitas, & Persona est grata perse, & per essentiam concedo. Christi Domini humanitas est grata per essentiam nego; est enim, & ipsa grata per participationem. Omnis enim creatura quid quid habet, à Deo illud participat, & solus Deus habet omnia per essentiam, siuè formaliter, siuè eminenter. Ac proindè ex hoc argumento solũ sequitur; Angelos quo ad gratiam, & gloriã reuocari ad Christum Dominum ratione Diuinitatis, & quatenus Deus est, qui cum Patre, & Spiritu S. illis à principio largitus est gratiam, & habitus supernaturales (quod vltrò concedimus) nullo verò modo sequitur, quod habuerint talem gratiam ex meritis Christi Domini, & ratione humanitatis ipsius, vt contendunt Aduersarij.

Dices quinto: eadem est ratio de tota gloria essentiali Angelorum, ac de quocumque gradu illius: sed aliquis gradus gloriæ essentialis Angelorum dependet ex meritis Christi præuisis: Ergò & tota gloria essentialis illorum. Minor in qua est tota difficultas probatur, quia Angeli viatores habuerunt fidem Christi; Ergò per illam fidem fuerunt sanctificati, & consequenter per merita Christi acceperunt gradum gratiæ, & gloriæ correspondentem illi actui fidei. Antecedens est D. Thomæ prima parte quæst. 64. artic. primo ad 4. Sequela probatur; quia Christus ideo per fidem fuit reuelatus, vt in eum crederent tamquam in auctorem gratiæ, ergo credentes in eum hoc modo acceperunt gratiam, ex illius meritis. Respondeo primò multo probabilius esse, Angelis viatoribus non fuisset reuelatum Christum, aut Incarnationẽ; nam neq; ex Sacra Scriptura, neq; ex SS.PP. hoc colligi potest: immò potius ex Epistola D. Pauli ad Ephesios cap. 3. colligitur oppositum: vbi Apostolus loquens de Incarnatione, vocat *Sacramentum absconditum à sæculis in Deo, quod alijs generationibus non est agnitum, & quod innotescit Angelis per Ecclesiam Dei*, vt patet Ephes. 3. vbi D. Hieronym. Anselmus, Theophylactus, Oecumenius, & alij pleriq; idem sentiũt, vt obseruat Aornelius à Lapide ibi, & c. seq. quęst. 6. vbi disputat an Angeli Sancti per visionem beatificam cognouerint Incarnationem antequam fieret. Idem colligitur ex illo 1. Timoth. 3. V. 16. *Magnum est pietatis Sacramentũ quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, &c.* Dices: eumdem Apostolum, in Epistola ad Hebreos cap. primo versu 6 habere

bere hæc verba, & *cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Hic locus indicat, Christum Dominum bis introductum fuisse in orbē terrarum: primò quidem in creatione Angelorum, quandò illis manifestatum fuit Sacrosanctum Incarnationis mysterium: Secundò quandò fuit adimpletum; & in vtraque vice præceptum fuisse Angelis, vt ipsum Csthristum tamquam caput ipsorū, & hominum colerent, & adorarent. Ita exponunt hunc locum Suarez 3. parte Tom. primo disp. 42. sect. prima, & ante ipsū Catherinus, Viguerius, Taperus, & alij post istos. Respondetur: hunc non esse verum, & germanum sensum huius textus: vt obseruat Cornelius à Lapide in Comentario huius loci: eo quod introducere Christum in mentes Angelorum, nō est introducere illum in orbem terræ, sed in orbem Spirituale; vera ergo interpretatio est illa SS. Io. Chrysostomi: Ambrosij, Theophylati, & Oecumeni, in expositione illius Epistolæ, & S. Cyrilli in libro de fide ad Reginas: vbi sic explicant, vt Christus qua Deus dicatur primò inductus in orbem per æternam generationem: cum enim genitus fuit à Patre, statim omnia impleuit spatia hæc, in quibus postea orbis hic, id est cælum, & terra creata sunt. Iterum verò siuè secundo dicatur hic Christus inductus in orbem per Incarnationem, cum eum mũdo peperit B. Virgo. Est etiam aptissima illa alia explicatio, quam quartò locò habet Cornelius à Lapide loco citato; nempè quod primo inductus est Christus homo in orbem per Incarnationem passibilis, & mortalis; iterum verò siuè secundo per Resurrectionem à morte gloriosus, & impassibilis inductus fuit. Vel potius iterum inducit, id est inducet, Deus Pater Christum in die iudicij tamquam iudicem, vt iudicet orbem tũcque Angeli omnes, qui primò eum adorauerunt in natiuitate, iterum siuè secundò eumdem publicè adorabunt in gloria. Tunc enim Pater quasi inaugurabit Filium, eumque mittet re ipsa in possessionem totius orbis terrarum: nam hic versiculus, sumptus est ex psal. 96. qui agit de extremo iudicio, & maiestate Christi Iudicis. Dices S. P. N. Augustinum lib. 6. de Genesi ad littera cap. 19. docere huiusmodi reuelationem factā fuisse Angelis viatoribus, & cōsequenter nobis non licere ab ea sententia recedere. Respondeo hoc esse falsissimum, vt patet ex sola lectione illius capitis, in quo nec verbum quidem habet de Angelis viatoribus; sed solum de reuelatione facta Angelis iam beatis, & glorificatis, & quōmodò eis innotuerit per Ecclesiam.

Respondeo secundò adhuc dato & non concesso factam fuisse huius-

modi

modi reuelationem omnibus Angelis viatoribus, non tamen propterea sequi intentum, vt aduertit P. Ioannes Baptista Gonnet tom. 4. sui Clypei theologigi disp. 14. §. 5. n. 103. vbi negat, & rectè, quod aliquis gradus gloriæ essentialis fuerit præmiũ actus fidei Angelorum in Christum reduplicatiuè qua talis; quamuis enim actus ille, consideratus secundum suam substantiam, & quatenus erat actus fidei aliorum mysteriorũ, Trinitatis V. G. fuisset meritorius gloriæ essentialis; hoc tamen erat ei accidentale; nempè quod terminaretur ad Christum, vt consummatorem gloriæ; ac proindè secundum terminationem hanc consideratus, non fuit meritorius præmij nisi accidentalis, non verò essentialis.

Dices sexto: Angeli mali peccauerunt occasione reuelatæ Incarnationis; & Angeli boni acceperunt gratiam, & gloriam, quia acceptauerunt Christum Dominum; ergo eam acceperunt ex meritis Christi; Antecedens quo ad secundam partem probatur auctoritate D. Bernardi serm. primò de Circumcisione circa medium, vbi habet hæc verba, *Idem quippè, & Angeli Saluator, & hominis; sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ*. Similiter etiam sermone 22. in Cantica: antè medium docet Christum fuisse Angelis, & hominibus redemptionem, quod verum esse non potest, nisi Angeli habuissent gratiam ex meritis Christi. Respondetur negando antecedens quo ad vtramque partem; circa primã satisfiet controuersia octaua in dubio ad Axioma 6. vbi de obiecto peccati Angelorum, & patebit esse magis conforme dictis sacræ Scripturæ, & SS. DD. obiectũ peccati Angelorum non fuisse Incarnationẽ Dominicam; sed aliud, quod ibi assignatur; Ad secundam partem, & ad confirmationem ex D. Bernardo respondeo, illum non esse germanum sensum, quem aduersarij tribuunt verbis huius S. Patris; Si enim Angeli habuissent gratiam, & gloriam per Christum Dominum, ipse non fuisset saluator Angelorum ab initio creaturæ, vt ait S. Bernardus; sed ab Incarnatione, vel certè nulla esset ratio propter quam non diceretur etiam Saluator hominis ab initio, sed ab incarnatione. Dices Christum ideo dici Saluatorem Angelorum ab initio creaturæ, quia ab initio fuerunt saluati, & re ipsa beatitudinem consecuti fuere ex merito tamen futuro Christi Domini: homines vero licet reuera ab initio mundi fuerint iustificati ob meritũ Christi futurũ, nihilominus tunc nõ fuerunt consecuti beatitudinem. Respondeo hanc instantiam nõ euacuare dificultatem; eo quod salus hominum, & Angelorum in iustificatione propriè cõsistit, & liberatione à peccatis, aut iam commissis, aut commit-

tendis, quare, & homines ab origine mundi saluati dicuntur ex merito Christi futuro, ratione cuius, & ipse dicitur occisus ab origine mundi, eo quod, & pretium sanguinis eius ab origine mundi acceptum Deo fuit, & spes illius effectum habuit: ipse tamen Christus dicitur Saluator hominum ab incarnatione, quia merito suo eos liberauit, cuius meriti à tempore Incaınationis capax effectus est. Quò circà si Angeli essent iustificati merito Christi, & à peccatis futuris liberati, eodem modo dicendus esset Christus Redemptor Angelorum à tempore Incarnationis, quo dicitur redemptor hominum. Ad alterum testimonium ex sermone 22. in Cantica respondetur cum Vasquez, quod quando D. Bernardus dixit Christum Dominum fuisse Angelis redemptionem ne caderent, locutus fuit de Christo secundum naturam Diuinam, non autem secundum humanam, vt ipsemet paulo ante se explicat dicendo. *Quomodo ergo in principio erat Verbum? sed Verbum erat apud Deum: factum est autē, quatenus esse inciperet, & apud homines: sic nihilominus in principio sapientia erat, erat iustitia, erat sanctificatio, & redemptio, sed Angelis: vt esset hominibus, facit eum hac omnia Pater, & fecit quod Pater; denique qui factus est (inquit] nobis sapientia à Deo, non ait simpliciter, qui factus est sapientia, sed qui factus est nobis sapientia, quia quod erat Angelis, factus est nobis*. Hactenus S. Bernardus, qui vsque adeo perspicuè pro nostra sententia loquitur, vt superuacaneum videatur, verba illius expēdere, aut explicare: Verum, vt omnibus apertè constet de mente Bernardi, argumentum ex verbis illius deducamus hoc modo, si Christus secundum humanitatem esset Sanctificator Angelorum, & Redemptor in sensu S. Bernardi, nēpe quia fecit ne Angeli peccarent, & captiui tenerētur sub peccato, sicut hominibus factus est sanctificatio, & redemptio, cum factus est homo, similiter etiam Angelis esset effectus: quod tamē negat S. Bernardus, cum ait, hominibus factum fuisse redemptionem, & sanctificationem, quæ iam erat Angelis.

Pro complemēto huius dubij placet hic addere id, quod Gabriel Vasquez tomo primo in 3. partem disp. 49. cap. 5 num. marginali 39. aduertit his verbis. *vltimo loco allatum fuit testimoniū Bernardi, quod paucis ante annis vnicum erat prioris sententia fundamentum, cui nos satisfacere conati sumus anno illo Domini 1585. & ex verbis ipsius nostram sententiam confirmauimus, quo factum est, vt aduersarij iam non dubitent pro nostra potius quā pro opposita sentētia Bernardum esse*. postea explicata mente S. Bernardi eo modo quo supra in responsione ad postremam obiectionē di-

dictum est, concludit quintum illud caput his alijs verbis, *hac, qua diximus de mẽte Bernardi, sunt vsque adeo nota, vt recentiores aliqui, qui paucis antè annis nimium fidebant testimonio Bernardi, vt priorem sententia cõfirmarent, tam ingenuè fateantur, ipsum nostram opinionem expressè tradidisse*; plura alia de hoc puncto habet in illa disputatione eruditus ille Auctor, ad quem remitto lectorem; ne breuitatis, quam profiteor, limites frustra trãsgrediar.

AXOMA QVARTVM

Gratiam actualem acceperunt Angeli à principio.

Ex Lib. 12. de Ciuitate Dei. Cap. 9.

A*Vt si non potuerunt* [i. *Angeli*] *se ipsos facere meliores, quam ille eos fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò, & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adiutorio creatoris habere non possent.* (*infra.*] *si vtrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti, ad eam Beatitudinis plenitudinem, vndè se nunquam casuros certissimi fierent, peruenerunt.*

DVBIVM

Vtrum Angeli præter Gratiam habitualem acceperint etiam actualem.

SVpponit hoc dubium distinctionem illam vulgatam Gratiæ in tota sua latitudine sumptæ in habitualem, & actualem. Cumque iam dictum sit supra: Angelos accepisse habitualem, remanet videndum; an & quam gratiam actualem acceperint: nam & ipsa actualis subdiuiditur in Excitantem, & adiuuantem: Et quidem de Gratia Excitante; illi

qui

qui docent Angelos viatores, prius natura quam habuissent habitus supernaturales, se conuertisse, & disposuisse per propriũ actum ad eos accipiendos: facilè concedunt gratiã excitantem; & plurimi etiam adiuuantem: non enim poterant solis viribus naturæ actum supernaturalem elicere; putà obiectum aliquod supernaturale credere; nisi supernaturali auxilio adiuti fuissent: natura enim sola adhoc non sufficiebat. Ergo si in illo priori non habuerunt habitum vllum supernaturalem; necesse est illos habuisse auxilium supernaturale gratiæ excitantis, & adiuuantis, vt potentiæ illorum, quæ in esse suo merè naturali non habebãt proportionem cum huiusmodi actibus, redderentur potentes, & proportionatæ ad illos eliciendos. Eodem modo philosophandum est de actibus Spei, & Charitatis; si enim antè infusionem talium habituum elicuerunt actus ordinis illorum, indiguerunt auxilio supernaturali, quo voluntas illorum excitaretur, & moueretur à Deo ad operandum bonum ipsum supernaturale; vel ad diligendum ipsum super omnia: cum ipsa per se elicere non posset tales actus supernaturales Spei, & Charitatis. Difficultas est in nostra sententia, qui tenemus priorem fuisse infusionem ipsorum habituum quocũque actu supernaturali ipsorum. An scilicet adhuc positis habitibus supernaturalibus indiguerint etiam auxilijs supernaturalibus ad eliciendos actus illis proportionatos. In qua, Duæ sunt cælebres DD. sententiæ. Prima est Cardinalis Bellarmini Tomo Tertio Controuersiarum Lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio cap. 17. versus finem, vbi ait. *Denique electis Angelis Deus non aliam gratiam dedit nisi habitualem, qua fieret, vt possent perseuerare, si vellent: non autem dedit gratiam illam excitantem, qua fieret, vt vellent: sed vt vellent, in eorũ reliquit arbitrio, vt S. Augustinus docet in libro de Correptione. & Gratia cap. 11. & 12. &c. Quo circà idem B. Augustinus in loco citato scribit ipsam beatitudiuem hominibus nunc esse donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat, sicut fuit Angelis Sanctis, Si primus homo stare voluisset*. Eam tenent etiam Becanus Tract. De Angelis cap. 2. quæstione Quinta §. 3. *secunda Conclusio*, & pro se citat omnes illos, qui docent hominem in statu innocentiæ non indiguisse gratia excitante; & nominatim eumdem Bellarminum lib. de Gratia Primi hominis cap. 4. 5. & 7. Molinam in Concordia qu. 14. artic. 13. disp. 4. & à fortiori illos qui idem affirmant de homine in statu naturæ corruptæ: e quibus nominat solũ Vegam lib. 6. super concilium Tridentinum cap. 7.

Secunda Sententia est S. Tho. in prima parte qu. 62. artic. 2. vbi deter-

terminando Angelum indiguisse auxilio gratiæ ad hoc, vt conuerteretur in Deum, reddit hanc rationē: Voluntas non potest in id, quod superat facultatem ipsius, nisi adiuta à supernaturali principio, sicut calor non potest carnem producere nisi auxilio animæ: Sed Beatitudo vltima excedit facultatem naturæ creatæ; ergò non potest Voluntas habere motum in beatitudinem, nisi mota à supernaturali agente, & hoc dicimus auxilium gratiæ. Et ex principijs Doctrinæ Thomisticæ de necessitate præmotionis Diuinæ ad quascumque creaturarum quamtumuis excellentiū proprias operationes est necessaria consequentia: Propterea communem esse arbitror in schola D. Thomæ. Eamque expresse docet Vasquez. Tomo secundo in primam partem disp. 228. cap. 3. §. 11. vbi ait. *Deindè absurdum est etiam, asserere, ad hanc gratiam iustificationis retinendam, & in ea perseuerandum non indiguisse Angelos auxilio peculiaris gratiæ; sed ex proprijs viribus id efficere potuisse.* propterea.

Dico: Angelos viatores etiam instructos habitibus supernaturalibus non potuisse sinè gratia actuali excitante, & adiuuāte elicere quoslibet actus supernaturales. Prob. p. hęc assertio. Auctoritate Concilij Arausicani secundi can: 19. vbi de homine in natura etiam integra, & in statu innocentiæ sic determinat. *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adiuuante seruaret, Vndè cum sinè gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit: quommodo sinè Dei gratia poterit reparare quod perdidit.* Determinat itaque Cōcilium, quod homo primus etiam cum habitibus supernaturalibus, per quos in statu innocentiæ erat constitutus, in illa integritate sinè auxilio Dei non seruaret se ipsum: Ergò idem dicendum est de Angelis: cum per S. P. N. Augustinum lib. de Cor. & Gratia cap. 10. 11. & 12. & alibi sæpe, & communiter per omnes ferè Theologorum scholas sit par ratio de Adamo in statu innocentiæ, ac de Angelis viatoribus in gratia conditis. Prob. 2. quia Si Angeli propria virtute perseuerare potuissent in gratia iustificationis accepta, in seipsis gloriari possent, nec possemus dicere eis illud epistolæ primæ ad Corinth. cap. 4. *Quid habes quod non accepisti,* quod etiam de Angelis dictum, & intelligendum esset docet S. Anselmus in lib. de Casu Diaboli cap. 3. Prob. 3. Auctoritate S. P. & in Axiomate, vbi docet quod *Voluntatem bonam nisi operante adiutorio creatoris habere nō possent.* quæ verba procul dubio significant auxilium gratiæ actualis; hoc enim sonat ly *operante adiutorio* idem sonant illa verba *illi amplius adiuti.*

Hunc eumdem locum hoc modo exposuit etiam eruditissimus noster Leonardus Coquæus in suis Comment. ad lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 9. nam hæc verba dicti capitis sic interpretatur. *amplius adiuti &c. Ea ratione intelligitur, maius beneficium gratæ collatum Angelis bonis, quam malis. Etsi enim gratiam æqualem habitualem ab initio sint consecuti, ita tamen efficax fuit motio diuina, & auxilium Dei speciale in Angelis Sanctis, vt in Deum toti conuerterentur, persisterent in bono, & beatitudinem tandem assequerentur, non ex vi libertatis arbitrij certè factum est, vt ita differenter afficerentur, & quod gratia fuerit efficax in his, & non in istis Deo maximè tribuendum.*

Correspondet huic interpretationi etiam doctrina P. Matthiæ Hauzeur, qui in secundo tomo suæ Anatomiæ operum S. Augustini in difficultatibus quas proponit circa doctrinam huius capitis, ex quo desumptum est Axioma: habet sequentes resolutiones. Primò quod S. P. in præsenti capite nomine bonæ voluntatis intelligat nō solum naturalem, quæ iam supponitur creata, sed bonam ex gratia habituali, & actuali; quod ait patere ex contextu; nam ibi S. P. ait *facit implendo meliorem prius faciens excitando auidiorem.* & ex præcitatis verbis *illi amplius adiuti.* Secundò docet illa verba *Voluntatem quamlibet bonam, inopem in solo desiderantem insuram, &c.* esse intelligenda etiam de Voluntate Angelica, & quamlibet quantumlibet bonam naturaliter, & etiam ex gratia habituali. *inopem*, idest insufficientem, aut inefficacem *remansuram*, nisi ille qui *bonam naturam ex nihilo* naturæ, & meriti *sui capacem fecerat*, secundum naturam, & gratiam, *ex se ipso faceret meliorem*, augmento gratiæ, & gloriæ, *prius faciens excitando auidiorem*, auxilio gratiæ actualis, & efficacis, *nè inops in solo desiderio* naturali aut inefficaci *remaneret*. Tertiò docet S. Patrem sinè dubio in hoc capite docuisse; omnes Angelos creatos fuisse in gratia habituali: sed sub dubio de æquali; & sinè dubio de inæquali actuali: quod ait patere ex toto contextu, & mirum esse, quod Ludouicus Viues in hoc capite dubitet de mente S. P. Augustini, eo quod in caput Gen. primum sæpè repetit naturam Angelicam prius informem creatam, quā formatam: Eo quod toties se explicat de prioritate naturæ tantum, nō autem temporis, aut alicuius successionis. Hoc discursu, & his verbis exponit prædictus Anatomista operum S. P. Augustini eius doctrinam, cuius expositionem ego verissimam puto, & omninò conformem textui, & hoc modo ait etiam, exponendos esse antiquos scholasticos B. Augustini mentem assecutos; quorum placita non vacat modo, hic expendere.

Simi-

Similiter in lib. quinto de Genesi ad litteram cap. 20. ait de Deo & Angelis *mouet itaque* (Deus) *occulta potentia vniuersam creaturam suam; eaque motu illa versata dum Angeli iussa perficiunt, dum circumeunt sydera,* &c. *Explicat sæcula, quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea, ille qui condidit, prouido motu administrare cessaret.* motione ergò Dei gratuita indigent Angeli ad suas operationes, nec satis sunt illis cum habitibus supernaturalibus vires propriæ, *vt iussa perficiant, & suos cursus explicent.* Prob. 4. à Vasquez loco citato argumētis illis, & testimonijs, quibus probari solet, necessarium esse hominibus auxilium Dei, vt perseuerent; nam ista etiam probant, fuisse necessarium in Angelis; inter quę potissimum desumitur ex oratione, qua non solum homines petunt; sed etiam Angeli vtiliter postulassent, & postulare poterant, ac debebant auxilium gratiæ ad perseuerandum; & qui perseuerauerunt debent Deo gratias agere pro perseuerantia ipsis concessa. Ex vtroque autē capite, idest oratione, & gratiarum actione, rectè colligit S. P. N. sępissimè, & cum eo ferè omnes Theologi, ac etiam Vniuersalis Ecclesia necessitatem gratiæ Dei non solum habitualis, sed etiam actualis.

Dices primò: cum Bellarmino: S. P. Augustinus in præcitato lib. de Correptione, & Gratia cap. 11. ait de primo homine; [quod idem de Angelis dicendum est] *Dederat, & adiutorium sinè quo in ea* (idest iustitia] *non posset permanere, si vellet, vt autem vellet in eius reliquit arbitrio.* Ergò in doctrina S. Augustini poterant, & Angeli, & Primus homo retinere iustitiam acceptam; & elicere operationes sanctas, & actus supernaturales absque vllo alio auxilio gratiæ actualis. Respōdet Vasquez loco citato S. P. N. Augustinum nō dixisse eo loco, esse solius liberi arbitrij sinè auxilio gratiæ: sed esse relictum in arbitrij libertate, quod quidem rectè dicitur, etiam si id fiat auxilio gratiæ, consensus enim quem gratiæ præstassent ex auxilio ipsius, in libertate eorum erat positus; nam & ipsi gratiæ poterant repugnare. Vera responsio: cui etiam addere possumus, quòd ly permanere in iustitia accepta, dupliciter contingere poterat. Primò per negationem actus mali; quia actu peccaminoso non posito adhuc in iustitia accepta permansissent; etiam si actum positiuum bonum non elicuissent. Secundò eliciendo actus Virtutis, & maximè supernaturales, quibus nō solum permanerent in iustitia accepta; sed etiam mererentur, & proficerent de bono in melius; & quidē ad permanendum primo modo non requirebatur nouum auxilium; sed erat positum in eorum libertate, vel sic manere; vel per actum peccaminosum

minosum cadere ab accepta iustitia; vt fecerunt Angeli Apostatæ; nam ad cadendum non requiritur gratia: Ad permanendũ verò secundò modo non est dubium in sententia S. P. requiri gratiam actualem; quæ ad quodcumque opus bonum requiritur etiam in statu innocentiæ; & in Angelis viatoribus, & propterea in Axiomate posito dixit, quod *Voluntatem bonam, qua meliores essent nisi operante adiutorio creatoris habere nō possent*. & vlterius quod Angeli boni *amplius adiuti ad Beatitudinem peruenerunt*. quæ de auxilio actuali esse accipienda, ferè omnes qui ea interpretantur; docent.

Dices secundò: eumdem S. P. in eodem capite in fine habere, *Quid erit autem liberius libero arbitrio, quādò non poterit seruire peccato, quæ futura erat, & homini, sicut facta est, & Angelis Sanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factũ est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat*. Ex quo loco sic potest argui. Solum in Beatitudine datur non posse peccare: ergò de Beatitudine dixit S. P. Augustinus, futuram fuisse hominis in natura integra mercedem, sicut fuit etiam Angelis si perseuerassent: nunc autem post lapsum dicit esse in nobis gratiam: Sed sic est, quod in natura lapsa non est gratia simpliciter, sed gratia pro gratia; eo quod licet oriatur ex gratia, habet tamen rationem præmij, & retributionis: Ergò si in Angelis, & in natura integra futura erat merces, & non gratia; tunc nō erat futura gratia pro gratia: & tamen futura erat, & tribuenda perseuerantibus: Ergò perseuerantia in gratia non erat tunc futura gratia; Sic obijcit sibi Vasquez loco citato: cui argumento respondet. In natura integra gloriam futuram fuisse, & mercedem, & gratiam pro gratia; atque etiam eodem modo in Angelis; quia in vtrisque futura erat gloria ex perseuerantia: perseuerantia autem futura erat ex gratia. Ac etiā post lapsum beatitudinem futuram illis qui perseuerabũt, & mercedem, & gratiam. Nihilominus peculiari ratione S. P. Augustinum dixisse beatitudinem quę Angelis, & primo parenti futura erat merces, nobis post naturam lapsam fuisse gratiam: Quia cum Angeli, & homo in natura integra habuissent iam gratiam; solum videbatur superesse beatitudo tamquam merces: at verò quia post lapsum homini restituta fuit gratia, quæ omninò erat ammissa, & ex qua tamquā ex radice pendebat gloria; data opera S. P. Augustinum gloriā vocasse gratiam ratione gratuitæ restitutionis, & nouæ gratiæ, quæ homini facta est: Et hoc sufficit ad satisfaciendum argumento.

Dices tertiò cum Molina in Cōcordia qu. 14. art. 13. disp. 4. & alijs eius

eius sectatoribus. Qui habet habitus supernaturales fidei, spei, & Charitatis potest illis vti pro suo arbitrio, quando nullum est impedimẽtum. Sed in Angelis nullum erat impedimentum. Ergò poterant vti illis habitibus pro suo arbitrio, & cõsequenter non indigebant alia gratia actuali, quæ eos præueniret excitandò, vel adiuuando; cum iam sufficiens adiutorium haberent in gratia habituali, & in habitibus infusis. Confirmatur primò: quia talis gratia actualis, & præueniens tunc solũ est necessaria; quando ille, qui debet agere, non habet sufficientes vires ad agendum; ideòque non potest per se inchoare actionem; sed indiget alio excitante, adiuuante, vel impellente. Quod si habet sufficientes vires, non est opus alio excitante, aut adiuuante, vt patet in quouis alio agente naturali: siuè liberè; siuè necessario agat. Si ergò Angeli habuerunt supernaturales habitus actiuos, non indiguerunt gratia actuali præueniente, adiuuante, vel excitãte. ℞. ad argumentum distinguendo maiorem: potest vti pro suo arbitrio, quando nullum est impedimentum, si adsint simul cætera quæ requiruntur ex parte alterius causæ, quæ debet concurrere concedo. Si desit nego. Hoc sic explico in præsenti. Ad actus istos non solum concurrit causa secunda, sed etiam prima, vt omnes Theologi docent: ita vt si desit concursus causæ primæ, & causa secunda habeat omnes habitus, & vires, quæ ex parte sua requiruntur ad operandum, nihilominus non possit illis vti pro arbitrio. In præsenti autem si deesset motio illa Dei excitantis, & adiuuantis deesset id, quod requiritur ex parte primæ causæ; ad hoc vt causa secunda exeat in actum suum, & sic non posset vti prò libitò illis habititibus, & hoc est sufficiens impedimentum, ne creatura exerceat actus, quos alias per suas vires naturales, vel supernaturales posset exercere (si tamen est dicendum impedimentum.] Exemplum habemus in habente potentiam visiuam optimè instructam, valentem, & acutam; qui non obstante tali virtute sufficiente ad vidẽdum: nihilominus numquam exibit in actus, nisi adsit lumen, quo medio obiecta cernantur. Dices in casu nostro sufficere concursum generalem, & cooperationem Dei. ℞. hoc verum esse. Sed ex hoc ipso capite euidenter haberi necessitatem gratiç actualis ad actus supernaturales etiam in Angelis quamtumuis præditis habitibus supernaturalibus: nam per nos concursus ille est motio præuia ordine naturæ antecedens ad ipsam operationem creaturç: & cum sit eiusdem ordinis, ac est ipsa operatio creaturæ; si hæc est ordinis supernaturalis, & ipsa erit ordinis supernaturalis, & consequenter gratia illa actualis præue-

ueniẽs, de qua in præsenti loquimur. Propterea arbitror, esse omninò falsum id, quòd docuit Molina relatus à Becano loco citato; nempe hominem fidelem existentem in peccato mortali posse sinè gratia excitante elicere actum fidei supernaturalem. Hoc enim pugnat cum Concilio Tridẽtino sessione sexta capite quinto; vbi S. Synodus. *Declarat ipsius iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocãtur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atq; adiuuantem gratiam ad conuertendũ se ad suam ipsorum iustificationẽ, &c. disponantur.* & canone tertio expressè dicit. *Si quis dixerit, sinè præueniẽte Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.* & omninò displicet interpretatio, quam his Auctoritatibus adhibet cum suo Molina ipse Becanus in dicto capite secundo De Angelis. quęst. 5. §. 4. idest, Concilium loqui de infidelibus, qui non habent talem habitũ: nam hæc expositio est omnino arbitraria, fictitia, & (vt puto) contra mentem Concilij, quod absolutè, & vniuersaliter loquitur de quocumque exordio iustificationis cuiuscumque peccatoris: immò censeo esse directè contra Concilium Aurasicanum secundũ, quod Canone nono: dicit *Diuini est muneris, cum, & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia cõtinemus: Quoties enim bona agimus; Deus in nobis atque nobiscum, vt operemur operatur.* Et merito. Si enim, vt in Canone sequenti idest decimo idem Concilium definit. *Adiutorium Dei etiam renatis, ac Sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare.* quanto magis erit necessarium huiusmodi adiutorium ijs, qui sunt infecti peccato mortali, si illi qui habent habitus gratiæ iustificantis, & Charitatis nihilominus tale adiutorium debent implorare. Sed de hoc Deo dante alibi fusius redibit sermo.

AXIOMA QVINTVM.

Angeli non acceperunt gloriam in primo instanti suæ creationis.

Ex Lib. Vndecimo de Ciuitate Dei. Cap. 11.

N*Vllo modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus. Sed simul vt facti sunt, Lux facti sunt:*

sunt: non tamen ita tantũ creati, vt quoquomodo essent, & quoquomodo viuerẽt sed etiam illuminati, vt sapienter beatèque viuerent. Ab hac illuminatione auersi quidam Angeli non obtinuerunt excellentiam sapientis beataque vitæ, quæ procul dubio nonnisi æterna, æternitatisque suæ est certa, atque secura.

DVBIVM

Vtrum Angeli acceperint gloriam in primo instanti suæ creationis.

COmmuniter docent Theologi, non omnes Angelos habuisse in primo instanti supernaturalem Beatitudinem, idest illam veram, & æternam felicitatem, quæ de sua permanentia in statu omnium bonorũ aggregatione perfecta est, secura, & omninò certa. Dæmones enim nũquam illam habuerunt; quod clarè docet S. P. lib. vndecimo de Ciuitate Dei cap. 13. vbi explicans in quo consistat vera beatitudo creaturę intellectualis, resoluit consistere in hoc coniuncto, *vt bono incommutabili, quod Deus est, sinè vlla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mãsurum, nec vlla dubitatione cunctetur, nec vllo errore fallatur*. postea de Angelis loquens subdit. *Hanc habere Angelos lucis pia fide credimus: hanc nec antequam caderent, habuisse Angelos peccatores, qui sua prauitate illa luce priuati sunt, consequenti ratione colligimus: habuisse tamen aliquam, etsi non præsciam beatitudinem, si vitam egerunt ante peccatum, profectò credendi sunt.* quod etiam probat S. Thomas Prima parte qu. 62. artic. 8. quia si aliquando fuissent beati beatitudine illa essentiali, quæ iuxta eumdem consistit in clara Dei visione, non potuissent postea peccare: nam de ratione illius est impeccabilitas. Præterea illorum appetitus fuisset perfectè satiatus, & nihil vltrà desiderassent; hoc enim est de ratione Beatitudinis vt constat ex Ps. 16. *satiabor cum apparuerit gloria tua*. Non fuit autem illorum appetitus perfectè satiatus: sed aliqui appetiuerunt aliquod aliud bonum, vt habetur Isaiæ cap. 14. *In cælum conscendam &c. & ero similis Altissimo*. qui locus ab omnibus interpretibus de Angelis peccantibus communiter exponitur. Ergo numquã

fuerunt beati.

Dices primo: nullum est inconueniens, si dicatur: Omnino Angelis in primo instanti per transitum, vt in raptu, vel transcursu concessum fuisse, vt viderent Diuinam essentiã sinè ipsorum merito: Et postea substractam fuisse huiusmodi visionem, quæ fuerat concessa non tamquam præmium; sed tamquam donum ad breue tempus: sicut Moysi, & Paulo, & quibusdam alijs sanctis datũ fuisse ex priuilegio communiter docent Theologi; & præcipue recentiores. ℞. hoc quidem non inuoluere implicantiam contradictionis: Sed nullum esse fundamentum afferendi, quod ità factum fuerit, cum hoc neque habeatur ex Scripturis, neque ex PP. neque ex DD. scholasticis: immo potius habeatur oppositum; nam vt rectè differit S. P. in cap. vndecimo præcitati lib. vndecimi de Ciuitate Dei. *In eius participatione,* (idest beatæ vitæ] *æquales fuisse istos*[i. malos) *illis qui propterea verè plenèque beati sunt, quoniam nequaquam de sua Beatitudinis æternitate falluntur, quomodo dicturi sumus: quandoquidem si æquales in ea fuissent, etiam isti in eius æternitate mansissent pariter beati, quia pariter certi? Neque enim sicut vita quamdiucumque fuerit, ita æterna vita veraciter dici poterit, si finem habitura sit: si quidem vita tantummodo viuendo, æterna vero finem non habendo nominata est.* docet itaque S. P. quod si Angeli mali fuissent aliquando beati, sequeretur bonos, & malos fuisse aliquando æquales in beatitudine. Ergo vtrique certi, vel incerti de perpetuitate suæ beatitudinis. Si vtrique certi ergo adhuc mali sunt beati, quod patet esse falsum. Si vtrique incerti; ergo boni non sunt beati quia dubitant an sint mansuri in illo statu. Si dicas bonos accepisse certitudinem, quandò mali ceciderunt. Ergò nec isti, nec illi antea beati. Nã de ratione beatæ vitæ est æternitas, & certitudo de illa: vt acutè asserit ibi S. P.

Dices secundo: ex Ezechiele cap. 28. habetur de Lucifero, quod antè lapsum fuerit *in delicijs Paradisi,* & *in medio lapidum ignitorum ambulauerit.* Per quæ non possunt venire nisi gaudia Beatitudinis, & Angeli Charitate beatifica feruentes: & S. P. lib. de Correptione, & Gratia cap. 10. expresè dicere. *Angeli quidã, quorum princeps est qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium à Deo refugæ facti sunt. Refugientes tamen eius bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerũt effugere eius iudicium, per quod miserrimi effecti sunt.* (& infra) *Diabolus verò, & Angeli eius etsi beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant,* & S. Bernardum serm. 17. in Cantica docere, malos Angelos antè lapsum vidisse futura in Verbo. Ergò habemus

mus sufficiens fundamētum ex Scripturis, & SS. PP. dicendi, Angelos malos antè lapsum fuisse beatos, & habuisse visionem Beatificam. ℞. ex communi consensu PP. & interpretum locum illum Ezech. intelligi de eximijs donis naturæ, & gratiæ, quibus præditus erat Lucifer antè casū; & per lapides ignitos Sanctos Angelos viatores, qui Charitate viæ erga Deum feruebant. Vide Glossas Ordinariam, interlinealem, & Nicolai de Lyra in dicto loco: ac etiam Cornelium à Lapide hæc ibi expressē docentes: propterea S.P. cap. 15. dicti libri vndecimi de Ciuitate Dei explicans hunc Textum ait. *Vbi intelligitur fuisse aliquando sinè peccato.* Ad Auctoritatem eiusdem S. P. adductam in argumento Respondeo: quod ipsemet se explicat in dicto capite vndecimo, & duodecimo vndecimi libri de Ciuitate Dei (vnde Axioma) non de perfecta Beatitudine, sed de Beatitudine imperfecta; qua etiam dicimus Primos Parentes in Paradiso fuisse beatos. *Cum hodie* (ait S.P.) *non imprudenter Beatos vocemus, quos videmus iustè, ac piè cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sinè crimine*. & in præcitato loco de Corr. & Gratia subdit. *Erat tamen adhuc quod eorum beatitudini adderetur, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tamquam præmium ipsius permansionis acciperent, idest, vt magna per Spiritum Sanctum data abundantia Charitatis Dei cadere vlterius omninò nō possent, & hoc de se certissimè noscet.* Ad auctoritatem D. Bernardi Respondeo ibi non asserendo, sed inquirendo procedere, & præterea per cognitionē in Verbo non intelligere solum visionem beatificam, sed quamcumq; reuelationem factam à Verbo; nam etiam Viatores dicuntur aliqua videre in verbo, quia aliqua cognoscūtur ab eis per reuelationem. Vide S. Tho. qu. 62. art. 1. ad 3.

De Angelis Sanctis est leuis difficultas; an huiusmodi beatitudinem in primo instanti habuerint. Pro sententia affirmatiua P. Becanus Tractatu de Ang. cap. 3. quæst. prima citat Ludouicum Viues in librum vndecimum de Ciuitate Dei cap. nono propter verba Diui Augustini malè intellecta putantem bonos Angelos à principio creationis vidisse Deum, & in ea visione semper mansisse. Attentè perpendi verba illius Auctoris, qui in citato loco expendit dictum illud S. P. de Ciuitate Dei; vbi de Angelorum Ss. societate quę gloriosa regnat cum creatore. *& eo beatior, quod numquam peregrinata.* & subdit *semper enim in Patria fuit. Angeli enim semper vident faciem Patris, qui in cælis est*, & nihil aliud de hoc puncto ibi habet: & in eis non inuenio sensum, quem tribuit illis Becanus: nam illa prior pars: *semper*

enim in Patria fuit. rectè potest intelligi iuxta sententiam eorum, qui dicunt, omnes Angelos in Cælo Empyreo creatos fuisse: cum cęlum Empyreum sit patria Beatorũ: illa verò subsequens. *Angeli enim semper vident faciem Patris, qui in cælis est*. cum sit desumpta ex Euangelio, potest sumi dicta in sensu, quo fuit prolata à Saluatore: idest ex quo instanti beatificati fuerunt semper viderũt Essentiam Dei. Sed quidquid sit de hoc. Communiter docent Theologi: nec etiam Angelos (qui nunc sũt Beati] in primo instanti vidisse Diuinam Essentiam: propterea.

Dico secundo cum Magistro sẽtentiarum in secundo: distinct. 4. & 5. & cum D. Tho. loco citato art. 1. Angelos illos, quos constat aliquando adeptos fuisse beatitudinem, & Angeli Sãcti nuncupantur, non fuisse consecutos illam à principio suæ creationis; sed postea. Probatur hoc primò communiter illa ratione desumpta à D. Tho. loco citato; quia Beatitudo supernaturalis, de qua loquimur, non est aliquid naturę Angelicæ debitum; sed est quidam terminus vltimus, ad quem natura Angelica diuinitus fuit supra vires naturales ipsorum Angelorum destinata; Ergo per media cõuenientia, & per viam meriti fuit perducenda ad terminum gloriæ; cum nulla possit assignari causa, cur Angeli debuerint illam statim à principio accipere. Dices: Christum Dominum etiam secundum naturam humanam ab instanti suæ conceptionis fuisse beatũ: Ergò, & Angeli, qui sunt naturæ perfectioris, quam sit humana. ℞. esse disparẽ rationem; nam animæ Christi Domini fuit collata ratione vnionis hypostaticæ cum Verbo Diuino, vt communiter docent Theologi in Tertio sententiarum, & in Tertia parte: At in Angelis nullus erat titulus: ratione cuius illis deberetur talis beatitudo. Probatur secundò; quia Angeli boni acceperunt beatitudinem propter meritum, vt dicam sequenti Dubio: Sed hoc meritum nec fuit simul cum gloria, nec post gloriam, vt ibi ostendam: Ergò gloria non potuit eis conferri in primo instanti. Prob. 3. quia in primo instanti, tam Angeli boni, quam mali fuerunt viatores, & vtrique acceperunt gratiam, & charitatem, vt habetur Ezech. cap. 28. sed malis in illo instanti non est data gloria, vt supra probaui: Ergo nec etiam bonis. Prob. 4. Quia etiam Angeli boni, licet numquam peccauerint, nihilominus potuerunt peccare, vt docet S. P. lib. de Corrept. & Gratia cap. vndecimo; vbi distinguens adiutorium *sinè quò* ab adiutorio *quò* docet; quod adiutorium *sinè quò* fuit datũ Primo homini, & Angelis Viatoribus: & dicit quod Deus. *Dederat adiutorium sinè quò in ea* (idest bona Voluntate) *non posset permanere si vel-*

vellet: vt autem vellet in eius libero reliquit arbitrio, &c. sed quia noluit permanere profectò eius culpa est: cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitriũ, per idẽ liberũ arbitriũ steterunt ipsi, & huius mãsionis debitã mercedẽ recipere meruerũt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimũ sit, semper se in illa mãsuros &c. & cap. 12. *Prima libertas voluntatis erat, posse nõ peccare. Nouissima erit multo maior, non posse peccare.* Hoc idem post S. P. docet eius fidus sectator S Anselmus in lib. de Casu Diaboli. Ergo per hos SS. PP. Angeli etiam boni aliquandò caruerunt visione beatifica.

Dices primo: S. P. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 24. expresse habere, Angelos Sanctos prius cognouisse creaturas in Verbo, quam in proprio genere; ergò ab initio suæ creationis habuere visionem Beatificam: videre enim creaturas in Verbo, est idẽ; ac videre eas in Deo clarè viso. ℞. communiter, sensum illius loci esse, Angelos perfectius cognoscere res in Verbo, quam in proprio genere. Verum hæc respõsio licet vera, non tamen soluit difficultatem: cum enim illi sex dies fuerint distincti à S. P. per cognitiones Angelicas; si in prima cognitione, quæ fuit prima dies, immò manè primi diei viderunt creaturas in Verbo, manet quod in primo instãti suę creationis viderint Deum, & in eo creaturas: propterea responderi secundò potest iuxta doctrinam supra datam ad locum D. Bernardi: non semper videre in Verbo importare claram Dei visionem; sed quandòq; etiam reuelationem factam à Verbo: quo pactò Prophetæ dicebantur videntes; eo quod à Deo factũ esset illis verbum, idest reuelatio, qua clarè, licet non videndo Deum ipsas creaturas perfectius videbant licet futuras, vel absentes, quam si eas in propria existentia, & genere intuerentur. ℞. tertiò S. P. ibi non assertiuè loqui, sed dubitatiuè solum, & inquirendo per dubitationes, & interrogationes procedere; nam & caput incipit per interrogationem dicendo. *Quomodò ergò diximus sexies repetitam lucis illius præsentiam à vespera ad mane,* &c. 2. infra. *Aut quomodò præcedebat manè, vt in Verbo cognosceret quid esset postea Deo faciendum* &c. nec resoluit Quæstiones firmiter. Sed post diligentem discussionem concludit caput. *In his ergo quæ simul facta sunt, nemo videt quid prius, posteriusuè fieri debuerit, nisi illa Sapientia, per quam facta sunt omnia per ordinem simul.* ℞. quarto S. P. ibi expressis verbis, admittere in illis diebus, & in illa simultate prius, & posterius; ait enim. *Sed in his rebus in quibus quid prius sit, vel posterius internalla temporum non demõstrant, quamuis vtrumque dici possit,*

idest

idest simul, & prius, & posterius, facilius tamen intelligitur quod dicitur simul, quam quod prius, atque posterius: veluti cum solem orientem intuemur, &c. Hanc simultatem admittentem prius, & posterius placuit mihi in Primo tomo Philosophiæ naturalis appellare simultatem immediationis non vero simultatem coexistentiæ: quæ scilicet admittat aliquam successionem; qua posita rectè intelligitur, quomodò Angeli etiam Sancti; in primo, ac fortè etiam in secundo instanti Angelico nō viderint creaturas in Verbo clarè Viso, & postea in tertio viderint; & tamen hoc totum fuerit in prima die creationis ipsorū; nam & in prima die dicit Moyses, quod Deus diuisit lucem à tenebris, idest Angelos Sanctos à Dæmonibus iuxtà expositionem S. P. & sic illos in prima die post vnum, vel alterum actum meritorium habuisse pro mercede vitam æternam: Dæmones verò in pænam supplicium æternum.

Dices secundo: eumdem S.P. lib. vndecimo de Ciuitate Dei cap. 9. docere Angelos Sanctos numquam fuisse peregrinatos à Deo. Hoc autem, quòd est peregrinari à Deo, per Apostolum est idem, ac carere visione beatifica: Ergò si Angeli sancti numquam peregrinati sunt; numquā fuerunt sinè visione beatifica. Respōdeo cum nostro Leonardo Coquæo ad prædictum locum, quod quia fuit quidem mora inter eorum creationem, & collationem gloriæ, vt docet etiam S. Tho. 1. p. qu. 62. art. 1. & cùm eo communiter ferè omnes Schol. DD. quia tamen illa mora fuit breuissima, ideo dicit S. P. non esse peregrinatos: cum statim admissi sint in Ciuitatem Dei. Respondēt alij cum Becano quod boni Angeli numquam peregrinati sunt à Deo, quia semper manserunt in cælo, vbi conditi fuerūt, & numquam per peccatum à Deo separati sunt. Ad Auct. Apostoli. ℞. hoc, quod est peregrinari; non semper eodem modo accipi; sed diuersimodè iuxtà exigentiā materiæ.

Dices vltimo: Angeli Sancti à primo instanti vsque modò, semper dilexerunt Deum actu Charitatis non interruptæ. Ergò à primo instanti vsque modo semper viderūt Deum. Antecedens patet; quia numquam se auerterunt à Deo: alias cum Demonibus Dæmones facti corruissēt. Consequentia probatur: quia actus dilectionis procedit ab actu cognitionis; Ergò si est inuariatus iste, inuariatus debet esse, & ille. ℞. negando consequentiam. Ad probationē. ℞. non semper variato actu intellectus variari actum voluntatis, Sufficit enim ad huius existentiam, quod sit aliqua cognitio de obiecto in intellectu, siuè sit hæc, siuè illa, parum refert ad continuationem actus voluntatis. Sic enim videmus etiā

in appetitu sensitiuo variata cognitione sensitiua manere actum eiusdem appetitus; & præterea communiter docetur, esse eandem Charitatem viæ, & Patriæ.

AXIOMA SEXTVM.

Angeli Viatores fuere.

Ex Lib. 2. De Ciuitate Dei cap. 15.

ILlud, quod ait de Diabolo Ioannes: Ab initio Diabolus peccat: non intelligunt, si naturale est, nullo modo esse peccatum. Sed quid respondetur Propheticis: testimonijs, siuè quod Esaias ait sub figurata persona principis Babiloniæ Diabolum notans: Quomodò cecidit Lucifer, qui mane oriebatur? siuè quod Ezechiel: in delicijs paradisi Dei fuisti omni lapide pretioso ornatus? Vbi intelligitur fuisse aliquando sinè peccato. Nam expressè ei paulo post dicitur. Ambulasti in diebus tuis sinè vitio. Quæ si aliter conuenientius intelligi nequeunt; oportet etiam illud [quod dictum est) In Veritate non stetit: sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed non permanserit. Et istud, quod ab initio Diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est, peccare putandus est; sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cæperit esse peccatum.

DVBIVM.

Quæ Qualis, & quanta fuerit Angelorum via, qua ad Beatitudinem supernaturalem peruenire potuerunt.

PRæmitto primò: communem esse Theologorum sententiam: quod Angeli boni sint adepti Beatitudinē suo proprio merito; ac etiā

Ange-

Angelos malos à beatitudine defeciſſe propter peccatum: Eſt enim quoad hoc par ſors,& ratio hominũ, ac Angelorum; quod explicatum cenſent plures Apocal. cap. 21. vbi dicitur; in Cæleſti Hieruſalem eamdem eſſe menſuram hominis, & Angeli: & habetur ex illis Scripturis in quibus exemplum Sanctorum Angelorum proponitur ad imitationem, & caſus malorum ad cautionem; Vt propterea etiam S. P. lib. quarto de Gen. ad litt. cap. 24. dixerit: Angelos Sanctos ideo Beatos; *quia non remanet Angelica ſcientia in eo, quod creatum eſt, quin hoc continuò referat ad eiuſdem laudem, atque claritatem, in quo id non factum eſſe, ſed faciendũ fuiſſe cognoſcitur, in qua veritate ſtando dies eſt.* ſicut è contra dæmones amiſerunt: quia non ad laudem Dei retulerunt dona creata, ſed ad ſeipſos; vt ſubdit ibi S. P. ſic. *Nam ſi vel ad ſeipſam natura Angelica conuerteretur, ſeque amplius delectaretur, quam illo; cuius participatione beata eſt, intumeſcens ſuperbia caderet, ſicut diabolus, de quo ſuo loco loquendum eſt.* Et ratio eſt manifeſta: nam beatitudo creaturæ etiam per Philoſophum lib. primo Ethic. cap. 9. eſt præmiũ virtutis, & pertinet ad dignitatem creaturæ intellectualis, vt eam ſibi ſuis operibus acquirat, cum poteſt. Sic cum Magiſtro in ſecundo ſent. diſt. quarta, & quinta, & cum S. Thoma prima parte qu. 62. artic. 4. docent communiter Scholæ, & temerariam, ac erroneam reputant ſentẽtiam eorum, qui oppoſitum ex leuibus coniecturis de Angelis docent.

Præmitto ſecundo: communiter etiam doceri, interceſſiſſe aliquam moram inter creationem Angelorũ, & Beatitudinem eorum, qui glorificati fuere, & damnationem eorum, qui ceciderunt, & hanc moram fuiſſe durationem viæ illorum, quam vt plurimum explicant Theologi per comparationem cum aliqua duratione noſtri temporis, cui coextiterit, vel potuerint coexiſtere operationes ante beatitudinem, vel damnationem illorum.

Præmitto tertiò: moram illam fuiſſe breuem: licet non poſſit, determinatè ſciri, quanta fuerit: hoc enim colligitur ex ſacris litteris; ideſt ex Geneſi cap. tertio: vbi narratur, Angelum malum paulò poſt creationẽ rerum omnium tentaſſe hominem; & Io. 8. habetur Chriſtum Dominũ dixiſſe, Diabolum ab initio peccaſſe, ideſt paulò poſt ſui creationem, vt pulchrè explicat per extenſum S. P. lib. vndecimo de Gen. ad litteram cap. ſextodecimo: & probant communiter Theologi ex eo, quod ab eo obiecto, quod ſemel natura ſpiritualis elegit, vel nullo modo, vel difficillime flecti poteſt.

Premitto quartò. Viam omnium Angelorum fuiſſe æqualem quoad durationem: in qua mereri, vel demere-

mereri possent: Discretio enim inter bonos, & malos communiter ponitur facta post meritum illorum, & peccatum istorum in termino viæ, ac proindè ante hunc terminũ, ęqualem fuisse datam durationem (quam appellamus viam) ad merendum, vel demerendum: quibus positis.

Controuersia non leuis est inter Scholasticos: Quidnam egerint Angeli in illa mora; idest per quos, vel quales actus boni meruerint beatitudinem, & quandò, & quomodò eã consecuti fuerint, & similiter mali demeruerint, ac damnati fuerint: In qua re satis incerta (vt aduertit Caspensis) quot capita tot sententiæ: quarum præcipuas numero septem placet hic referre, vt ex illis, quid probabilius appareat, eligamus.

Prima tribuitur Magistro Sententiarum in secundo Dist. Quinta asserenti quod Angeli nihil meruerunt in illa mora; sed quod fuerit illis data beatitudo in termino illius moræ, & in fine Distinctionis relata vtraq; sententia idest affirmatiua, quod meruerint beatitudinem antè quam eã recepissent: & negatiua, idest quod eam non meruerint antè; sed quod tunc præmium acceperint per obsequia nobis exhibenda ex Dei obedientia, & reuerentia, & ita præmiũ, meritum præcessisse; subiungit, *& hoc mihi magis placere fateor*.

Secunda opinio est Beati Egidij nostri in secundo: Dist. 5. quæst. 2. art. 2. S. Bonauenturæ ibidem art. 3. qu. 2. S. Thomæ ibid. qu. 2. artic. 2. & Marsilij ibid. qu. 4. art. 2. concl. 4. vbi docent: Angelos in termino illius moræ solum recepisse simul gratiam, & meruisse beatitudinem, ac fuisse beatos: ita vt meruerint suam beatitudinem siuè gloriam per gratiam, quam cum gloria simul tempore habuerunt: natura enim solum, & origine meritum in illis præcessisse dicunt: sic se explicat noster beatus Egidius ibi, & S. Bonauentura dicit, hanc suo tempore fuisse communem Doctorum opinionem, & eam Marsilius loco citato solum, vt probabiliorem ex sententia dicti Eminentissimi Cardinalis Egidij defendit; dicens tamen, se nihil de hac re velle affirmatiuè asserere.

Tertia opinio est Scoti in secundo Dist. quinta quæst. prima, vbi relatis varijs modis quibus huiusmodi via explicari potest, resoluit probabilius esse, tribus morulis peractum fuisse hoc negotium; ita vt in prima omnes Angeli fuerint creati in gratia, & meruerint, in secunda, ait, contineri multa instantia succedentia, in quibus varijs actibus alij rursus meruerint, & alij varijs peccatis demeruerint. In tertia verò idest in instanti immediatè consequenti illam secundam morulam bonos fuisse glorificatos in termino suæ viæ; malos autem tunc habuisse terminum suę vię, & fuisse damnatos.

Quarta est Capreoli in secundo Sent. Dist.4. quæst.vnica art. 2. in resp.ad primum arg. contrà quintam concl. qui arbitratur quidem tribus instantibus totum hoc mysterium fuisse absolutum; sed diuerso modo ab eo quem posuit Scotus: ait enim: Omnes Angelos in primo instanti fuisse creatos in gratia, & habuisse actum dilectionis naturalis Dei; non tamen per illum meruisse, quia non erat imperatus à Charitate; nec elicitus, nec virtualiter procedens; idest ex vi alterius actus præcedentis; cũ nullus alius actus dilectionis præcesserit; Et revera posito quod ille actus fuerit naturalis; non potest ei concedi ratio meriti supernaturalis, siuè Visionis Beatificæ: & non solum Capreolus; sed etiam S. Th. quęst. 62. art.4. in solutione secundi argumenti docet, per illum actum naturalem eos non meruisse. In secundo instanti docet: Angelos bonos per actum supernaturalem meruisse: malos verò per peccatum demeruisse. In tertio verò instantij dicit, Angelos bonos fuisse beatos, & in termino illius moræ per actionem beatificam, Angelos verò malos fuisse damnatos, & in termino suæ viæ per operationem aliquam coexistẽtem operationi beatificæ Angelorum, puta tristitiam de sua exclusione à beatitudine.

Quinta opinio est Caietani in prima parte qu. 63. artic. 6. vbi solum duo instantia huius viæ concedit; in quorum primo dicit, omnes fuisse creatos in gratia, & meruisse. In secundo verò bonos continuantes illud meritum, simul recepisse beatitudinem: malos verò non continuasse in eo actu meritum, sed posuisse obicem per peccatum; quò minus reciperent beatitudinem, & simul fuisse damnatos, & hoc, conatur ostendere, esse de mente S. Thomæ art. 5. dictæ quæstionis.

Sexta est nostri Ferrariensis lib. 3. contra Gentes cap. 110. versus finem, qui & ipse, duobus solum instãtibus comprehensam fuisse hanc viã, docet; sed aliter ac ponit Caietanus; In quorũ primo omnes Angeli creati in gratia meruerint beatitudinem supernaturalem; cum hac tamen cõditione habendam; vt immediatè post illud instans non ponerent impedimentum demerendo; sed manerent puri, & sinè peccato prius natura, vt eam possent recipere. In secundo verò instanti bonos non posuisse impedimẽtum demeriti, quod ponere potuissent, & sic habuisse cõditionem requisitam, & fuisse beatos, & in termino suæ viæ: non tamen in hoc instanti aliquid eos meruisse, vt putat Caietanus: malos verò dicit, in hoc secundo instanti posuisse impedimentum peccando, & caruisse illa cõditione requisita, & simul fuisse damnatos, & in termino viæ; non enim repugnat simul tempore fuisse peccatum, & damnationem propter illud,

illud, tamquam ob demeritum natura prius: Sic explicat Valentia sententiam nostri Ferrariensis; & hanc explicationem colligit ex doctrina, quam ille ponit loco citato; sed aliquantulum implicatè,

Septima sententia est quam plurium recentiorum, qui tribus instãtibus comprehensum totum hoc negotium contendunt. In eorum primo docent: Omnes Angelos creatos fuisse in gratia, & meruisse; sed non cum plena deliberatione, & libertate, nisi quoad exercitiũ actus. In secundo bonos continuasse illud meritum cum plena deliberatione, & libertate: malos verò extinxisse illud meritum per peccatum. In tertio Bonos fuisse in termino viæ beatos: malos verò damnatos. Aduertunt tamen plures ex his, qui hanc sententiam sequuntur, in illis duobus instantibus viæ bonorum non fuisse duo merita distincta sibi succedentia; sed vnicum continuatum; quod etiam est de mente S. Tho. quatenus loco cit. art. 5. docet, per vnum meritum Angelos adeptos fuisse beatitudinem.

In tanta opinionum varietate eligam prius ea, quæ mihi videntur esse magis ad mentem S. P. postea breuiter quid de singulis sentiam indicabo.

Supponendum est autem pro fundamento secundum vniuersalem sententiam Theologorum: Instantia Angelica, de quibus in præsenti agimus, non esse momenta indiuisibilia temporis successiui, qualia ponuntur à Peripateticis, vel formaliter, vel virtualiter distincta ab ipso tempore iuxta sententiarum varietatem: sed esse quasdam durationes permanentes intrinsecè indiuisibiles, quæ sunt indifferentes ad coexistendum, vel tempori successiuo: vel etiam soli instanti iuxta diuersitatem modi operandi ipsorum Angelorum. Quapropter instantia ista Angelica sumuntur, & numerantur secundum successionem actuum, quos eliciunt Angeli. Hæc est expressa sententia S. Thomæ in præcitata qu. 62. art. 5. ad 2. quapropter cum vnus Angelus in vno, & eodem actu indiuisibili perseuerat, etiam si duret per horas, dies, & annos, est vnum tantum instans Angelicum, quo ille actus intrinsecè mensuratur: Cum verò Angelus in eodem actu non perseuerat; sed interrumpit illum, & alium inchoat, tunc illæ durationes intrinsecę diuersorum actuum censentur diuersa instantia Angelica: quibus positis.

Dico: esse magis ad mentem S. P. Nostri sententiam D. Thomæ docentis, viam Angelorum bonorum antè terminum habuisse solũ vnum instans Angelicum; id est vnicam durationem vnius operationis meritoriæ, quam vnusquisque Angelus habuit cum perseuerantia, Viam verò

Angelorum malorum absolutam fuisse ante terminum duobus instantibus; idest duabus operationibus; in quarum prima meruerunt; sed sine perseuerantia: In secunda verò peccauerunt, & extinxerunt præcedens meritum: Quapropter Angeli boni immediatè post illam operationem perseuerantem viæ fuerunt in termino, & beati: mali verò immediatè post illas duas operationes siuè duo instantia fuerunt pariter in termino, & damnati. Hoc esse de mente S.P. patet ex eo; quod dixit lib. 12. de Ciu. Dei cap. 6. vbi loquens de causa beatitudinis Angelorum bonorũ eam sic explicat. *Proinde causa beatitudinis Angelorum bonorum ea verissimè reperitur, quod ei adhærent qui summè est. Cum verò causa miseriæ malorum Angelorum quæritur; ea meritò occurrit, quod ab illo qui summe est auersi, ad seipsos conuersi sunt, qui non summè sunt: & hoc vitium quid aliud quam superbia nũcupatur?* & in libro de Correptione, & gratia cap. 10. loquendo de Angelorum bonorum, & malorum sortibus ait: *Denique Angeli quidam, quorum princeps est qui Diabolus dicitur, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt. Refugientes tamen eius bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerunt effugere eius iudicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamq; de suo casu numquam futuro certissimam scire meruerunt.* Et infra adhuc se clarius explicans ait: *Diabolus, & Angeli eius, & si beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini; si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tamquam præmium suæ permansionis acciperent, idest, vt magna per Spiritum sanctum data abundantia Charitatis Dei cadere vlterius omninò non possent, & hoc de se certissimè nossent.* Ex hac S. P. doctrina habemus de Angelis Sanctis vnam operationẽ viæ, idest adhærere Deo, & quod idẽ sonat, ac stare in Veritate: & alteram termini; quod est certissimè scire se numquam casuros ab illa plenitudine beatitudinis, quam in prẽmiũ suæ permansionis receperunt: quod totum importat Visionem Beatificam, & complementum illius beatitudinis viæ, in qua nõ videndo Deũ nondum erant certi. De Angelis verò malis, & Apostatis nos habemus, quod primò fuerunt beati, idest beatitudine viæ, qua etiam iusti in hac vita dicũtur Beati, vt supra cum S. P. explicaui, secundò quod à Domino Deo refugerunt, & se à summo bono auerterunt. Tertiò quod eius iudicium effugere non potuerunt, per quod miserrimi effecti sunt, & idcircò tres omninò operationes siuè instantia Angelica in malis Angelis ad-

admittenda sunt. Primum operationis bonæ. Secundum peccati; & hæc spectant ad viam. Tertium verò damnationis, & miseriæ æternæ; quod spectat ad terminum ipsorũ. Hoc idem, quod ad viam Angelorum malorum spectat, habetur lib. vndecimo de Ciuitate Dei cap. 15. vbi ex Scripturis Sacris infertur; quod *Diabolus in Veritate fuerit, sed nõ permanserit*, & *quod fuerit aliquando sinè peccato, & quod non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est; sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cæperit esse peccatum*. Ex quibus constat Angelos Apostatas antè peccatum stetisse in Veritate, & fuisse sinè peccato: postmodum à superbia cæpisse peccatum; quod postea subsecuta fuit damnatio, & pæna æterna: hoc idem sentiunt plures alij PP. & DD. ex quibus aliqui quo ad Dæmones probant ex Epistola canonica S. Iudę Apostoli, in qua dicitur. *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis reseruauit*. Vide S. Thomam in Prima parte qu. 62. artic. 5. ad 3. vbi expresè de Angelis Sanctis loquuens docet, Angelum post vnicum instans fuisse beatum, & qu. 66. art. 6. docet, Angelum consequutum fuisse, beatitudinem post vnum instans. Probari, & explicari simul potest sententia ista hoc modo. Assignanda est via Angelorum Sanctorum stantibus illis quæ ex Scripturis Sacris, & Sanctis PP. de illis habemus à termino beatitudinis distincta, & similiter via malorũ à termino damnationis diuersa. Sed hoc sufficienter, & magis expeditè, ac conformius ad Sacram Scripturam, & ad S. P. fit hoc modo. Ergò hæc sententia S. P. & S. Thomæ cæteris est præferenda. Maior est certa. Minor prob. nam ex adductis supra ex Sacra Script. & S. P. constat, quod Deus omnibus Angelis dederit gratiam, & alia dona supernaturalia, quibus possent consequi felicitatem æternam; & similiter quod omnes expectauerit, vt in bono essent perseuerantes; sicut dederat omnibus, & singulis suum adiutorium, quo perseuerare possent in bono inchoato, si vellent, quod S. P. appellat auxilium sinè quo, & cũ quo de facto Angeli Sancti perseuerauerunt, itaque eadem duratione qua expectauit bonos, expectauit etiam malos, qui perseuerare potuissent; sed malitia sua non perseuerauerunt: Ergo per hanc sententiam sufficienter, & magis expeditè, ac conformius ad Sacras litteras explicatur via, & terminus tam bonorum, quam malorum spirituum. Assignatur enim vnicum instans bonorũ Angelorũ, quod fuit actus amoris Dei; in quo tamdiu perseuerauerunt in via, quamdiu Angeli mali in primo instanti dilexerunt Deum sicut, & boni,

boni, & in secundo mutauerũt actionem, & recesserunt à summo bono, ac peccauerunt: quod est idem omninò, quod alijs verbis docent Scriptura S. P. S. Thomas, & cum pluribus alijs Vasquez tomo secũdo primæ partis Disp. 229. cap. 11.

Dices: Licet actus bonorum Angelorum secundum substãtiam fuerit vnus, & perseuerans, non fuit tamen sinè aliqua mutatione: Ergo ratione huius mutationis possumus; immò debemus distinguere in via Angelorum bonorum duo instantia; sicut ratione mutationis in via Angelorum malorum ea distinguimus. Prob. antecedens quia in eo instanti, in quo mali Angeli peccauerunt, boni se opposuerunt per actum intellectus, & Voluntatis, qui non erat antea. Ergò fuit mutatio sufficiens ad distinguenda duo instantia. Esto actus amoris Dei non fuerit interruptus secundum substantiam. ℞. quod licet tunc fuerit facta aliqua mutatio in Angelis bonis, non tamen propterea iuxta doctrinam S. P. & principia D. Thomæ sunt multiplicanda instantia; ille enim perseuerantiam, & permansionem vocat, quod continuationem actus significat, iste verò expresè vnicum instans tantum pro tota via Angelorum bonorum locis citatis computat. Ratio est; quia in communi vsu loquendi habetur ratio in præsenti vnius solum actus principalis perseuerantis per totam illam durationem, qualis fuit actus Charitatis erga Deum. Cum igitur quæstio ista sit de modo loquẽdi, placet mihi sequi vsum SS. DD. magis receptum in nostris scholis. Dices iuxta hunc loquendi modum posse etiam assignari vnicũ instans pro via, & beatitudine Angelorum bonornm; nam actũ dilectionis Dei quem habuerunt in via potuerunt continuare in Patria. ℞. nos non ponere vnicum tantum instans pro via, & termino horum, eo quod siuè manserit siuè non manserit idem actus Charitatis, fuit inchoatus nouus actus principalis spectans ad nouum statum, qui fuit actus visionis Beatificæ. Vasquez loco citato putat, sufficere actum illum dilectionis Dei in termino fuisse intensiorem, quam in via. Sed hoc non videtur satisfacere difficultati; nam etiam peccantibus Angelis Apostatis dicendum videtur; Angelos bonos continuasse suum actum Charitatis cum maiori intensione, quam fuerit in principio. Doctrina hęc clarior fiet expendendo breuiter singulas sententias oppositas, & earum fundamenta.

Prima sententia: quæ est Magistri displicet propter duo principaliter. Primò quia sicut repugnat, aliquem esse in termino, & simul moueri ad terminum, ita repugnat aliquẽ esse in termino meriti, quod est præmium; & simul moueri ad illum, vt fit per actus meritorios: mereri enim idem

idem est, ac moueri, & esse in via ad præmium: Ergò non potuerunt Angeli iam beati mereri Beatitudinem, quam actu possidebant iuxta placitũ Magistri; mereri enim beatitudinem, est idem omninò, ac moueri ad illam, vt ad terminum. Secundò displicet, quia vel Deus contulit Angelis beatitudinem absolutè, & sinè aliqua conditione, & in hoc casu non potuissent illam mereri per sequentia ministeria, vt vult prædictus Auctor; quia nullus meretur id, quod iam est suum, & vt tale illud possidet. De ratione namque meriti est, vt is qui meretur faciat sibi debitum, & aquirat dominium eius, quod non est suum. Vel Deus non dedit absolutè, sed cum hac conditione, vt per sequentia merita facerent eam suam, & tunc non fuissent verè beati antè illa ministeria exercita, nec beatitudo fuisset res ipsorum propria, sed quasi accommodata, vt postea illam facerent suam. Vt si quis accommodaret alicui triremes, arma, &c. vt postea militando faceret illa sua. Est autem inconueniens dicere, quod Angeli iam videntes Diuinam Essentiam, & Deo perfruentes non haberent beatitudinem vt suam; cum hęc sit status, & possessio omnium bonorum aggregatione perfecta. Vide S. Thomam prima parte qu. 62. artic. 4. & Durandum in secundo dist. 5. quæst. 3. Addunt Recentiores hanc aliam rationem contra sententiam Magistri. Principium meriti non cadit sub merito, cuius est principium; Sed omnia opera subsequentia beatitudinem oriuntur ex ipsa beatitudine tamquam ex principio; Ergò Angeli per ministeria subsequentia ipsam beatitudinem non potuerunt illam promereri: Maior est in confessò apud omnes; nam Gratiam primam ideo nõ meremur nec per opera antecedentia, quia alias non esset gratia; nec per opera subsequentia; quia est principium illorum: Ergò principium meriti non cadit sub merito cuius est principium: minor probatur; quia sicut gratia seu Charitas viæ est principium omnium operum bonorum viatoris; sic Beatitudo, cũ sit gratia consummata, & Charitas perfecta, erit principium omniũ operum bonorum ipsorum Beatorum.

Dices primò: Christus Dominus erat Beatus à principio, idest ab instanti Incarnationis, & tamen cum esset in hac vita mortali promeruit multa, cum esset simul viator, & comprehensor: Ergò etiam Angeli potuerunt mereri, estò essent beati. ℞. Christum Dominum non meruisse sibi beatitudinem essentialem, quam habebat, nec etiam illius augmentũ; Quia tamen erat simul, & Comprehensor, & Viator per sua opera, & passionem gratiam, & gloriam; ac multa alia dona promeruit nobis; & sibi glorificationem corporis, & exaltationem nominis.

Dices secundò: Potest Princeps strenuo equiti dare arma equos, & reliqua ad prælium necessaria propter bonum vsum, quem præuidet futurum ex valore, & peritia illius: Ergò similiter Deus potuit dare Angelis dona supernaturalia beatificantia propter bonum vsum, quem prçuidebat futurum in illis per opera subsequentia. ℞. esse disparem rationem; nam in Equite supponitur peritia, dexteritas, & industria independenter ab illis donis, & armis, & quæ sunt digna, vt illis donentur ista, quibus vtatur in seruitium Principis: Non est sic de bono vsu gratiæ, siuè hæc sit gratia viæ, siuè patriæ: iste enim non tribuitur virtuti naturali ipsius liberi arbitrij; quæ antecedenter ad ipsam gratiam non habet proportionem cum illo vsu; Sed tribuitur Gratiæ principaliter. Nec liberũ arbitrium antecedenter ad infusionem gratię est ex se dignum tali dono; immò quęlibet eius operatio habet omnem dignitatem, & valorem à gratia; quapropter non est meritũ, propter quod detur gratia; sed potius finis ad quem datur ipsa gratia. Prætereà donatio illa armorum non extrahit militem à statu suo equitis, aut militis, quin possit sibi vlterius per opera sua comparare dignitates, & præmia. At beatitudo extrahit Viatorem à statu viæ, & constituit illum in termino, qui impedit rationem meriti. Vide quæ dixi de hoc puncto in Controuersia de Prædest. SS. Axio: 5. in fine §. *Dices* 10.

Dices tertio: esto Christus Domi nus esset in termino, & Beatus; nihilominus promeruit SS. PP. ipsum præcedentibus gratiam per opera posterius exhibita; Ergò etiam Angeli potuerunt per opera subsequentia mereri sibi gloriam. ℞. etiam hic esse disparem rationem; nam Beatitudo Christi Domini non extrahebat illum à statu viæ, vt dictum est, cum esset simul, & Viator, & comprehensor, quod non habent Angeli; nec vllus alius Beatus; nec refert, quod opera Christi Domini essent posteriora illa gratia, quæ fuit data priscis PP. neque enim nos absolutè negamus, merita posse esse posteriora præmio; sed negamus posse esse posteriora, quando præmium est terminus, & extrahit merentem à statu viæ, & merendi; & est principium illius meriti: vt contingeret in Angelis, si per obsequia subsequentia beatitudinem illam promererentur: nã Beatitudo, quæ est præmium, iam extraxisset illos à statu merendi, cum sit terminus, & simul reliquisset illos in statu merendi, vt supponit Aduersarius; esset principium meriti, & caderet sub merito; Quæ non possunt admitti, nisi admittantur implicantiá.

Dices quartò: Angeli Sancti per opera, quæ exercent in gratiam, & vtilitatem generis humani merentur ali-

aliquid; Ergò possunt etiam mereri illud, quod à principio receperunt. Respondeo esse quidem in quæstione, an augmentum beatitudinis accidentalis cadat sub meritum: nam S. Thomas in secundo dist. 5. qu. 2. art. 2. & habetur etiam in supplemento quæst. 98. art. 6. S. Bonauentura, & Gabriel item in secundo dist. 11. nec non B. Albertus magnus in secunda parte summæ affirmant ex eo; quod in hoc nulla appareat repugnantia. At postmodum ipsemet Angelicus Doctor negatiuam sententiam docuit, & propugnauit prima parte qu. 62. artic. 9. & cum eo ferè omnes Thomistæ, & plures alij, & rectius: eo quod Beati sunt extra statum merendi; & quia illa bona accidentalia sunt debita beatitudini essẽtiali; Qui enim est dignus visione beatifica, est etiã dignus quauis reuelatione, quæ est infra visionem Beatificam; dummodo ad ipsum statum, & officium pertineat; & similiter is, qui meruit gaudium essentiale, promeruit etiã gaudium accidentale, quod percipitur ex alia quauis re honesta.

Secunda sententia: non probatur in eo; quod plures ex assertoribus eius illam sic explicãt, vt idem actus Charitatis supernaturalis Angeli, quo in illo termino Deum amauit consideratus, vt procedebat à libero arbitrio informato gratia fuerit meritorius, consideratus verò, vt tendebat in ipsum Deum clarè visum, & vt erat illius fruitio, fuerit beatificus; ac proinde eumdem actum diuersimodè consideratum fuisse meritum, & præmium. Quò posito nulla datur realis distinctio in illo actu ac proindè dicere eumdem actum, vt est à gratia esse meritum, & vt habet pro obiecto Deum clarè visum esse beatificum, & præmium; est idẽ ac dicere, quod idemmet actus sit præmium sui ipsius, quod censetur communiter improbabile. Eo quod meritum ex debito compẽsatur per præmium; vnde est necessè dari distinctionem realem inter illa. Præterea ille actus Charitatis Beati procedit à Visione beatifica: Ergo est omninò necessarius etiam quoad exercitium: Ergo nequit esse meritorius; cum ad hoc requiratur libertas saltem exercitij.

Tertia opinio; quæ est Scoti est valdè probabilis: Sed in eo differt à nostra, quod considerat instantia Angelica etiam secundum actus minus principales; in quo est ferè quæstio de voce nobiscum, qui in ordine ad viam actum solum principalem, idest Charitatis attendimus, & propterea solum vnum instans ponimus; reliquos verò solum, vt effectus istius, à quibus non sit desumenda diuersa ratio viæ: cum omnes tendant ad complementum viæ per actum Charitatis incæptæ; non sic se habet in Angelis malis; in quibus actus peccaminosus fuit diuersa via ab illa,

quæ erat iam incæpta per actum Charitatis; tendebat namque ad appositum terminum.

Quarta sententia displicet in eo; quod ponit primum actum dilectionis Angelicæ fuisse naturalem, & nō processisse ex Charitate; & eo magis displicet, quod ponit, omnes Angelos fuisse creatos in gratia; quę vel est idem realiter cum ipsa Charitate, vt est de mente S. P. vel si ab ea distinguitur realiter, vt volūt Thomistę, semper est cū ea inseparabiliter coniuncta; loquimur enim in præsenti de Gratia gratum faciente. Nec ratio illa Capreoli, quod nullus alius actus dilectionis præcesserit, iuuat illum, ad probandum intentum; idest quod propterea ille primus actus fuerit naturalis; nam ad hoc quod actus aliquis sit supernaturalis sufficit, si præcedat habitus supernaturalis saltē in priori naturæ: vel aliquid supplens defectum illius, puta Auxilium actuale Dei, vt patet in peccatore eliciente actum cōtritionis; qui cum sit in peccato mortali, non habet habitum Charitatis; quia tamen motio supernaturalis Dei supplet illum defectum, elicit talem actum.

Quinta opinio repugnat nostrę in eo, quod etiam pro Angelis malis ponit solum duo instantia comprehendendo etiam terminū, idest damnationem; cum tamen terminus ille habeat rationem status, quem nō habet via, & consequenter essentialiter differant. Vndè in hoc puncto arbitror Caietanum non fuisse assequutum mentem S. Thomæ.

Sexta sententia, si negat Angelos bonos continuando actum non meruisse augmentum beatitudinis, quādò mali demeruerunt, non videtur admittenda; & eò magis, quod supponitur (istis rebellātibus) illos pro gloria Dei pugnasse, & suum actum intensiorem reddidisse: Similiter nō placet in eò, quod ponit, & ipsa solum duo instantia in Apostatis includendo etiam terminum propter rationem mox adductam contra sententiam Caietani.

Septima displicet in eo, quod ponit duo instantia pro via Angelorū, non comprehendendo terminum; cum tamen nō diuersificet actus meritorios; & cum S. Thoma doceat per vnum meritum Angelos adeptos fuisse beatitudinem: in quo nō videtur consequenter loqui.

AXIO-

AXIOMA SEPTIMVM.

Angeli Sancti de lege ordinaria non possunt deficere, nec proficere in Beatitudine.

Ex Enchiridione ad Laurentium Cap. 29.

PLacuit Vniuersitatis Creatori, atque moderatori, Deo, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendò perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret; quæ autem cum Deo illa deserente perstiterat, de sua certissimè cognita semper futura felicitate secura gauderet.

Ex Lib. de Fide ad Petrum Cap. 23.

Habetur inter opera S. P. tomo Tertio, sed est S. Fulgentij Ruspensies Episcopi eius sincerissimi discipuli.

FIrmissimè none, & nullatenus dubites omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam; nec tamen posse quemlibet Sanctorum Angelorum in deterius mutari. Quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, vt ea carere non possint.

D V B I V M

Vtrum Angeli S. possint proficere in Beatitudine.

DVplicem beatitudinem in Sanctis agnoscunt communiter Theologi: essentialem vnam: accidentalem alteram. Prima constitui-

tur in Visione clara Dei, Amore beatifico, & gaudio, quod indè oritur. Accidentales constituitur ex reuelationibus, amore, & gaudio de quacumque alia re extra Deum: quo posito duæ circa propositam quæstionem circumferuntur sententiæ.

Prima tribuitur magistro sententiarum; quem dicitur docuisse, per quotidiana opera Angelos crescere in beatitudine essentiali vsque ad diem iudicij.

Secunda est cõmunis inter Theologos, qui vnanimiter cum S. Tho. prima parte qu. 62, artic. 9. docent oppositum; ita vt Valentia Tomo 1. disp. quarta quæst. 13. vbi agit de perfectione Angelorum in esse Gratiæ, & Gloriæ. Puncto quarto §. *Tertium quoque* dicat quod contrarium asserere meritò censetur esse temerarium: propterea.

Dico primò: Angelos Beatos nõ posse proficere in Beatitudine essentiali supra explicata. Prob. hæc assertio primo. Quia secundum legẽ Dei ordinariam eodem modo Angeli sunt destinati ad Beatitudinem, quo ipsi homines, vt supra cum S. P. explicaui. Sed ex fide habemus secũdum legem ordinariam homines in Beatitudine essentiali postquam illam consecuti sunt non posse proficere: Ergo idem de Angelis dicẽdum erit si non ex fide saltem cum tanta certitudine, vt appositum à nota temeritatis vindicari non possit. Maior communiter admittitur. Minor probatur ex Eccl. 11. *siuè ad Austrum, siuè ad Aquilonem ceciderit lignum ibi erit*, quod communiter PP. interpretantur de imutabilitate hominum in suo termino, siuè ille sit Beatitudinis; siuè damnationis: ad quem post hanc vitam perueniunt. Hoc idem habetur in Ecclesiastico cap. 14. v. 17. *Ante obitum tuum operare iustitiam; quoniam non est apud inferos inuenire cibum:* Et ipse Dominus noster in Euang. Io. cap. 9. *Venit nox quando nemo potest operari.* & Paulus Apostolus ad Galat. cap. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Probari potest secundo. Quia præmium non crescit nisi crescente merito. Sed in statu Beatitudinis non crescit meritum; Ergo nec præmium.

Dices si Angeli non posent proficere in Beatitudine esentiali, nec etiam posent proficere in beatitudine accidentali; sed hoc est falsum: nam ex illa D. Lucæ cap. 15. *Gaudiũ erit in Cælo coram Angelis Dei super vno peccatore pænitentiã agente*: communiter Theologi admittunt progresum in huiusmodi Beatitudine accidentali, & in nouis gaudijs; vt docẽt S. P. Augustinus lib. 5. de Gen. ad litteram cap. 19. S. Hieronymus cap. 3. ad Eph. S. Ambrosius lib. de his qui myst. initiantur, c. 7. S. Thõ. prima parte qu. 62, art. 9. ad 3. & q. 117. art. 2. ad primum. Ergo etiam fal-

falsum erit, quod non possint proficere in Beatitudine essentiali. Sequela maioris prob. quia ideo dicitur Angelos Sanctos non posse amplius proficere in Beatitudine essentiali, quia non possunt vlterius mereri, cum sint in termino: Sed hæc ratio conuincit, etiam eos non posse vlterius mereri beatitudinem accidentalem; ergo conuincit etiam eos non posse vlterius proficere in Beatitudine accidentali. Respondeo huic difficultati per sequentem assertionem, &

Dico secundo: Angelos SS. de facto proficere in Beatitudine accidẽtali idest in varijs reuelationibus, & gaudijs extra Deum, non tamen ista eos nunc mereri: sed hæc illos promeritos fuisse ab initio. Prima pars probata manet ex adductis in hac obiectione immediate præcedenti. Secunda pars in Controuersia apud Doctores, nam S. Bonauentura in secundo dist. 11. qu. 2. art. 2. & Gabriel ibi docent Angelos SS. posse illa accidentalia mereri; cum respectu talium donorum non sint adhuc in termino; cum illa omnia de facto non possideant. Nihilominus cum S. Thomas doceat illos de facto ista non mereri; vt supra dixi: propterea probatur prædicta pars assertionis ex eius doctrina: Quia huiusmodi præmia accidentalia sunt debita beatitudini essentiali tamquã fructus eius: Nam vel sunt actus Charitatis ex Charitate erga proximum, vel ex illa proficiscuntur; vnde, qui dignus est præmio essentiali, est etiam dignus pręmio accidentali.

Ad argumentum S. Bonauenturæ. Respondetur quoad rationem meriti Angelos Sanctos esse in termino omninò tam quoad essentialẽ, quam quoad accidentalem Beatitudinem: nec officit quod omnia spectantia ad istam de facto ab eis non possideantur: sufficit enim si hæc dentur debito tempore, & data opportunitate; vt etiam in alijs præmijs sępe contingit; nam etiam SS. PP. defuncti antè Aduentum Christi Domini promeruerunt Beatitudinem tã essentialem, quam accidentalem, & tamen eas cõsequti sunt solum post mortem eiusdem saluatoris nostri. Meruerunt igitur Angeli Sancti tã Beatitudinem essentialem, quam accidentalem; cum essent in via, non verò in Patria; ac proinde hoc ipso quod sunt in termino, quoad Beatitudinem essentialem, sunt etiam in termino quoad beatitudinem accidentalem, vt potè fructum illius, quẽ licet non recipiant statim cum præmio Essentiali, sed decursu temporis; nihilominus iam connaturalis est statui, & quasi debitus ex vi meritorum, quæ præcesserunt in via.

Dices primò: multis hominibus datur Gloria Essentialis, quam ipsi numquam promeriti fuerunt in via; idest infantibus, qui decedunt accepto

pro baptiſmo antè vſum rationis;ergò ſaltem iſti merebuntur dona accidentalia in Patria per propria opera; ergò etiam Angeli Sancti, cùm ſit par ratio de vtriſque. ℞. quod ſicut prædictis infantibus confertur gloria eſſentialis ex meritis Christi; ita etiam propter eadem merita ſuo tempore confertur illis huiuſmodi fructus; quod non militat in Angelis: qui ſicut meruerunt in via gloriam eſſentialem; ita etiam meruerũt gloriam accidentalem.

Dices ſecundo: D. Paulus Epiſtola prima ad Corin. cap. 6. ait *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus*. Hoc circa Angelos Sanctos non poteſt intelligi niſi propter cuſtodiam animarum ſibi commiſſarum: & pręmium, quod per illum ſunt accepturi; cum iam de actibus viæ meritorijs ſint præmium aſſecuti; Ergò de præmio accidentali ibi eſt ſermo, quod illi cuſtodiendo, & gubernando homines promerentur non obſtante ſtatu beatitudinis eſſentialis. Reſpondeo prædictam expoſitioné reyci, & meritò à S. P. N. in expoſitione Pſalmi 86. ad illa verba *Fundamenta eius in montibus Sanctis* exponit ea de Apoſtolis, & deſcendẽs ad S. Paulum ait: *Ipſe ſe iudicaturum dixit non homines tantum, ſed & Angelos. Quos Angelos niſi Apoſtatas Angelos?* & meritò cum enim hi peccauerint: conuincendi, & redarguendi ſunt per honeſtam vitam Sanctorum hominum; & eſt expoſitio conformis contextui Epiſtolæ Apoſtoli, qui reprehẽdebat ibi Fideles Corinthios, qui relictis Chriſtianis eligebant in iudices arbitrarios Gentiles: contra quos ſic arguit. *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia*, ideſt ſi inter Chriſtianos ſunt plures, ex quorum vitæ innocentia, & ſanctitate redarguentur Angeli mali in iudicio; & comparatione eorum condemnabuntur, qui tamen ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales, & æuiternæ: quantò magis inter illos inuenire poteritis, qui determinent de veſtris litibus circa res temporales?

Dico tertio: cum D. Thoma loco citato hoc augmentum beatitudinis accidentalis in Angelis Sanctis, ſicut & in alijs Beatis: duraturum eſſe vſque ad diem iudicij, & non vltra. Probatur quia poſt illum diem non fient amplius noua myſteria gratiæ, aut gloriæ, & cõſequenter nulla erit amplius neceſſitas nouarum reuelationum: Et quia tunc erit completus numerus Prædeſtinatorum in cælis; ideo nõ erunt amplius noua gaudia propter conuerſiones hominum, & conſequẽter nec etiam vlterius gaudium accidentale; Sed in æternum manebit Gaudium de beatitudine eſſentiali cum gaudio de beatitudine accidentali ſibi correſpondente ſemper inuariata.

Dico quarto: Angelos Beatos non

non posse excidere à suo statu Beatitudinis: vt docet S. P. lib. de Correptione, & Gratia cap. 10. vbi expresse docet: *Summæ beatitudinis plenitudinem tamquam præmium permansionis ipsorum esse; vt cadere vlterius omninò non possent, & hoc de se certissimè nossent.* & cap. 11. *Angeli Sancti, qui cadẽtibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitriũ steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinẽ, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* An hoc proueniat ex solo Dei beneplacito, an ex natura beatitudinis, in Tractatu de Beatitudine disputatur.

De cognitione Matutina, & Vespertina Angelorum disputant hic plures Theologi occasione eorum, quæ de hoc puncto posuit S. P. lib. vndecimo de Ciuitate cap. 7. & 29. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 23. 24. & 25. & 31. at etiam lib. 5. cap. 5. & lib. 83. QQ. qu. 26. & denique lib. 13. Conf. cap. 15. & alibi. Verũ quia de hoc puncto egi in Controuersia de Incomprehensibilitate, & Visione Dei in dubio ad Axioma nonum, & in Controuersia Quinta huius operis in dubio ad Axioma Tertium. Propterea ad ibi dicta me remitto. Videantur S. Thomas prima parte quæst. 58. art. sexto, & Septimo, vbi acutè exponit mentem, & Doctrinam S. P. N. & Noster Leonardus Coquæus in Commentarijs ad prędicta loca de Ciuitate Dei, sed præcipuè ad caput 29. Libri vndecimi.

CONTROVERSIA OCTAVA

De Peccato, & Pæna Dæmonum.

AXIOMA PRIMVM.

Angeli potuerunt peccare.

Ex lib. de Correptione, & Gratia Cap. 11.

T*Ale erat adiutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret si vellet: non quo fieret, vt vellet. &c. Posset ergo permanere si vellet, quia non*

non deerat adiutorium, per quod posset, & sinè quo non posset perseueranter bonũ tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est; cuius meritum fuisset si permanere voluisset. [Hucusque loquitur S. P. de primo homine in statu innocentiæ, in quo Statu illum æquiparat Angelis Viatoribus quoad gratiam, & auxilium sinè quo, & quoad potentiam peccandi, propterea subiungitur: *Sicut fecerunt Angeli, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, quæ eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quam primum facti sunt defuisset; quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset permanere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippè defuisset, sinè quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est.*

DVBIVM.

Vtrum Angeli posʃint peccare, tam contra legem Scripturalem, quam contra naturalem.

HHoc axiomate S. P. vtor in præsenti, quia in eo explicat, & casum Angelorum, & potentiam peccandi, idest liberum arbitrium; & auxilium, quod acceperant, vt possent in bono permanere si vellent; quod auxilium si non accepissent, non vtique sua culpa cecidissent: nã vt ait ipse, *non talis natura facta erat, vt sinè diuino adiutorio posset permanere si vellet*: quia vero peccatum, quodlibet est contra aliquam legem nam vt ait Apostolus ad Rom. 4. *Vbi non est lex, nec prauaricatio*. propterea videndum est, an Angeli contra quamcumque legem peccare potuerunt: Sunt enim leges siuè præcepta in duplici differẽtia. Quædam enim sunt supernaturalia, quibus creatura Intellectualis dirigitur ad finem supernaturalem. Alia naturalia quibus ordinatur ad finem naturalem. Ex qua doctrina habemus nos posse dupliciter peccare; primò con-

contrà finem, & præcepta naturalia; secundò contra finem, & præcepta supernaturalia. Et quidem Angelos peccare potuisse est de fide; cum ex Sacra Scriptura constet aliquos de facto peccasse habetur enim in Epist. p. Io. c. 3. *Ab initio Diabolus peccat.* & in Euang. cap. 8. *ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo;* & Iob c. 4. v. 18. *In Angelis suis reperit prauitatem.* Ex quibus omnibus patet: Angelum absolutè loquendo posse peccare: & ratio est manifesta fundata in his duob⁹ principijs. Omnis creatura quæ habet liberum arbitrium potest absolutè, & nulla facta suppositione peccare. Vbi est Lex ab alio præscripta, cui subiectum sit liberum arbitrium; nulla similiter facta suppositione potest peccare. Sed Angelus nulla facta suppositione Visionis Beatificæ: Vnionis hypostaticæ, aut alterius similis impedimenti est talis. Ergò potest absolutè loquendo peccare. Cum possit liberè præstare, vel ommittere illud, quod illa lex, vel præscribit, vel prohibet; Sed an possit peccare contra vtramque legem, sicut nos possumus; non est certum apud Theologos: sunt enim variæ de hoc DD. sententiæ.

Prima est Scoti in secundo Dist. 23. vbi probat generaliter nullam creaturam esse posse vllo modo impeccabilem, siuè loquamur de peccato contra legem naturalem, siuè de peccato contra legem supernaturalem.

Secunda sententia distinguit, & asserit, posse produci creaturam impeccabilem quidem respectu finis naturalis, & talem esse Angelum: nō tamen respectu finis supernaturalis: quam sententiam tenet Caietanus Prima p. qu. 63. art. 1. cui fundamentum præbuit S. Thomas ibi in Resp. ad 3. quod etiam docet idem Ang. D. in QQ. Disputatis qu. 16. de malo art. 3. in corp. & ad 6. art. 5. ad primum, & in sequentibus, nec non, & in secundo dist. 5. qu. 1. art. primo ad primum, & 4. Durandus in secundo Dist. 6. qu. 1. nu. 16. & 23. & 3. Gabriel ibi qu. 1. art. p. & 2. Maior qu. 2. Concl. 4. & 5. Okamus in primo Dist. 44. qu. prima ad secundum. Capreolus in secūdo Dist. 22. qu. prima. art. 3. Noster Ferrar. in lib. 3. contra Gentes cap. 109. Bannez, & Zumel in Primam partem ad quæst. 63. Conclus. 2. contra Scotum: his positis.

Dico primo Angelum ex natura sua posse peccare contra præcepta naturalia, siuè ea sint à natura indita; siuè sint positiua superaddita, dummodo spectent ad finem naturalem: Hæc assertio est sententia S.P & propterea: Primo illam eius Auct. probo sic. S. P. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. primo ait: *Dicimus itaque immutabile bonum non esse, nisi vnum*

 Deum,

Deum, Verum, Beatum; ea verò quæ fecit bona quidem eſſe, quod ab illo: Verumtamen mutabilia, quod non de illo, ſed de nihilo facta ſunt. & in fine capitis ait: *Quapropter etiam vitio malorum Angelorum, qui non adhærent Deo: quoniam omne vitium naturæ nocet, ſatis manifeſtatur Deum tam bonã eorum creaſſe naturam, cui noxium ſit non eſſe cum Deo*. Similia habet cap. 6. eiuſdem libri, vbi per extenſum de peccato, & miſeria malorum Angelorum diſserit: cum S.P. ſenſit eius diſcipulus S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 3. Similia habet S. Gregorius lib. 25. Moralium cap. 5. Et ex hoc principio tam S. Fulgentius in dicto lib. c. 23. quam S.P. lib. 3. contra Maximinũ colligunt, quod cuicumque creaturæ rationali præſtatur, vt peccare non poſſit, non eſt naturæ propriæ, ſed gratiæ; quod S. P. ibi ſic exprimit: *Accedite ad eum, & illuminamini, niſi quia hoc nemo poteſt ſi de ſe quiſq; præſumpſerit, ſed ſi ipſe donauerit: Immortalitatem autem Deus habere dicitur ſolus, quia eſt immutabilis ſolus In omni enim mutabili natura nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea nõ eſſe quod erat:* eamdem doctrinam habent S. Ambroſius lib. 3. de Fide ad Gratianum cap. 2. S. Hieronymus in Commentarijs magnis Epiſtolæ ad Galatas cap. 6. & in Epiſtola 146. ante finem loquens de Angelis, & luminibus, & verſans illud Pſ. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*. [ait) *ſolus Deus eſt, in quem peccatum non cadit; cætera cũ ſint liberi arbitrij, iuxta quod homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt, in vtramque partem poſſunt ſuam flectere voluntatem*; & in hunc sẽſum explicat illud Epiſtolæ primæ ad Tim. cap. primo, vbi Deus dicitur Immortalis. Sic, & Elias Cretenſis in Orat. 3. & tandem S. Io. Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 3. Naziãz. quæ eſt prima Apologia in Iulianũ in illa verba, *Ad hæc quomodo dicit Quidquid enim creatum eſt mutationi ſubſit neceſſe eſt, id enim vnum extra mutationis aleam eſt, quod nihil habet à quo ſit creatum* : ex hac S. P. & aliorum PP. Doctrina; ſic arguo. Om- 8
nis creatura Intellectualis ex ſua natura eſt mutabilis, & in vtramque partem ſuam poteſt flectere voluntatem: Sed Angelus tam circà finem, & legem ſupernaturalem, quam circà naturalem eſt mutabilis, & ſuam poteſt in vtramque partem flectere Voluntatem: Ergò tam eſt peccabilis circa finem ſupernaturalem, quã circà finem naturalem. Dices hos 9
PP. loqui de creatura rationali libera; non verò de creatura rationali, quæ ex ſua natura ſit determinata ad vnum, qualem poſse produci à Deo, non videtur implicare; & huiuſmodi eſse Angelum ex natura ſua in ordine ad finem, & legem naturalem. Reſpondetur cum S. Hierony-

mo,

mo, locis cit. Creaturam rationalẽ (hoc ipso quod est rationalis] debere esse liberi arbitrij; nam ideò talis creatura ab eo dicitur facta ad imaginem, & similitudinem Dei; quia libero arbitrio dotata est: Præterea communiter docetur impossibile esse produci creaturam rationalem, quæ necessariò alligata sit ad vnam partem ex natura rei circa sua obiecta, quæ illi proponi possũt: Si enim non est animal irrationale, debet esse libera ex natura sua ad quodcumque genus obiecti; ac proinde hoc ipso quod minimam habet libertatis partem non potest circà virtutẽ, vel vitium, seu naturaliter, seu supernaturaliter loquendò esse determinata ex natura sua: sed solum, vel ratione status, & termini; vel ratione alicuius doni, & magni beneficij Dei. Nec dicas Deus est liberi arbitrij, & tamen circà Virtutem, & vitium, seu bonum, & malum morale non habet libertatem. Nam, vt dixi cum PP. supracitatis, est dispar ratio de Deo, & de creatura: Deus enim est immutabilis, & cum sit essentialiter bonus, & Sanctus, non potest transire de bonitate ad malitiam, & de Sanctitate ad Vitium, & peccatum, & præterea nullum habet superiorem, nec potest habere, cuius legi possit subdi, & eam transgredi: non sic est de creatura rationali, quę cũque illa sit; nam hæc eo ipso quod est creatura, est facta ex nihilo; & implicat contradictionem esse creaturam, & non esse ex nihilo factam; ac proindè non esse ex natura sua mutabilem circa quamcumque legem, vel finem: ac posse peccare tã circa legem supernaturalem, quam circa naturalem. Veritas hæc clarior fiet infrà ex solutionibus obiectionum Aduersariorum. Prob. 2. [10]
ratione illa suprà in principio huius dubij posita: Quia Angeli in statu suo naturali, pręciso quocumque alio habent liberum arbitrium subiectũ legi naturali: ergò possunt liberè, vel transgredi, vel obtemperare. Conf. Quia si Angeli non possent contra legem, aut finem naturalem peccare, Essent determinati omninò ad faciendum illud, quod lex naturalis dictat: Sed omne id quod est omninò determinatum ad aliquid faciendum non est agens liberum vt patet in omnibus illis quæ agentia naturalia idcirco nominamus, quia sunt determinata omninò ad vnum: ac proinde non liberè, sed necessariò operantur. Ergò Angeli non essent agentia libera in statu suo naturali, & in ordine ad legem naturalem. Prob. 3. quia Angeli in statu [11]
naturæ poterant deficere à suo fine naturali; cum haberent posse tendere per actiones liberas in illum, & posse non tendere. Ergò poterant contrà illum peccare. Probatur 4. [12]
quia sicut ab agente naturali aquiritur eius finis per actionem necessariam,

riam, ita ab agentibus liberis debet
acquiri per actionem liberam: Cum
vnaquęque creatura tēdat in finem
sibi proportionatum, & a Deo præ-
fixum: per actiones proportionatas,
& per quas est apta nata operari cir-
ca illum: Ergò si Angeli sunt agen-
tia libera, liberè debent acquirere
suum finem naturalem, & posse illū
consequi, vel ab eo deficere, quod
est idem, ac contra illum peccare.
13 Probant vltimo communiter Theo-
logi, qui hanc assertionem tuentur;
quia Cacodęmones de facto incitāt
homines ad omne peccatum etiam
contra legem naturalem. Ergò ex
se antè lapsum habebāt potentiam,
ad peccandum contra huiusmodi le-
14 gem: Respondent Aduersarij huic
argumento; posse quidem Angelos
peccare contra legem naturalem me
diatè, & concomitanter, non tamen
primò, & immediatè; quod explicāt,
& probant hoc modo. Finis natura-
lis Angeli est Deus, qui etiam simul
est finis supernaturalis eorum. Non
possunt autem Angeli recedere à
Deo, vt fine supernaturali, quin si-
mul recedant ab eo, vt fine naturali,
cum vtraque ratio finis sit in ipso: Er-
gò quoties peccant contra legem su
pernaturalem, peccant etiam con-
tra legem naturalem. Hoc tamen
15 effugium non soluit difficultatem:
Quia si Deus creasset Angelum in
puris naturalibus, quod non impli-
cat, iam tunc illum ordinasset solum
ad finem naturalem per legem pari-
ter naturalem; & in eo casu potuis-
sent transgredi illam legem, & ope-
rari contra illum finem non solum
mediatè, & concomitanter: sed
etiam primò, & immediatè; sed per
hoc quod Deus condens naturam
simul largitus sit ei gratiam non de-
struxit, nec abstulit ab eo potentiā il-
lam naturalē; sed illam perfecit: Er-
go adhuc potest id, quod potuisset
sinè gratia supernaturali, & conse-
quenter cum non implicet eum po-
tuisse in puris naturalibus, si in illis
creatus fuisset, immediatè transgredi
legem naturalem, nec etiam impli-
cabit, quod hoc posset in statu viæ,
esto haberet gratiam. Præterea, vel 16
Angelus ratione suæ naturæ habuit
potentiam peccandi contra legem
naturalem, vel nō habuit; si habuit:
Ergo potuit illa vti, nisi impediretur
ab aliquo statu, vel termino: (puta, à
sua beatitudine:) non solum media-
tè; sed etiam immediatè, & directè
faciendo contra aliquod pręceptum,
quod constat lumine naturali esse
seruandum; v. g. non faciendi alte-
ri, quod tibi nō vis fieri: in hoc enim
nullum est inconueniens; Si non ha-
buit: Ergo numquam potuit illa
vti, nec in via, nec in termino, & cō-
sequenter nec mediatè, nec imme-
diatè: quod nec etiam ipsi Aduersa-
rij admittunt. Nec officit quod in 17
Deo identificentur duæ illæ ratio-
nes finis naturalis, & finis superna-

tura-

turalis: nam etiam in eo identificantur duæ rationis obiecti naturalis, & supernaturalis: cum tamen possit à nobis cognosci intellectione naturali, & intellectione supernaturali, & possimus circa illum errare in cognitione naturali, quin erremus in cognitione supernaturali.

Dices primò S. P. N. relatum à Magistro sententiarum in lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 7. habere. *Talem Deus potuit hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec vellet, & si sic fecisset, quis dubitat, eum meliorem fuisse?* Ergò etiam potuit facere Angelum ex natura sua non potentem peccare: quod Confirmatur: quia non implicat creatura rationalis, cui lumen gloriæ, & gratia Sanctificans sint connaturalia, vt docent plures Theologi. Ergò nec etiam implicabit Angelos esse natura sua impeccabiles in aliquo genere; hoc est circa finem suum naturalem saltem directè, & immediatè. ℟. S. P. eo loco, à me, & ab alijs diligenter perlectum non habere verba illa, quæ citat Magister; sed solum ibi docere meliorem esse naturam creatam, quę nolit peccare, quam eam, quæ non solum potest, sed etiam vult peccare; Quod est omninò longè diuersum ab eo, quod dicit Magister, & intendunt Aduersarij. Verum dato, quod S. P. id diceret (quod tamen sicut non ibi, ita nec alibi puto eum asserere) loquendo ex natura rei cum tale Axioma non sit conforme principijs ipsius, vel se exponeret, vel esset exponendus ratione alicuius doni superadditi; sicuti se exponit cum loquitur de Christo Domino in lib. de Prædestinatione SS. cap. 15. vbi dicturus de eo. Quod *tanto magis libera erat voluntas eius, quantò magis peccato seruire non poterat* præmisit rationem ex dono Vnionis hypostaticæ, quia scilicet *ille homo à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus Filius Dei vnigenitus esset.* Ad Confirm. ℟. me in Controuersia De Incomprehensibilitate, & Visione Dei in dubio ad Axioma Septimum ostendisse implicare talem creaturam, cui sit conaturale lumen gloriæ, vel Gratia Sanctificans, & consequenter etiam implicare creaturam ex natura sua impeccabilem; vbi etiam aduerti Salas parte secunda Disput. 3. Sect. 2. appellasse contrariam sententiam periculosam, & reijciendam à scholis exemplo Vniuersitatis Salmaticensis, quæ non semel prohibuit eam.

Dices secundò: Quicumque diligeret necessariò Deum vt Authorē naturæ, non posset peccare contra legem ab eo latam. Sed Angelus in puris naturalibus hoc modo diligeret Deum: Ergò non posset peccare cōtra legem ab ipso naturæ Cōditore latam. Maior est certa, & in confesso apud omnes. Minor probatur:

batur: Quia Angelus, cognoscendo, & amando seipsum, necessario cognoscit, & amat Deum, vt Auctorē naturæ suæ. Sed non potest cessare à cognitione, & amore sui; Ergò nec etiam à cognitione, & amore Dei sub hac ratione formali Auctoris Naturæ. Respondetur hoc argumento solum probari, Angelum necessariò amare Deum, vt Auctorem suæ Naturæ in particulari; nō verò probare, quod illum amet necessariò, vt Auctorem totius naturæ; Et hoc erat probandum pro intento Aduersariorum: nam ex eo quod cognoscat, & amet necessariò suam naturā indiuidualem, sequitur solum, quod non possit peccare contra illam legē naturalem, quæ est de conseruatione sui, & nihil amplius: amor enim ille esset amor concupiscentiæ, non verò beneuolentiæ: Ac proindè nō sequitur, quod non possit peccare contra Deum, vt Auctorem totius naturæ, & contra legem naturalem ab eo latam. Præterea non est omninò certum, quod Angelus in puris naturalibus non possit cessare à cognitione, & dilectione sui; vel quod idem est, quod necessariò cognoscat, & diligat seipsum; Quod enim hoc habeat in Patria, est ex vi Visionis Beatificæ, & Amoris Beatifici, quo diligitur Deus, & omnia propter Deum; At quod in puris naturalibus necessariò exerceat illos actus, ex nullo capite euidenter probatur.

Dices tertiò cum Durando in secundo Dist. 23. quæst. prima: Voluntas nequit deficere nisi in intellectu præcedat aliquis defectus: Sed hic defectus, vel est actualis consideratio de aliquo obiecto, quod vel non conuenit appetere, vel non eo modo, quo intellectus illud proponit; vel est actualis inconsideratio de eo, quod intellectus potest, & debet aduertere; vel est aliqua ignorantia vincibilis; vel deniquè aliquis error positiuus contra aliquam Veritatem ab ipso cognoscibilem. Sed Angelus non potest habere huiusmodi defectus circa naturalia, licet possit illos habere circa supernaturalia. Ergò non potest peccare contra legē naturalem, licet possit peccare contra legem supernaturalem. ℞. quod licet moraliter, & vt in pluribus res ita se habeat, vt ferè nullus peccet, nisi adsit defectus, vel error in intellectu; nihilominus non probatur sufficienter, semper hoc contingere, & numquam oppositum euenire; immò à priori ostenditur, vel etiā (fortè) demonstratur oppositum: Voluntas enim libera habet dominium supra suos actus; ita vt possit illos ponere, vel non ponere, vel ponere oppositum iuxta diuersitatem obiectorum, & statuum in quibus talis Voluntas reperitur. Ergò voluntas puræ creaturę, quę est viatrix (de hac enim loquimur in præsenti) cū ex se possit agere si vult, & non agere

re pro suo libito: poterit vrgente præcepto naturali, vel negatiuo, vel positiuo agere contra illud, vel ponendo actum, quem non debet ponere, vel non eliciendo illum, quem tenetur elicere; etiam positis quibuscumque requisitis ex parte intellectus; nam hoc est de ratione Dominij potentiæ liberæ. Dices ex lib. Prouerb. c. 14. habetur. *Errant, qui operantur malum*. Ergò omnis operatio peccaminosa supponit errorem in intellectu. ℞. id non semper accipi de errore intellectus; nam licet sit verum, quod hoc vt plurimum contingat; nihilominus ad veritatem prædictæ sententiæ sufficit, quod voluntas erret, licet non erraret intellectus: Nam communiter dicimus, illum errare, qui deflectit à rectitudine, siuè à regula recta sibi præscripta; voluntas autem sic potest deficere à regula bonitatis, sicut potest intellectus deflectere à regula veritatis; Et consequenter tam voluntas, quam intellectus possunt errare. Et hæc etiam si nullus error, vel defectus præcedat in intellectu, vt est manifestum in illis, qui peccant ex mera malitia. Plura, & diffusè exposita de hoc puncto habes apud recentiores. Mihi sat est difficultatis nodum soluisse.

21

22 Dices quarto: Angelus in puris naturalibus non potest non cognoscere, & non diligere suam Beatitudinem naturalem, quæ consistit in ipsa naturali cognitione, & amore Dei: Ergò naturaliter nō potest peccare in illo statu contra illum finem. Antecedens probatur; quia in illo statu non potest esse miser, aliàs non esset in puris naturalibus: Sed eo ipso, quod cessaret à cognitione, & amore naturali Dei, esset miser: Ergò non potest ab illis cessare, & consequenter nec etiam cessare à sua naturali beatitudine. ℞. quod ad summū Angelus necessariò amaret Deū, vt Auctorem sui, non verò, vt Auctorem totius naturæ: huius enim amoris sub hac ratione nulla est necessitas in Angelis in puris naturalibus consideratis. Ideo enim amaret Deum, quia amaret seipsum, & suipsius conseruationem, quæ pendet à Deo; qui amor, cum sit amor concupiscentiæ, non verò beneuolentiæ, vt supra dictum est in Responsione ad secundam obiectionem, non pertinet ad Beatitudinem Angeli, quā posset habere in statu puræ naturæ; nam talis beatitudo consistit in libera contemplatione, & amore beneuolentiæ, & amicitiæ Dei tamquam vltimi finis totius naturæ: quam nō possunt demonstrare aduersarij, necessariò esse in Angelis.

Dices quintò: Angelus naturaliter amat necessariò suam beatitudinem naturalem etiam quoad exercitium. Ergò non potest peccare cōtra legem, aut finem naturalem primò, & immediatè. Antecedens est 23

in

in confessò ferè apud omnes: cum bonum, & bonum sui non possit nõ amari, & cum necessariò cognoscatur ab Angelo etiam in puris naturalibus, quoad exercitium necessariò etiam amabitur. Consequentia probatur ex eo, quod qui diligit necessariò finem; diligit etiam necessariò media requisita ad conseruationem talis finis. Sed rectitudo omnium actionum liberarum requiritur ad conseruationem beatitudinis naturalis: Ergò Angelus necessariò sẽper rectè agit in naturalibus. ℞. negando antecedens quoad necessitatem exercitij; nam per liberas solũ actiones acquirit Angelus beatitudinem naturalem; ad probationem pariter negatur antecedens, quoad necessitatem exercitij; cum enim sit liberæ naturæ, pro suo libito posset elicere, vel non elicere illos actus cognitionis, & dilectionis naturalis; tãto magis, quod in illo statu cognitio illius de Deo quæcumque esset, non esset intuitiua; sed abstractiua: Quapropter sicut per liberas actiones acquireret beatitudinem naturalem, ita etiam per similes actiones eas ammittere posset.

24 Aduerte quod cum loquimur de beatitudine naturali, loquimur in ampla, & lata significatione beatitudinis, sub qua comprehenditur etiam illa felicitas, qua fruuntur iusti in hac vita, dum rectè agunt; de qua in Psalmo 118. dicitur. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*: nam de vera propria, & rigorosa beatitudine loquendo, de qua suo loco agendum est, vidẽdum erit, an ex Principijs Doctrinæ S. P. possit esse naturalis.

25 Dico secundo cum communi omnium Theologorum Sententia certum esse, posse Angelum Viatorem secundum potẽtiam naturalem peccare contra pręcepta supernaturalia. Hæc assertio manet probata ex supradictis. Si enim potest peccare contra finem, & legem naturalem; etiam à fortiori potuit peccare contra finem, & legem supernaturalem: Probatur etiam peculiari ratione: Quia Angelus ex solis suis potentijs naturalibus non habet vires sufficiẽtes ad implenda præcepta supernaturalia; cum ista non impleantur nisi per actus excedẽtes vires naturales; hoc enĩ sonat illa vox, supernaturale: Et cõsequẽter indiget gratia Dei, vt illa possit implere. Sed huiusmodi gratia non tollit potentiam peccandi; cum non imponat necessitatem operandi; Vndè habens gratiam, sicut potest operari id, quod præceptũ est, ita potest non operari illud: Ergò potest peccare.

26 Dices si esset vera hæc doctrina, melius esset non habere illam gratiam, quam illam habere; Sed hoc est inconueniens; Ergò & id vndè sequitur. Probatur sequela; quia si non haberet illam gratiam, non posset peccare, sicut nõ posset seruare præcepta; Et consequen-

quenter illa non obseruando, nō peccaret: quia vbi non est potentia ad obseruantiam, inobseruantia non est culpabilis. Sed est melius, non posse peccare, quam posse peccare: Ergò esset melius non habere illam gratiam, qua homo fit potens ad pec-
27 candum, quam illam habere. Confirmatur Auctoritate S. P. qui in libro de Correptione, & Gratia cap. vndecimo loquendo de Gratia siuè adiutorio *sinè quo*. concesso Angelis viatoribus; & homini primo in statu innocentiæ: dicit *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quam primum facti sunt, defuisset, quoniam talis natura facta erat, vt sinè Diuino adiutorio non posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sinè quo manere non possent* hic S. P. iam docet, quod sinè illo adiutorio si Angeli cecidissent *non sua culpa cecidissent*. Ergò melius est, non habere illam gratiam, quam illam habere; cum sinè hac careat, & culpa, &
28 potentia ad illam. ℟. hoc argumento nimis probari, & propterea nihil probari: Nam si hoc argumentum concluderet in præsenti, concluderet etiam irrationabilia, immò, & insensibilia esse meliora, & perfectiora hominibus, & Angelis: quia illa nec peccant, nec possunt peccare, cū non sint Agentia libera; & homo, & Angelus viator possunt peccare: quod tamen nullus admittit. Sic est in præsenti; Vndè ad argumentum directè respondendo, nego antecedens: Ad probationē negatur, quod per gratiam fiat potens ad peccandum: licet enim gratia det posse operari rectè, & supernaturaliter, nō tamen dat posse peccare: Sed supponit. Exemplum sit in aqua, quæ cū est calefacta potest se reducere ad suam pristinam frigiditatem; ex quo tamen non sequitur, quod illam potentiam se reducendi ad frigiditatē habeat à calore, vel calefactione. Estò si non haberet illum calorem; non posset, se reducere ad frigiditatem: Quapropter calor ille non est ratio formalis, & causalis; sed est solum conditio, qua non posita, non posset aqua se reducere ad frigiditatem: hæc tamen potentia præsupponitur. Sic est in præsenti; antecedenter ad huiusmodi gratiam voluntas libera, & viatrix est potens non operari rectè quodcumque præceptum est; cum quo tamen stat, quod si nō operetur rectè, eò quod non potest, non sit nec imputetur ei ad culpam; at si habeat potentiam; qualis est illa quæ supponitur habere in præsenti casu per gratiam, & non operetur id, quod præceptum est, iam talis non obseruantia sit peccaminosa, & imputetur ei ad culpam; non ex eo, quod gratia dederit illi posse non obseruare; Nam hoc habebat ante; Sed ex eo quod cum posset operari rectè, noluit; quod non prouenit

uenit ex gratia; sed ex sua libertate, & malitia; & per hæc satisfactum est etiam ad confirmationem ex Doctrina S. P. Dixi secundum potentiam naturalem; Nam creaturam Intellectualem posse fieri impeccabilẽ per gratiam, communiter admittitur à Theologis, vel per peculiarem Dei assistentiam, vel per visionem clarã Dei; vel per Gratiam vnionis hypostaticæ. Primus modus admittitur etiam à Scoto: alij duo habentur apud D. Thomam prima secundæ qu. 4. art. 4. & 3. p. quæst. 16. artic. primo, quos communiter admittunt etiam alij DD. exceptis Durando, & Scotò; de quibus suo loco.

Disputant hic aliqui, an possit à Deo produci creatura intellectualis, & libera, quæ sit impeccabilis per naturam. Partem negatiuam amplector consequenter ad ea, quæ dixi in Controuersia de Incomprehensibilitate, & Visione Dei: in Dubio ad Axioma Septimum: illę enim rationes, quæ probant non posse dari intellectum creatũ, cui sit connaturalis Visio Beatifica, & lumen gloriæ, vel quæ per sua naturalia præcisè videat Diuinam Essentiam intuitiuè; eędem probant non posse dari creaturam liberam, quæ sit per natura suam impeccabilis.

AXIOMA SECVNDVM.

Peccauit Diabolus ab initio.

Ex Lib. vndecimo de Genesi ad litteram cap. 23.

QVod putatur numquam Diabolus in veritate stetisse, numquam cum Angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio defecisse, non sic accipiendum est, vt non propria voluntate deprauatus, sed malus à bono Deo creatus putetur, alioquin non ab initio cecidisse diceretur. Neque enim cecidit, si talis est factus; sed factus continuo se à luce veritatis auertit superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus, &c. Proinde nec sui casus præscius esse potuit, quoniam Sapientia Pietatis est fructus. Ille autem continuò impius, consequenter & mente cæcus, non ex eo, quod acceperat cecidit, sed ex eo, quod acciperet, si subdi voluisset Deo, quod profectò quia noluit, & ab eo, quod accepturus erat cecidit.

DV-

DVBIVM

Vtrum Angelus in primo instanti peccare potuerit.

30 PRemitto primo fide Sanctum esse Diabolum non esse ex natura sua malum. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona vt hab. Gen. primo quod etiā suadet ratio illa S. Thomæ prima parte qu. 63. art. 4. vbi docet illud quod est à natura ordinatum ad bonum vniuersale non inclinari ad malum. Ratio enim propter quam aliquid inclinatur ad malum saltem per accidens est quia ordinatur ad bonum particulare, cui potest esse coniuncta ratio mali, quemadmodum igni, qui natura sua est bonus, coniuncta est ratio consumptiui. Cumque Angeli fuerint ordinati à Deo ad bonum vniuersale; hoc enim est obiectum tā intellectus, quam voluntatis eorum, idest primarium; manet non inclinari naturaliter ad malum, & consequēter nec etiam esse malos naturaliter, aut substantialiter; cum inclinatio sequatur entitatem, & naturam rei. Propterea inter manichæorum errores deputatur hoc, quod est, Diabolum natura sua esse malum; de quo agēs S. P. N. lib. vndecimo de Ciuitate Dei cap. 13. aduertit aliud esse dicere quod Diabolus *ab initio suæ conditionis in veritate nō steterit, & ideo numquam cum Sanctis Angelis beatus fuerit*; &c. idest *ab initio Diabolus peccat, hoc est, ex quo creatus est, iustitiam recusauit*. & aliud dicere, quod *Diabolus habeat naturam mali*, nam qui primum asserit, dicit, *quod non cum illis hæreticis sapit idest manichæis, & si quæ aliæ pestes ita sentiūt, quod suam quandam propriam, tamquam ex aduerso quodam principio Diabolus habeat naturam mali*. Et cū hæretici isti abuterentur textibus illis S. Io. in Euang. cap. 8. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*; & Epistolæ primæ cap. 3. *Ab initio Diabolus peccat*. acutissimè ibi obseruauit S. P. deceptionem illorū his verbis. *Qui tanta vanitate desipiunt, vt cum verba ista Euangelica in Auctoritate nobiscum habeant, non attendant non dixisse Dominum. A Veritate alienus fuit: sed in veritate non stetit, vbi à veritate lapsum intelligi*

ligi voluit, in qua vtique si stetisset, eius particeps factus, beatus cum Sanctis Angelis permaneret. eumdem errorem improbat etiam per extensū libro vndecimo de Genesi ad litteram cap. 20. 21.& 23. ex quo axioma præsens desumptum est. Præterea S. Leo Primus Epist. 91. quæ est ad Turibium Asturicensem Episcopum capit. 6. impugnando hæreses Priscillianistarum, qui inter cæteras asserebant Diabolum numquam fuisse bonum, nec naturam eius opificium Dei esse, sed cum ex Chao, & tenebris emanasse, quia nullum sui habeat Authorem, sed omnis mali sit ipse principium, atque substantia. Videantur Alphonsus a Castro contra hæreses v. Diabolus. hær. p. Prateolus. v. manichæi nu. 8. & v. Priscillianus nu. 5. & noster Leonardus Coquæus in Comment. lib. de Ciuitate Dei lib. 11. cap. 14. ad illa verba S. P. *Non cum illis hæreticis sapit, idest manichæis.*

91 Præmitto 2. certum etiam esse apud Catholicos, Angelum non peccasse in primo instanti suæ creationis: colligitur hoc ex multis Sacræ Scripturæ locis; & p. ex illo Gen. cap. p. supra rel. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* secundo ex illo Isaiæ c. 14. v. 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.* 3. ex illo Ezechiel. cap. 28. v. 12. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore In delicijs Paradisi fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum* 4. ex Epistola S. Iudæ Apostoli, vbi dicitur Angelos non seruasse suum principatum, sed reliquisse suum domicilium; quod intelligitur de principatu gratiæ. Cum enim in Dæmonibus, iuxta Doctrinam S. Dionysij, naturalia remanserint integra, naturalem etiam principatum retinuerūt, & confirmari potest auctoritate S. Leonis in Epistola 91. supra citata, in qua anathematizat eos, qui dicunt Diabolum non fuisse prius bonum. Idem docent communiter Scholastici cum Magistro sententiarum in libro secundo Dist. 4. inter quos S. Bonauentura ibi ait oppositam sententiam proximè ad hæresim accedere. His igitur, vt certis suppositis, Tota quæstio Scholastica est de possibili; & hoc absolutè, non verò conditionaliter tantum; nam ad veritatem conditionalis non requiritur veritas antecedentis, vel consequētis; sed sufficit necessaria vnius ad alterum habitudo, & ideo etiam conditionaliter loquendo S. Thomas in Tertio. Dist. 12. quæst. 2. artic. p. in corp. docuit quod Christus potuisset peccare si voluisset, immo, & in Prima Parte quæst. 25. art. 3. in ℟. ad secundum ait, quod dictum illud Philosophi lib. 4. Topic. cap. 2. *Potest Deus, & studiosus praua agere, intelligitur sub conditione, cuius antecedens sit impossibile, vt puta si dicamus*

mus, quod potest Deus praua agere, si velit. & subdit *Nihil enim prohibet conditionalem esse veram, cuius antecedens, & consequens est impossibile.* Pro pleniori intelligentia recolendū est ex eodem S. Doctore in præcitata dist. & qu. art. 2. Actum ad potētiam dupliciter se habere primò tamquam formam, à qua specificatur: secundò tamquam effectum, qui ab ipsa efficienter egreditur; Et cum hæc distinctio habeat locum solum in actibus, ad quos potentiæ per se ordinantur, a quibus propterea specificantur; non posse liberum arbitrium nec in Angelo, nec in nobis dici potentiam peccandi; Liberum enim arbitrium, neque simpliciter, neque vt in nobis, respicit malum, vt id, à quo specificetur, neque per se est ordinatum ad illud, sed ad bonū; malum enim, seu peccatum incidit ex defectu illius, Quapropter cum quærimus vtrum aliquis habeat potentiam peccandi, non est sensus, an habeat liberum arbitrium; sed vtrū habeat illud ordinatum ad peccandum, ita vt peccare possit; & hoc quod in præsenti quæritur de Angelo. Preterea aduertendum est dupliciter posse summi potentiam peccādi; primo ita vt illa particula *peccandi*, sit gerundium impersonale, & idem sit potentia peccandi, ac potētia illa, qua peccatur. Secundo ita, vt illa particula *peccandi*, sit gerundium personale, & idem sit, ac potētia ordinata ad peccandum in eo, in quo est. Dubitatio præsens non est de potentia peccandi primò modo sumpta. Sed solum posteriori; nam ex S. Tho. loco citato etiam in Christo fuit potentia peccandi primo modo sumpta, non verò secundo modo. Ex quo in Responsione ad secundū colligit, quod Liberum arbitrium absolutè, & simpliciter, ac propriè, & in rigore loquendo non potest dici potentia peccandi nisi in illis, qui peccare possunt. Quibus circa quæstionis sensum positis, & explicatis duæ sunt DD. sententiæ celebres.

Prima est Scoti in secundo dist. 5. q. 2. Maironis ibid. qu. 3. art. 2. Bassolis qu. 1. Maioris q. 3. Okami Quodlib. 2. qu. 6. nostri Gregorij Ariminensis in secundo. Dist. 5. qu. p. art. 2. quos postea sequuti sunt Molina, Valentia; & alij recentiores asserentes Angelum in primo instanti potuisse peccare, & consequenter habuisse potentiam peccandi. 32

Secunda sententia est negatiua, quam docuit S. Thomas prima parte qu. 63. art. 5. & qu. 16. de malo art. 4 & in secundo Dist. 3. quem postea sequuti sunt noster Ferrariensis lib. 3. contra Gentes. Caietanus in Commentarijs primę partis ad citatam quæst. & articulum; & communiter omnes alij Thomistæ tam antiqui, quam recentiores. Extra Scholam S. Thomæ eam docuerunt Alex. Alensis in secunda parte suæ summę 33

quæst.

quæst. 2. memb. primo art. 2. noster Thomas de Argentina in secundo Dist. 6. Durandus Dist. 5. & Henricus Quodlib. 8. quæst. 10. & communiter censetur probabilior. Propterea.

Dico Angelum in primo instanti creationis non potuisse peccare. Prob. primò communiter à posteriori ratione desũpta ex Angelico Doctore locis citatis. Quia scilicet tale peccatum tribueretur Deo. Hac ratione videtur vti etiam S. P. lib. vndecimo de Ciuitate Dei cap. 15. ad probandum quod Diabolus in primo instanti non peccauit ibi enim ait. *Illud quod* ait de *Diabolo Ioannes: Ab initio Diabolus peccat: non intelligunt Si naturale est, nullo modo esse peccatum*, & adductis testimonijs Ezechielis cap. 28. & Epistolæ S. Io. cap. 3. supra relati, & Iob. cap. 40. vbi ait: *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis suis*: & Psalmi 103. *Draco iste quem finxisti ad illudendum ei*. concludit non sic intelligendũ esse, *vt existimemus talem ab initio creatum, cui ab Angelis illuderetur, sed in hac pœna post peccatum ordinatum: Initiũ ergo eius figmentum est Domini: Non enim est vlla natura, etiam in extremis, infirmisque bestiolis, quam non ille constituit, à quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo: sinè quibus nihil rerum inueniri, vel cogitari potest, quanto magis Angelica natura.* Vbi vt obseruat noster Coquæus, docet vt probabilius, Diabolum ab initio bonum fuisse, & expertem omnis culpæ. Quibus positis: aliqui DD. Eam rationẽ vt à S. Thoma in præsenti sic explicant allatam ad negandũ pro eo p. instanti potuisse Operatio, quæ incipit omninò esse potentiæ, siuè naturalis, siuè moralis, & consequenter naturæ illius, cuius est talis potentia tribuitur Authori ipsius; sed operatio sequens esse voluntatis, vt voluntas est, idest vt Domina suorũ actuum est. & libera. Ergò talis operatio sequens voluntatem, vt voluntas est in eo instanti in quo volũtas primo habet esse, quod est in instanti suæ creationis debet tribui Deo Ergo talis operatio libera non potest esse mala, quin tribuatur Deo vt Authori; maior, & consequentia probantur, quia Dei perfecta sunt opera; Sed perfectio cuiuscumque rei cõsistit in tribus; idest in Essentia, virtute, & operatione; Operatio enim siuè sit naturalis, siuè moralis, & libera, semper est manifesta, & actualis expressio bonitatis, & perfectionis naturæ. Deus autem non solum est Author in primo instãti creationis esse Voluntatis, vt natura est, quod est esse naturale; sed etiam, vt voluntas est, quod est esse morale, hoc enim modo est voluntas hominis, vt homo est, cuius vt sic Deus est Author; & hoc est, quod ait S. P. loco mox citato, cum dicit Angelum

gelum

gelū non peccasse in primo instanti, eo quod sit conditus a Deo Optimo omnium creaturarum conditore, *a quo est omnis modus, omnis species, & omnis ordo*. quasi dicat, quod si peccasset peccatum illud, quod fuisset contra ordinem debitum, & consequenter tributum fuisset ipsi Deo.

35 Confirmatur hæc ratio, quia prima operatio, incipiens cum re, cuius est, sequitur inclinationem naturæ illius, quæ non manifestatur nisi per suas operationes, & maximè per primam. Sed inclinatio naturæ intellectualis integræ non potest esse ad malum, & præsertim in primo instanti sui esse. Ergo prima operatio illius, vt Intellectualis est, qualis est operatio libera, non potest esse ad malum.

36 Hæc ratio sic explicata est valde plausibilis in Scholis, & præcipuè discipulorum D. Thomæ. Sed patitur difficultatem in eo, quod asserit operationes primas etiam morales, & liberas tribuendas esse Authori illius naturæ, cuius sunt operationes. non enim apparet vnde hæc assertio sumat certitudinem. posito enim quod Deus condiderit naturam Angelicam liberam, quod est idem, ac condidisse illam naturam Dominam suorum actuum cum indifferentia actiua ponendi, vel non ponendi tales actus; non apparet necessarius nexus operationis malæ liberæ cum Authore illius naturæ. Licet enim appareat in operatione prima naturali & necessaria, si esset mala, & defectuosa, quia hæc esset proueniens à causa defectuosa, quæ cum primo tunc existeret, non potuisset esse sibi causa illius defectus in ratione principij; & consequenter deberet esse ab Authore illius Causæ. Hoc ta- 37
men non habet locum in causa creata libera, quæ cum sit Domina suarum operationum, sicut est potens operari, & non operari; ita etiam potest operari benè, vel male etiam in prima sua operatione, prout illi placuerit. Demus enim, quod in primo illo instanti habuerit præceptum eliciendi actum amoris, si est libera, nō video cur non potuerit ommittere illum actum liberum, & consequenter in illo primo instanti peccare.

Dices esse doctrinam S. Anselmi 38
in libro de casu Diaboli cap. 12. Angelum non potuisse habere à se primam voluntatem; seu volitionem; eo quod, vt quis dicatur mouere seipsum ad aliquam volitionem, non sufficit, quod eliciatur actus ab ipsa voluntate, ad quam se ipsam mouere dicenda est; sed est necesse omninò, quod prius habeat alium actum voluntatis, ex quo seipsam moueat ad sequentem; ait enim ibi: *Quod ergò nihil vult, nullo modo potest se mouere ad volēdum*. Et ex hoc capite colligit primam volitionem Angeli esse à Deo de quo argumento agit etiam capitibus sequentibus idest 13. & 14.

Re-

Respondeo hanc doctrinam non carere suis difficultatibus, vt enim obseruauit Henricus Quodlib. 8. qu. 10. non videtur esse necessarium, vt voluntas dicatur mouere seipsam, vt praecedat alia voluntas, virtute cuius impellat seipsam; Immò exemplum illud de visione, & potentia visiua, quod sibi obiecit eo loco S. Anselmus, videtur militare contra ipsum; nam potentia visiua dicitur mouere seipsam ad videndum, non virtute alicuius prioris visionis; sed per hoc tantum, quod in singulis suis operationibus est principiū illarum, & operationes ipsæ videndi sunt ab ipsamet potentia visiua, vt à principio. Propterea Scotus in Librum secundum sent. Dist. 5. qu. 2. docuit primam operationem non minus esse à voluntate seipsam mouente, quam reliquas, cum omnes procedant eodem modo à Voluntate, vt ab efficiente. Si dicas ad illam primam operationem debere præcedere præuium influxum, seu concursum Causæ primæ, cum quo non potest componi peccatum, licet simul cum illo stet potentia ad peccandum; iam non unam aliam rationem adducis diuersam ab illa S. Thomæ, de qua infra. Propter hæc, & alia multa, censeo prædictam rationem non excedere limites probabilitatis.

Probatur secundo: ab alijs à priori, quia omne peccatum oritur, vel ex defectu rectæ voluntatis in effectu, vel ex defectu intellectus, siuè sit error, siuè ignorantia, siuè inconsideratio; sed in primo instanti creationis nullum potuit Angelus habere huiusmodi defectum: ergò non potuit in eo peccare. Maior prob. ex doctrina S. Thomæ, quam habet lib. 2. Physic. Lect. octaua, vbi dicit, quod nihil ad vtrūlibet exit in actū, nisi per aliquid determinetur ad vnum; quia id, quod est ad vtrumlibet, est sicut ens in potentia: principium autem agendi non est pura potentia nudè sumpta, sed per aliquid actu determinata, siuè constituta in ratione principij actualis. Et Volūtas ex vi cognitionis ostēsiuæ vtriusque partis, est solum ad vtrumlibet; Ergò ex vi illius non potest magis se determinare in vnam partem quam in aliam, & consequenter nec etiam tunc peccare. Vt igitur determinetur ad partem, in qua est peccatum, debet ab aliquo principio deficiente determinari. Minor probatur ex eo, quod primò non potuit esse defectus ex parte voluntatis; hic enim oritur, vel ex habitu prauo, vel ex aliqua passione, quæ non potuerunt habere locum in Angelis in primo instanti creationis; habitus enim prauus fit ex frequentatis actibus, & passio excitatur solū ab aliquo præuio, quod prius apprehendatur aliqua cognitione, vel sensitiua, vt in animalibus, vel intellectuali, vt in spiritibus. Dices potuisse oriri ex ipsa volunta-

luntate posita cognitione indetermi nata, & ostensiua obiecti, in ordine ad quod voluntas dicitur, & est potentia libera. Cõtra est primò, quia libertas voluntatis, vt sic solum importat in Voluntate potentiam cũ indifferentia ad plura, quæ vt sic nõ est principium partis determinatæ, vt dictum est. Secundò, quia Voluntas, qua libera præcisè non est ad malum; & quando est ad illud diuerso modo se habet, ac se habeat ad bonum: nam vt docet Angel. Doctor tertia parte quæst. 34. art. 3. ad primum. Voluntas ad bonum se habet per se, & secundum naturã, ad malum verò per accidens, & præter naturam, quod probat ibi Auctoritate Philosophi lib. 2. de Cælo textu 18. vbi docet id, quod est per se, & secundum naturam, esse prius eo, quod est præter naturam: Ergò in primo actu nõ potest voluntas, quantum est ex parte sui, tendere in ma-
40 lum. Nec ex parte intellectus potuit esse defectus erroris, vel ignorantiæ, aut inconsiderationis; Nam in primo instanti fuit creatus Angelus cum habituali, & actuali consideratione rerum tam in vniuersali, quam in particulari, tam respectu finis, quam respectu mediorum, quorum cognitio requirebatur ad rectè deliberandum de vltimo fine; pertinebat enim ad Diuinam Prouidentiam conferre illi cogitationem illã, quæ conferret ad ostensionem Diuinæ Bonitatis in perfectione integra Angeli, vt est creatura Intellectualis, & in primo genere nobilitatis inter omnes alias creaturas, & consequenter collata cognitione tali ostensiua obiectorum propter libertatem actionis ipsius voluntatis, debebat Deus prouidere de medijs, & motiuis, quæ inducerent maiorẽ cogitationem, & attentionem circa partem contradictionis, in qua non est peccatum; quam circa illam, in qua est peccatum. Confirmant to- 41
tum hunc discursum p. ex eo, quod habere potentiam peccandi est habere liberum arbitrium ordinatum ad peccandum, vt supra dictum est; sed hunc ordinem non habet voluntas ex prædicta cognitione ostensiua obiectorum; nam per ordinem ad hanc, Voluntas solum dicitur liberum arbitrium, quod vt sic non significat potentiã ordinatam ad peccandum, alias etiam in Christo Domino fuisset, in quo fuit voluntas cum illa cognitione. Præterea, 42
quia vt docent plures Theologi, Voluntas non est causa peccandi nisi in potentia cognoscente præcedat aliquid aliud, per quod debet reduci in actum; & sic in nobis reducitur per motus præcedentes, primò quidem partis sensitiuæ, consequenter verò rationis; nec potest dici, quod voluntas habeat illum ordinem ad peccandum propter easdem rationes, propter quas est libera in agen-

do; nam propter hæc habet potius inclinationem ad bonum, quam ad malum, illud enim respicit naturaliter, & per se, istud verò per accidens solum, vt dictum est; Ergò cũ est ordinata ad malum, hoc habet per aliquid aliud, idest per aliquem defectum præcedentem, vel per principium defectuosum; quorum neutrum potest in Angelo assignari in primo instanti, vt dictum est.

AXIOMA TERTIVM.

Angeli peccare possunt diuersis modis.

Ex Lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23.

QVoniam creberrima fama est multique se expertos, vel ab eis qui experti sunt de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant Syluanos, Panes, & Faunos: quos vulgo incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus, & earum appetisse, ac peregisse concubitum: & quosdam Dæmones quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam, & tentare, & efficere plures, talesque asseuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur, non hic audeo aliquid temere definire: vtrum aliqui spiritus elemento aereo corporati [nam hoc elementum etiam cum agitatur flabello, sensu corporis, tactuquè sentitur) possunt etiam hanc pati libidinem, vt quomodo possint, sentientibus fæminis misceantur. Dei tamen Angelos Sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse crediderim: nec de his dixisse Apostolum Petrum. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit &c. sed potius de illis, qui primum apostatantes à Deo cum Diabolo principe suo ceciderunt; qui primum hominem per inuidiam serpentina fraude decepit.

Du-

DVBIVM.

Quibus modis potuerint Angeli peccare, & quo genere peccati de facto peccauerint Dæmones.

CIrca primam partem dubij tria præcipue sunt disputanda: Primum est quo genere peccati potuerint Angeli peccare: Secundum est ex quibus causis: Tertium supposito quod diuersimode potuerint peccare; quo ordine hoc potuerit contingere; idest quonam genere peccati prius peccare potuerint, Singula breuiter totidem Conclusionibus ex Doctrina D. Thomæ resoluam; propterea,

Dico primo: Omnia peccata quoad reatum culpæ potuisse esse in Angelis; idest causaliter, & quoad malitiam non verò formaliter: quo ad actũ propriũ, & completũ peccati; Prob. quia tunc dicitur aliquod peccatum esse in aliquo secundum reatum, & non formaliter, quando aliquis contrahit culpam, siuè malitiam peccati, & tamen nõ elicit actũ proprium illius peccati. Vt fit in ijs, qui hortantur alios ad peccandũ, vel approbant eorum peccata, licet nec eliciant actum formalem, & completum talium peccatorum. Sed Angeli possunt suadere, & hortari alios ad omne genus peccati; ergò possunt contrahere reatum, siuè obligationem culpę omnium peccatorũ. Quo casu licet actus peccati illius proprius non sit formaliter in Angelis; malitia tamen, & reatus culpæ est formaliter in illis; huiusmodi sũt peccata quæ non nisi in corpore consumãtur; cum enim Angeli careant corpore consequenter nec possunt exercere actus illos corporeos, qui requiruntur ad constituendum formaliter actum completum illius peccati; quo sensu in Axiomate S.P. dicit se non audere temere definire, an quidam Dæmones peragant concubitum; quod tamen longe esse ab Angelis Sanctis, & eos sic labi nõ potuisse se credere ait. Vbi obiter aduerte S. P. in lib. Octauo pariter de Ciuitate Dei capite 4. videtur dubitasse; an essent incubi, & succubi Dæmones. Verum hoc loco asserit esse adeo certum, vt impudẽ-

tia negari non possit; de quo vide Martinum Del Rio lib. 7. Disq. Magic. qu. 15. Sententiam hanc S. P. sequuti sunt Alexander Alensis prima parte suæ summæ qu. 78. S. Thomas, S. Bonauentura, Scotus, Durandus, & Gabriel in secundo Dist. octaui; Abulensis in cap. sextum Genesis quæst. octaua, & in cap. 7. Exodi quæst. 12. De quo vide S. Thomam prima parte qu. 51. artic. 3. ad Sextum. Quo posito videtur etiam huiusmodi peccata carnalia posse, & de facto esse non solū quoad reatum; sed etiam actu, & formaliter, ac completè in huiusmodi spiritibus. Verum respondent communiter prædicti scholastici, & cum eis communiter alij: hæc non exerceri à Dæmonibus per corpus propriū, & Organa vitalia, cum illis careant; sed per corpus assumptum ex aere, & elemento, vt indicat etiam hic S. P. & per semen decisum ab aliquo viro, quod postea transferant in fæminam; ac proinde eos, qui generantur per huiusmodi concubitus non esse dicendos filios Dęmonis; sed illius a quo semen est decisum, vt docet S. Thom. Quodlib. 6. artic. octauo ad Sextum; quo sensu etiam S. P. lib. 3. de Trinitate cap. 9. dixit. *Adhibere autem forinsecus causas accidētes quæ tametsi non sunt naturales, tamen secundum naturam adhibentur, vt ea quæ secreto naturæ sinu abdita continentur erumpant, & foris creantur quodammodo explicando mensuras, & numeros, & pondera sua, quæ in occulto acceperunt, ab illo qui omnia in numero, & mensura, & pondere disposuit, non solum mali Angeli, sed etiam mali homines possunt, sicut exemplo agricolturæ supra docui.*

Dices S. P. non solum corpora assumpta Dæmonibus concessisse; sed etiam corpora vera, & realia, ex quibus physicè sint composi i, nam in lib. 3. de Gen. ad litteram cap. 10. ait. *Quapropter, & si Dæmones aerea sunt animalia, quoniam corporū aereorum natura vigent: & propterea morte non dissoluuntur, quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum, quam ad patiendum est aptius.* ℟. S.P. hic loqui non ex sententia propria; sed illorum Philosophorum Platonicorum, quorum sententiam in principio capitis præcedentis narrat his verbis. *Nec ignoro, ita quosdam Philosophos suā cuiusque elementi distribuisse animalia, vt terrena* &c. *Aerea vero animalia dæmones esse*, & posita supradicta sententia de corporibus aereis dæmonum subiungit, *Si ergo hæc ita sunt non impedit ista distinctio nostram Scripturam* &c. ex quibus patet eum ista nec definitiuè, nec assertiuè docuisse. ℟. 2. has, & similes locutiones S. P. retractasse lib. primo Retract. cap. 26. vbi retractans ea, quæ illi displicebant in libro Octuaginta trium quæstionū; cum in quæst. 67. dixisset. *Summis*

Angelos spiritaliter viuere, infimos verò animaliter: retractat hoc dictum dicens, *audacius dictum est de infimis, quam vt possit, vel Scripturis Sanctis, vel ipsis rebus ostendi;* plura alia, quæ spectant ad hoc argumentum, dixi supra: pro quo videri etiam possunt eruditissimæ Vindiciæ Augustiniani Nostri Admod. Reu. Pat. Magistri Henrici Noris capit. quarto §. primo, vbi diffusè, & acutè ostendit Adamum Scriptorem Societatis Iesu in suo libro, cui titulus *Caluinus destructus suismet, & S. Augustini armis*, Gallice tamen conscripto pag. 585. immeritò, & falsò attribuere S. P. N. Augustino, quod dixerit. *Animas, & Angelos esse corporeos, & solum Deum immaterialem*; & Moraines eiusdem pariter Societatis Auctoré dicentem, quod S. P. sensit etiam *Angelos, & Dæmones esse corporeos*: quòd non assertiuè, nec ex propria sententia dictum fuisse à S. P. patet ex dictis hic, & supra, & vbi dictum est ab eodem fuisse retractatum; ex prædicto lib. Retract. constat; immò Angelos summos spiritus esse, & spiritaliter viuere constanter semper docuit. Sed iam ad nostrum argumentum redeamus.

Dico secundo: Duo potissimum ex septem peccatis capitalibus posse esse in Angelis formaliter, & completè secundum affectum, idest superbiam, & inuidiam; de hoc secundò loquitur S. P. in Axiomate illis verbis: *Quia primum hominem per inuidiam serpentina fraude decepit.* De superbia verò in libro 12. de Ciuitate Dei cap 6. expressè ait. *Cum causa miseriæ malorum Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quod ab illo, qui summè est auersi, ad seipsos conuersi sunt, qui non summè sunt: & hoc vitium quid aliud quam superbia nuncupatur? Initium quippè omnis peccati, superbia.* Probatur verò ratione hæc assertio, quia obiecta horum Vitiorum sunt spiritualia; Ergò Angelus secundum suam naturã, potest huiusmodi peccatis infici non solum secũdum reatum; sed etiam formaliter, & completè. Antecedens probatur ex eorum definitionibus. Superbia enim tendit in propriam excellentiam inordinatè eam appetendo. Inuidia verò est tristitia de Excellentia alterius, quatenus apprehenditur, vt diminutiua propriæ excellentiæ. Sed huiusmodi Excellentia in quam inordinatè tendit appetitus est quid spirituale: Ergò obiecta huiusmodi vitiorum sunt spiritualia: Consequentia probatur, quia Angelus potest inordinatè appetere propriam excellentiã, & dolere inordinatè de excellentia alterius, vt opposita, vel destructiua suæ. Ergò potest formaliter, & completè peccare peccatis superbiæ, & inuidiæ.

Dices: etiam Ira est appetitus alicuius

cuius obiecti spiritualis; idest vindictæ indebitæ. Ergò etiam hoc peccatum poterit esse in Angelis nō solum secundum reatum; sed etiam formaliter, & vt loquuntur, secundum affectum, & completè. ℞. quæstionem esse de voce, nam si quis contēdat totam essentiam Iræ saluari adæquatè in appetitu inordinato vindictæ, non est dubium, quod etiam huiusmodi peccatum poterit esse in Angelis formaliter completè,&c. Si verò dicatur de Essentia iræ esse accensionem sanguinis circa cor, vt materiale ipsius, vt cum Philosopho Lib. primo de Anima Textu 15. 63. & 64. docet S. Thomas Prima Parte q. 20. artic, 1 ad secundum tunc dicēdum erit non conuenire Angelis nisi metaphoricè, vt docet idem Angelicus Doctor qu. 63. artic. 2. ad 2. quod idem propter eamdem rationem docuerat de Deo in loco supracitato; Vnde miror, quod à quibusdam recentioribus S. Thomas adducatur in testem, quod in Angelis possit esse ira formaliter, & completè secundum affectum: cum ipse tam clarè se explicet.

Ex prædictis duobus peccatis oriuntur alia peccata, quæ moderni Angelis inesse posse formaliter, & secundum affectum docent, & de facto, vel omnia, vel aliqua in Diabolis inueniuntur; vt sunt odium Dei, & hominum: Blasphemia cōtra Deū, Idolatria, quando se alijs proponunt adorandos. Inobedientia, non solū quatenus est generale Vitium, quod reperitur in qualibet transgressione legis superioris; sed etiam quatenus est speciale peccatum, qua quis transgreditur præceptum ex intentione præcisè nolendi obedire. Præsumptio quæ opponitur Spei, quatenus possunt appetere gloriam propria virtute obtinendam. Infidelitas saltem per priuationem assensus, quia cum liberè credant rebus reuelatis, possunt suspendere assensum ex intē tione nolendi credere; Et iniustitia quatenus possunt homines iniustè occidere, vel eorum bona diripere; & si quæ alia sunt huiusmodi peccata de quibus S. Thom. prima parte qu. 63. artic. 2. ad 3. quod sub inuidia, & superbia, prout in Dæmonibus sunt, compræhenduntur.

Dico 3. cum S. Thoma l. c. in ℞. ad secundum; Gulam, Luxuriam, Auaritiam, & Accidiam propriè, & in rigore sumpta, vt sunt specialia, seu Capitalia peccata posse reperiri in Angelis secundum reatum, nō verò secundum affectum Probatur hæc assertio quoad tria priora, quia ista versantur circa materialia, & sensibilia, idest circa diuitias, & voluptates gustus, vel tactus corporales, à quibus non afficitur Angelus, cum sit spiritualis. Est tamen aduertendum cum eodem Angelico Doctore loco citato nomine Auaritiæ venire quandoque omnem immode-

moderatam cupiditatem habendi quodcumque bonum creatum. Sed hoc modo non est speciale peccatũ, sed continetur in superbia, quæ inest formaliter Dæmonibus, vt dictum est. Probatur etiam de Accidia prę dicta assertio: (quæ continet specialem difficultatem, eo quod versetur circa bona spiritualia; cum sit quoddam tædium de bonis spiritualibus) quia vt ait ibi S.D. *Accidia est quadam tristitia, qua homo redditur tardus ad spirituales actus propter laborem corporalem, qui Dæmonibus non competit*. Ideoq; Angeli cum careant corporibus, non possunt esse accidiosi secundum affectum formaliter, siuè quoad actum completum; sed solum secundum reatum.

Dices S.P. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 6. expresse docere *Delectari Dæmones rebus corporalibus*. Ergò non solum quoad reatum; sed etiã quoad affectum insunt illis prædicta peccata. Respondeo ex eodem loco haberi responsionem: ait enim. *Illiciuntur autem Dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit delectabilibus pro sua diuersitate diuersis, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis*. hæc postrema verba ostendunt non eodem modo, ac in nobis inesse delectationem de istis: sed modo supra cũ S. Thoma explicato: quatenus scilicet non habent Dæmones in se formaliter illam delectationem corporalem, & sensibilem, vt habent animalia; sed quatenus approbant affectum malum hominum erga illa; & inducunt ad illos affectus: & eos optant esse in nobis; & actu complacẽtiæ spiritualis delectãtur, cum insunt: hoc est enim delectari illis *vt spiritus signis*.

Quæri hic solet an inter illa peccata, quę secũdum actum proprium, & completum; siuè secundum affectum potest Angelus cõmittere, necesse sit primum omnium esse Superbiam.

Negãt moderni. Affirmant Thomistæ. Propterea.

Dico primò: Regulariter, & moraliter loquendo primum Angeli peccatum non potuisse esse nisi Superbiam; quã postea consecuta est Inuidia. Probatur primo Auctoritate S. P. qui lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 6. ait. *Cum quæritur causa miseriæ malorum Angelorum, ea meritò occurrit, quod ab illo, qui summè est auersi, ad seipsos conuersi sunt, qui non summè sunt; & hoc vitium quid aliud quam superbia nũcupatur?* Eccl. 10. *Initium quippè omnis peccati superbia*. & lib. 14. cap. 3. post medium. *Etsi enim Diabolus fornicator, vel Ebriosus, vel si quid aliud huiusmodi mali est, quod ad carnis pertinet voluptates non potest dici, cum sit etiam talium peccatorum suasor, & instigator occultus. Est tamen maximè superbus, atque inuidus, &c. Hæc autem*

tem vitia quæ tenent in Diabolo princi patum carni tribuit Apostolus. &c. *Quorum omnium malorum caput, atque origo superbia est, quæ sine carne regnat in Diabolo.* Prob. 2. ratione qua vtitur S. Thomas prima parte qu. 63. art. 2. Quia scilicet Angelus non potest habere affectum deordinatum, nisi circa spiritualia: sed talis affectus deordinatus non potest esse nisi, vel superbia, vel ex superbia: Ergò regulariter loquendo primum Angeli peccatum non potuit esse nisi superbia. Maior est in confesso ferè apud omnes, quia Vnaquæque res primò, & principaliter habet affectum ad ea, quæ conueniunt suæ naturæ. Minor probatur. Quia in Angelis non contingit aliter peccari, nisi quia non seruant superioris regulam. Sed hoc vel est superbia, vel oritur ex superbia. Ergò primũ Angeli peccatũ fuit superbia; Quam postea consecuta est inuidia; Eo quod, ait Angelicus Doctor, eiusdẽ rationis est, quod affectus aliquid appetat, & quod se opponat contrario, siuè renitatur opposito. Inuidus enim nõ dolet de bono alterius, nisi quatenus est impedimentum sui. Sed Angelus appetiuit prius suã singularem excellentiam, inordinatè præferendo eam alteri, idest Excellentiæ Diuinæ. Et postea doluit de Excellentia Diuina, vt opposita suæ. Ergò superbiam consecuta est inuidia. Hæc Doctrina S. Thomæ non placet Becano, & propterea Tract. de Angelis cap. 4. qu. 2. §. *Quinta Conclusio.* dicit primum peccatum potuisse esse inobedientiam, & rationem S. Thomæ non conuincere oppositum. Licet enim concedat obiecta spiritualia, quæ secundũ se sunt bona, non posse male appeti, nisi appetantur contra regulam superioris; negat tamen quamlibet transgressionẽ præcepti esse superbiam: Eo quod trangressio præcepti duobus modis contingere possit. Primo cum expressa intentione transgrediendi, & tunc est speciale peccatũ inobedientiæ. Secundò: sinè tali intentione, & tunc est generale peccatum inobedientiæ, quod ponitur in illa specie peccati, cui præceptum opponitur. Benè: Concedo libenter veritatem huius Doctrinæ Becano; sed quæro vlterius; vnde talis inobedientia oriatur: Nam semper, vel implicitè, vel explicitè oritur ex eo, quod ille, qui est inobediens, vel primò, vel secundò modo præfert suum iudicium, vel suam voluntatem, vel vtrumque iudicio, vel Voluntati superioris. Respondet Becanus loco citato nu. 8. *Superbiã* formaliter cõsistere in eo, quod quis appetat aliquid supra mẽsuram propriæ perfectionis; quod contingit, vel cum quis appetit maiorem excellentiam, quam ei conueniat, aut cõuenire possit; vel cum plus excellentiæ sibi tribuit, quam habeat; quæ

duo

duo formaliter distinguuntur à transgressione præcepti; Cum possit aliquis transgredi præceptum ex alio motiuo, & intentione quam ex prædictis. Hanc etiam Doctrinam libenter admitto, quoad primam partem de superbia; quoad secundam partem, idest quod aliquis possit transgredi præceptum ex alio motiuo, licet habeat locum in nobis, nego tamen habere locum in Angelis. Ratio disparitatis est, quia nos plurima alia obiecta habemus, quæ nos primo mouere possunt ad peccãdum alio genere peccati, at Angelus cum primo ex sua natura tendat in obiecta spiritualia propter eorum excellentiam, & primò in suam cum tendit in ordinatè, eam præfert excellentiæ Diuinæ; & consequenter semper primò peccat peccato superbiæ, vt hab. Eccles. 10. *Initium omnis peccati superbia.* Dixi regulariter, & moraliter loquendo; Nam si quis contendat metaphysicè dirimere quæstionem; & non implicare cōtradictionem, quin prius peccet alio peccato, quam peccato superbiæ: Puto difficilè esse assignare huiusmodi implicantiam. Dices: implicat contradictionem, esse peccatum, quod non oriatur ex inordinato amore suipsius. Sed omnis inordinatus amor suipsius est superbia. Ergò implicat esse aliquod peccatum in Angelo, quod non oriatur ex superbia. ℞. Data maiori propositione negando minorem. Nam amor suipsius consistit in eo, quod aliquis appetat sibi aliquod bonum; quod si non est illi proportionatum secundum rectam rationem, non cōstituitur speciale peccatū; Est enim quid commune inclusum in omnibus peccatis, vt eis appetatur aliquod bonum non proportionatum appetenti secundum rectam rationẽ; & propterea talis amor vocatur radix peccatorum; qui non est formaliter superbia. Quod si quis appetat bonum excellentiæ propriæ supra mensuram debitam, iam erit speciale peccatum superbiæ: Est autem difficile ostendere, quod implicet cōtradictionem Angelum primò tendere in aliquod aliud obiectum spirituale inordinatè, quam in excellentiam propriam, nec puto fuisse mentem S. P. vel S. Thomæ definire hanc quæstionem metaphysicè quoad implicantiam. Sed solum moraliter spectata natura ipsius Angeli.

Queritur hic vlterius, an Angeli potuerint peccare venialiter. Negat D. Thomas in P. secundæ quæst. 89. art. 4. Affirmat Suarez lib. 3. de Angelis cap. 8.

Sententia S. Thomæ probatur; Quia Angelus in via non potuit errare circa media, quin prius erraret circa finem. Sed errare circa finem vltimū simpliciter est peccare mortaliter. Ergò non potuit peccare venialiter; sed solum mortaliter.

Maior probatur, quia voluntas Angeli in suis operationibus se habet proportionaliter ad intellectum, cũ iste sit dux illius. Sed iste non potuit se auertere, vel errare, circa media proportionata ad finem vltimũ, quin prius erraret circa ipsum finem vltimum; Ergò neque voluntas potuit se prius auertere à medijs, quin se auerteret à fine vltimo. Hęc doctrina licet non habeat locum in homine etiam in statu innocentiæ constituto, quia etiam in illo statu illius intellectus erat discursiuus; nihilominus in Angelis non videtur posse pati difficultatem; cum eius intellectus vnico actu attingat conclusiones, & principia, & videat illas in istis: non potest errare circa illas quin erret circa ista; Et cum in appetibilibus fines se habeant, vt principia, & media, vt Conclusiones; nã propter illos appetuntur ista; manet, quod voluntas Angelica vnico actu proportionaliter ad actum intellectus feratur, & in vltimum finem, & in media ad dictum finem; ac proindè, quod non possit se auertere ab istis, nisi se auertat ab illo. Confirmatur, quia Voluntas Angelica per quemlibet actum fertur in terminũ, seu finem suum simpliciter: Ergò sicut si per suum actum tendat in Deum, vt finem simpliciter vltimũ, non errat, sed exercet actum Charitatis; ita si constituat finem suum simpliciter vltimum in creatura, erret, & peccet. Antecedens probatur, quia quod est vltimum in executione, siuè assequutione, est primũ in intentione, ac proindè est motiuum quorumcumque aliorũ actuum iuxta principium illud Peripateticum: quod est primum in vnoquoque genere est causa cæterorum. Cõsequentia est necessaria: & in hoc sensu dixit S. P. lib. 12 de Ciuitate Dei cap. 6. *Cum causa miseriæ malorum Angelorum quæritur, ea merito occurrit, quod ab illo, qui summè est auersi, ad se ipsos conuersi sunt, qui non summè sunt.* Et S. Thomas loco citato in corpore articuli ait, quod omnes actus boni Angeli sũt actus Charitatis; Actus verò Angeli mali peccata. Quia Angeli Sancti omnia volunt in ordine ad finem debitum. Angeli verò mali nõ mouentur nisi in ordine ad finem peccati superbiæ.

Dices: Angelus conuenit cum homine in superiori parte quę mens appellatur: Sed homo secundum superiorem partem animæ potest peccare: ergò etiam Angelus. ℞. hoc argumentum Angelicum Doctorem sibi obiecisse primo loco in supra citato art. & ibi. ℞. Hominem conuenire quidem cum Angelis in mente, siuè in intellectu, sed differre in modo intelligendi, vt supra indicaui; quod ex mente eiusdem S. D. pro præsenti difficultate sic explico. Homo per diuersos actus intellectus versatur cir-

circa principia, & Conclusiones; & diuersis actibus voluntatis versatur circa finem, & circa media; ita vt sæpe errando circa ea, quæ sunt ad finem, non tamen semper erret circa ipsum finem; cum non tendat per quemcumque actum suum in finem simpliciter vltimum: licet enim cuiuscumque suæ operationis intendat aliquem finem aliquo modo vltimũ: hic tamen multoties non est nisi secundum quid vltimus; idest non cõstituit illum nisi vt finem illius operationis, maximè quando videt, quod per talem operationem non priuat seipsum Deo: vt finè vltimo: Tunc verò constituit finem simpliciter vltimum suæ operationis; quando nõ solum illum constituit finem suæ operationis; sed etiam sibi, & suæ personæ; quatenus scilicet videns se priuari Deo fine vltimo per suam operationem, eam nihilominus exercet, & eo ipso finem suum respuens in Deo constituere; ponit illum in creatura. Quod non habet locum in Angelis, qui vnico actu vtrumque præstant; vt supra dictum est. Hæc differentia hominis, & Angeli facilè dissoluit argumenta, quæ cõtra nostram sententiam obijci possunt. Propterea S. Thomas loco citato in Respons. ad secundum docuit, Angelum non potuisse diligere minus creaturam, quam Deum, nisi referendo eam in Deum, vt in vltimum finem, vel referendo eam inordinatè in aliquem alium finem: Et in ℞. ad tertium docuit, Quod licet Dæmones procurent vniuersaliter nostra peccata venialia; vt sic perducant nos ad peccatum mortale; nihilominus in omnibus mortaliter peccant propter intentionem finis.

Hęc doctrina supponit Angelum nullo modo posse discurrere; quod tamen patitur non leuem diffic.

AXOMA QVARTVM

Aliqui Angeli peccauerunt, quorum caput est Lucifer qui, & Diabolus dicitur.

Ex libro vndecimo de Genesi ad litteram cap. 24.

QVod per Esaiam Prophetã dicitur, *Quomodo cecidit de cælo Lucifer* c. 14. v. 12. *mane oriẽs, contritus est in terrã, qui mittebat ad omnes gentes. Tu autem dixisti in sensu tuo. In cælum ascendam super sydera cæli ponam thronũ*

meum, sedebo in monte excelso, super montes excelsos, qui sunt ad Aquilonem, ascendam super nubes, ero similis Altissimo: nunc autem ad inferos descendeas, & catera: qua in figura regis velut Babylonis in Diabolum dicta intelliguntur plura in eius corpus conueniunt, quod etiam de humano genere congrega; & in eos maximè, qui ei per superbiam cohærent apostatando à mandatis Dei, &c. ex cap. 25. Item figura Principis Tyri per Ezechielem Prophetam in Diabolũ dicta intelliguntur, c. 28. v. 22. Tu es signaculum similitudinis, & corona decoris, in delicijs paradisi fuisti, omni lapide pretioso ornatus es, & catera, qua non tam in ipsum Principem nequitiæ, quam in corpus eius dicta conueniũt, &c. [infra] Fuisti in medio lapidum flammeorum, idest Sanctorum Spiritu feruentium lapidum viuorum ambulasti sinè vitio in diebus tuis, ex quo die creatus es tu, donec inuenta sunt delicta tua in te. Possunt diligentius ista tractari, vt fortassis ostendatur non solum, & hunc intellectum esse in his verbis posse, sed omninò alium esse non posse.

DVBIVM

Quinam fuerint Angeli, qui peccauerũt.

SVpponit hæc quæstio tamquam certum, & de fide, vt supra dictum est; aliquos Angelos peccasse: & ex hoc procedit ad inquirẽdum, quinam fuerint illi, qui peccauerunt: continet autem plures difficultates. Quarum prima est, an Primus Angelus qui peccauit; fuerit ille, qui inter omnes omninò Angelos erat in perfectione naturali supremus: & hæc oritur ex diuerso sensu Patrum. Aliqui enim distinguentes Angelicam naturam in eos, qui in cælis Deo assistebant: & alios quibus sublunarium rerũ cura commissa fuerat; volunt Luciferum solum inter istos vltimos fuisse primũ. Hęc sententia habetur apud S. Epiphanium hęresi 64. in verbis Procli, quę ibi ex Methodio referuntur; quam etiã docet. S. Ioannes Damascenus lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 4. vt late ibi explicat Commentator, & S. Gregorius Nissenus in oratione Catechetica cap. 6.

Oppositam sententiam tenent S. Hieronymus in illa verba Iob. c. 40. *Ipse est principium viarum Dei*. vbi ait

ait ita dici,eo quod Diabolus ibi nominatur inter cęteras creaturas primus a Deo conditus, & in illa verba Ps. 23. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* ait. *Diabolus nouem ordines Angelorum sub sua habuit Dominatione, siuè bonos siuè malos.* Tertullianus lib. 2. contra Marcionem paulo ante medium. S. Io. Chrysostomus homilia de lapsu primi hominis. S. Bernardus Serm. p. de Aduentu Domini S. Isidorus lib. p. de summo Bono cap. 12. S. Gregorius Magnus, qui satis prolixe de hoc agit lib. 32. Moralium cap. 18. eamque confirmat pluribus Sacræ Scripturæ testimonijs, & post ipsum Hugo à S. Victore in summa Sententiarum Tract. 2. cap. 4. De S. P. di ā infra. Horum PP. sententiæ adhærent communiter Scolastici in secundo Dist. sexta, & S. Thomas prima parte quæst. 63. art. 7. Estque hodie communis. Propterea.

Dico. Primum Angelum ex illis, qui peccauerunt, fuisse illum, qui inter omnes Angelos fuit supremus in perfectione naturali. Prob. primo ex Scripturis: de illo enim sub nomine Behemoth dixit Iob. cap. 40. v. 14. *Ipse est principium viarum Dei.* nomine viarum in Scripturis communiter veniunt opera ipsius Dei; iuxta illud Prou. cap. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* quem locum communiter PP, interpretātur de operibus Dei: Quapropter cum Iob; ibi loquatur de Lucifero, manet, quod ipse fuerit Primus inter alios modo dicto. Similiter Isaię cap. 14. v. 12. de illo dicitur. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifero, qui manè oriebaris?* hic est allusio Luciferi Angeli ad Luciferum stellam, vt sensus sit, quod sicut hæc cæteris stellis procellit, ita ille Spiritus alijs spiritibus. Sic etiam Ezech. cap. 28. v. 13. dicitur eidem. *In delicijs Paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Sardius, Topazius, & Iaspis, Chrysolitus, & Onyx, & Berillus, Saphyrus, & Carbunculus, & Smeragdus. Aurum opus decoris tui.* Vbi aduertūt Interpretes, quod ideo enumerantur nouem species gemmarum, vt specificentur, & significentur nouem chori; siuè ordines Angelorum quorum omnium perfectiones veluti supremus continebat Lucifer, vt obseruat S. Gregorius Magnus lib. 32. moraliū cap. 18. Denique etiam in cap. 31. Ezechielis v. 8. habetur *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, abietes non adæquarunt summitatem eius.* &c. quibus verbis iuxta communiorem explicationem declaratur perfectio Luciferi; quæ fuit tam sublimis; vt non solum omnes alias creaturas corporeas; sed etiam omnes alios Angelos superauerit. Prob. 2. Auctoritate SS. PP. quos supra retuli. D. Gregorij magni solum; verba refero: qui loco citato fusius

rem

rem explicat, & Scripturas supra relatas in allegata sensu sic explicat. *Ipse est principium viarum Dei. Velut si aperte diceret: Idcirco ad tam multa fortiter sufficit: quia in natura rerũ hunc creando per substantiam conditor primum fecit. Quid enim vias Dei, nisi eius actiones accipimus? De quibus per Prophetam dicit: Non enim sunt viæ meæ, sicut viæ vestræ. Et principium viarum Dei Behemot dicitur; quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit. Huius primatus eminentiam conspicit Propheta cum dicit, Cedri non fuerũt altiores illo in Paradiso Dei. &c. Qui namque accipi in cedris &c. nisi illa virtutum cælestium proceræ celsitudinis agmina, in æterna letitiæ viriditate plantata? Quæ quamuis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Qui speciosus factus in multis, condensisque frondibus esse dicitur: quia prælatum cæteris legionibus tanta illum species pulchriorẽ reddidit, quanta, & supposita Angelorum multitudo decorauit. Ista arbor in Paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans sinè venia damnatus est, quia magnus sinè comparatione fuerat creatus. Hinc ei rursum per eũdem Prophetam dicitur: Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs paradisi Dei fuisti. Multa enim de eius magnitudine locuturus, primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit? De sigillo quippe Annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamẽ quasi maius aliquid tribuẽs, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit; vt quò subtilior est in natura, eò in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Hinc est, quod primatus eius potentiam adhuc insinuans, idem Propheta subiungit: Omnis lapis preciosus operimentum tuum, sardius, & topazius, & iaspis, chrisolithus, onyx, & berillus, sapphirus, carbuncullus, & smaragdus. Nouem dixit genera lapidum, quia nimirum nouem sunt ordines Angelorũ. Nam cum per ipsa sacra eloquia Angeli, Archangeli, Throni, dominationes, virtutes, Principatus potestates, Cherubim, & Seraphim, aperta narratione memorantur, quantæ sint supernorum ciuium distinctiones, ostenditur: quibus tamen Behemot iste opertus fuisse describitur; quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatẽ transcenderet, eorum comparatione clarior fuit: De cuius illic adhuc descriptione subiungit: Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. Au-*

rum

rum opus decoris eius extitit, quia sapientiæ claritate canduit, quam benè creatus accepit. Foramina verò idcircò in lapidibus fiunt, vt vinculati auro in ornamenti compositione iungantur, & nequaquam à se dissideant, quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. Huius ergò lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax Charitatis est conditus. Quasi repleri voluisset, stantibus Angelis positis in regis ornamento lapidibus potuisset inhærere. Si enim charitatis auro sese penetrabilem præbuisset, Sanctis Angelis sociatus, in ornamento, vt diximus, regio, lapis fixus maneret. Habuit ergò lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium Charitatis auro non sunt repleta. Nam quia idcircò ligantur auro, ne cadant, idcircò iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis amoris vinculis ligari contempsit. Nunc autem cæteri lapides, qui huic similiter fuerant perforati, penetranti se inuicem Charitate ligati sunt; atque in hoc munere, isto cadente, meruerunt, vt nequaquam iam de ornamento regio cadendo soluantur. Huius principatus celsitudinē adhuc idem Propheta intuens adiungit: Tu cherub extentus, & protegens in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti. Cherub quippe plenitudo scientię interpretatur, & idcircò iste Cherub dicitur; quia transcendisse cunctos scientia nō dubitatur. Qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulauit: quia inter Angelorum corda charitatis igne succensa, clarus gloria conditionis extitit. Quem benè extentum, ac protegentem dicit: omne enim, quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ, cæterorum claritatē obumbrasse creditur, ipse extensus, & protegens, fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrādo operuit, qui eorum magnitudinem excellentia maiore transcendit. Quod ergò speciosus multis frondibus, quod illic signaculum similitudinis, quod illic Cherub, quod illic protegens dicitur: hoc hic voce Dominica Behemoth iste viarum Dei principium vocatur. Hæc habet ibi S. Gregorius, quibus nihil expressius, aut magis ad rem nostram. De mente S. P. N. in hoc puncto mihi certò non constat; licet enim Valentia Tomo primo Disp. quarta qu. 14. Puncto quinto §. *Tertio assero* citet lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 15. ac etiam P. Augustinus à Virgine Maria, Carmelita strictioris Obseruantiæ. Anno secundo Lect. Mat. Disp. 14. de Angelis. l. 14. citet eumdem S. P. lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 26. vterq; pro nostra sententia; nihilominus, nec in vno, nec in altero loco, nec alibi adhuc inueni, quod expresse, aut nostram, aut oppositam sententiam doceat; licet prædictis locis attentis, & consideratis illis, quæ in Axiomate; & alibi docuit, videatur

in-

inferri poste eum magis inclinare in hanc, quam in contrariam opinionẽ.

Dices primo ab Ezechiele c. 28. v. 14. Lucifer vocatur Cherub, ergò non solum non fuit supremus omnium Angelorum; sed nec etiam ex numero eorum, qui sunt in ordine supremo 1. *Seraphim*. Respondetur: ideo non vocari *Seraphim*, quia hoc nomen est desumptum ex ardenti Charitate, quam Lucifer peccando amisit; & vocari *Cherub*, quia hoc desumptum est à scientia, quam retinuit:

Dices secundo: si Lucifer fuisset supremus omnium creaturarum, gloriaretur gehenna, quod eum contineret; & eo careret paradisus. ℟. debere potius confundi eo, quod contineat pessimam, & ingratissimam omnium creaturarum.

Secunda quæstio est, an alij Angeli, qui peccauerunt, à Lucifero inducti sint ad peccandum. ℟. communiter affirmatiuè ex cap. 12. Apocal. v. 4. vbi de Lucifero cad. sub nomine Draconis dicitur, quod *Traxit secum tertiam partem stellarũ*: vbi etiam dicitur. *Draco, & Angeli eius pugnabant*. & cap. 25. Sancti Matth. dicetur Reprobis. *Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. in quibus locis supremus eorum commemoratur, vt dux eorum in peccando, qui idcirco eadem pæna puniuntur, qua eorum princeps: quo sensu S. Hieronymus in cap. 14. Isaiæ illa verba. *Tu terram tuam perdidisti, tu populum tuum occidisti*, interpretatur de Lucifero, qui cæteros Angelos malos, & natura inferiores perdidit, qui aliquo modo ei subditi erant. Hæc est communis, & vera sententia DD. in secundo Dist. 6. nec non, & S. Thomę prima parte qu. 63 artic. 8. Nec scio ex Theologis vllum alium refragari prę̀ter Guilielmum lib. primo de Vniuerso parte prima cap. 112. & Alfonsum à Castro in summa de Hęresib. V. *Peccatum* hæresi 3. qui docuerunt. Quemlibet Angelũ ex ijs, qui peccauerunt, ex seipso peccasse sinè vlla suggestione, vel suasione. Sic refert Valentia T. 1. Disp. 4. q. 14. Puncto sexto.

Quæstio Tertia est; quo sensu alij Dæmones dicantur subditi Lucifero, & ipse dicatur Princeps, & Rex eorum. Resp. communiter huiusmodi potestatem, & subiectionem non esse ratione naturæ; Nam licet Vnus Angelus sit ex natura sua perfectior altero etiam in prædicatis naturalibus; nõ tamen sequitur ex hoc quod vnus natura sua sit seruus, aut Rex alterius: Sed omnes immediate ex natura sua sunt serui Dei, qui essentialiter est Dominus omnium creaturarum. Est igitur subiectio prædicta ratione culpæ: eo quod ordo Diuinæ Iustitiæ exigat; vt vnusquisque subyciatur illi in pæna, cuius suggestioni consensit in culpa iuxta illud

Epist.

Epist. 2. D. Petri v. 19. *A quo quis superatus est, huius, & seruus est.* sic discurrit S. Th. quæst. 63. art. 8.

Quæstio quarta est an illa tractio aliorum ad culpam, & pænam fuerit facta solo exemplo: vel aliquo alio maiori conatu, idest suasione, & exhortatione. Primo modo fuisse factam per hoc scilicet, quod Lucifer manifestauit solummodo alijs suum prauum affectum, quem imitarentur, sentiunt plurimi, ijq; classici DD. inter quos Alex. Alensis p. 2. quæst. 110. memb. 5. & 6. B. Albertus Magnus in secundo Dist. 6. art. 3. Richardus Dist. 5. artic. p. qu. 3. & Durandus Dist. 6. quæst. 2. in quam partem inclinare videtur etiā S. Th. p. parte quæst. 63. artic. 8. in Responsionē ad primum cum ait *in eodem instanti in quo Primus Angelus suam affectionē intelligibili locutione expressit fuit possibile alijs in eam consentire.* Secundo etiam modo contigisse, alij sentiunt, vt scilicet peculiari suasione exhortatione, & conatu præter ostensionem suæ affectionis malæ alij alios ad suam imitationem inducere conati fuerint: res est incerta, vt aduertit Durandus loco citato; nec aliud peculiare consideratione dignum de hoc puncto occurrit.

Quęstio quinta est: An Angeli qui peccauerunt, fuerint ex vno aliquo ordine solum; vel ex omnibus ordinibus aliqui ceciderint. Respondet S. Thomas p. parte quæst. 63. art. 9. in ℞. ad 3. Secundum illos qui dicunt, quod Diabolus maior fuit de inferiori ordine Angelorum, qui prę sunt terrestribus, manifestū est, quod non de quolibet ordine ceciderunt: sed de infimo tantum. Secundum illos verò, qui ponunt maiorem Diabolum de supremo fuisse ordine, probabile est, quod de quolibet ordine aliqui ceciderint, sicut in quemlibet ordinem homines assumūtur in supplementum ruinę Angelicæ. In quo etiam magis comprobatur libertas liberi arbitrij, quæ secundum quemlibet gradum creaturæ in malum flecti potest. Hanc secundam partē iuxta supradicta nos sequimur. Dices in Sacra Scriptura nomina quorumdā ordinum, vt Seraphim, & Thronorum Dæmonibus non attribuuntur, Esto in Epistola ad Ephes. cap. 6. v. 12. vocentur Principatus, & Potestates. Ergo non ex quolibet ordine ceciderunt spiritus; Respondet ibi S. Thom. prædicta nomina non attribui eis, quia nomen *Seraphim* sumitur ab ardore charitatis, & nomen *Throni* sumitur ab habitatione Dei; quæ non possunt esse cum peccato mortali. Attribuuntur vero eis nomina Cherubim: Potestatum, & Principatum: quia hæc nomina sumuntur à scientia, & potentia quæ bonis, & malis possunt esse communia.

Quæstio sexta est: an fuerint plu-

res Angeli, qui peccauerunt, an verò qui remanserunt. ℞. S. Thomas loco citato; Est que communis sententia, quod plures sunt Angeli, qui permanserunt, quam illi qui peccauerũt. Quod probat, quia peccatum est cõtra naturalem inclinationem: Et ea quæ contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt: eo quod natura consequatur suum effectum, vel semper, vel vt in pluribus. Hæc tamen ratio patitur difficultatem in hominibus, in quibus multi sunt vocati, pauci verò electi; & multo plures infideles, & mali, quam fideles, & boni. Propterea alij probant hanc assertionem ex illo Apocalyp. 12. vbi dicitur, quod Draco traxit tertiam partem stellarum. Ergò multo plures manserunt, quam sint illi qui ceciderunt. Posset nihilominus etiam sustineri ratio D. Thomæ assignando disparitatem. Nam etsi in hominibus sint plures illi, qui peccant, vt ait etiam Phil. libr. secundo Ethic. cap. 6. nihilominus etiam isti ex inclinatione ad aliquod bonum cadunt, idest ad bonum sensibile, quod est hominibus magis notum; & interdum cum bono rationis pugnat, & ex hoc fit, vt plures sint qui peccent; Non sic in Angelis, qui cum non habeant inclinationem naturalem ad huiusmodi, tam multa bona, quæ cum recta ratione pugnant. Idcircò non fuerunt plures immò pauciores illi, qui peccauerunt, quam illi qui persiterũt in bono cõsentaneo rationi. Hæc inseruiunt pro congruenti argumento, & satis probabili; sed efficax argumentum est ex illo Apocalyps.

Dices: ex Arist. l. 2. Ethic. cap. 6. tex. 5. malum est, vt in pluribus, bonum, vt in paucioribus. Ergò plures sunt Angeli qui peccauerũt, quam illi qui permanserunt. Confirmatur à simili de hominibus, de quib. Eccl. 1. dicitur *Stultorum infinitus est numerus*. ℞. primo, quod nos non metimur mysteria Diuina ex Doctrina Aristotelis; sed ex Sacra Scriptura, quæ oppositum indicat. ℞. secundo ex S. Thoma, quòd loquitur de hominibus, qui sequuntur bona sensibilia, quæ magis sunt nota; deserto bono rationis, quod paucioribus notum est: quod non habet locum in Angelis, in quibus non est nisi natura intellectualis, & propterea illis primo, & per se est notum bonum rationis. ℞ tertio potest esse etiam aliam diuersam rationem de hominibus, ac de Angelis; nam illi nascuntur cum peccato originali, & concupiscentia, & natura prona ad malum, quod non habuit locum in Angelis, in quibus nõ precessit peccatum originale, nec concupiscentia, quæ ex illo oritur.

AXIO-

AXIOMA QVINTVM

Primum peccatum Luciferi, & aliorum Dæmonum fuit superbia.

Ex Lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 13.

De ipsa natura Diaboli scrupulosius quæri solet, quam totam quidam hæretici offensi molestia malæ voluntatis eius, alienare conantur à creatura summi, & veri Dei, & alterum ei dare principium, quod sit contra Deum. Non enim valent intelligere omne, quod est, in quantum aliqua substantia est, & bonum esse, & nisi ab illo vero Deo, à quo omne bonum est, esse non posse: malam verò voluntatem inordinatè moueri, bona inferiora superioribus præponendo: atque ita factum esse, vt rationalis creaturæ spiritus, sua potestate propter excellentiam delectatus tumesceret superbia, per quam caderet à beatitudine spiritualis Paradisi, & inuidentia contabesceret. Vide etiam dicta in præcedenti Axiomate, & in lib. 11. & 12. de Ciuit. Dei.

DVBIVM

Quo peccati genere primo peccauerint Angeli.

Dissidium hic est inter Scotistas, & Thomistas, & alios Scholasticos. Scotus enim in secũdo dist. 6. q. 2. art. 2. docet primum Angeli peccatum potius esse reducendum ad speciem cuiusdam luxuriæ spiritualis; quam ad superbiam: quatenus scilicet fuerit nimium delectatus in appetitu beatitudinis supernaturalis; vel vt alij Scotistæ explicant. Quia Angelus amore nimio amicitiæ dilexit se, & ex isto inordinato amo-

amore amicitiæ, ortum habuit amor concupiſcentiæ, quo ſibi concupiuit bonum aliquod, ideſt beatitudinem vltra debitum modum. Hanc ſententiam dicit Valentia Tomo primo Diſp. 4 qu. 14 puncto 3. diſſidere à communi ſententia PP. & aliorum Theologorum affirmantium primũ peccatum fuiſſe ſuperbiam. Alij verò benignius eam interpretãtur cum Caſpenſi Diſp. 8. de Angelis Sect. 4. §. *Scotus* dicentes, quod licet hæc ſententia communiter reijciatur à Recentioribus, quatenus negat primum peccatum fuiſſe ſuperbiam propriè dictam; & in hoc puncto non ſit admittenda: poſſe tamen non incongruè dici, illum maximum, & inordinatum ſuperbiæ affectum, fuiſſe in Angelis nimiam ſui complacentiam; eo quod vaniſſimè delectatus ſit in pulchritudine, & donis ſibi à Deo datis, quod etiam antea obſeruauerant Granado. Tract. de Angelis Diſt. 2. Sect. 2. ac proinde poſſe dici huiuſmodi affectum ſuperbię fuiſſe quamdam ſpiritualem luxuriã.

De errore Origenis, & Tertulliani, qui dixerunt primum peccatum Angelorum fuiſſe Luxuriam ex illo Gen. cap. 6. v. 2. *Videntes Angeli Dei filias hominũ quod eſſent pulchræ* ſatis egi ſupra in Cõtrouerſia ſecunda Dubio ſecundo, § *Dices ſecundo*.

S. Thomas prima parte qu. 63. art. 3. & cum eo communiter omnes alij Theologi extra Scholã Scoti docent: primum peccatum Luciferi, & aliorum Angelorum fuiſſe ſuperbiam.

Hec aſſertio, quoad primã partem probatur primo ex Scripturis Sacris; nam Tobiæ cap. 4. habetur. *In ſuperbia initium ſumpſit omnis perditio.* Eccl. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia*, hoc loco vtitur etiam S. P. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 6. ad hoc intentum. Iob. 41. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* ideſt omnium primus, & anteſignanus, ſic etiam Iſaiæ cap. 14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer: dixiſti enim in cælum conſcendam*. Ezech. 28. *dixiſti in corde tuo Deus ego ſum.* & præterea *eleuatum eſt cor tuum in decore tuo*. Prob. 2. Auct. PP. & primo S. P. N. non ſolum in duobus præcedentibus Axiomatibus; ſed etiam in lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 13. vbi ait. *Ideo numquam beatus cum Sanctis Angelis fuerit, ſuo recuſans eſſe ſubditus Creatori, & ſua per ſuperbiam, velut priuata poteſtate elatus, ac per hoc falſus, & fallax*, & lib. 12. cap. 6. *Cauſa miſeriæ malorum Angelorum eã merito occurrit, quod ab illo qui ſummè eſt auerſi, ad ſeipſos conuerſi ſunt, qui non ſummè ſunt, & hoc vitium quid aliud quam ſuperbia nuncupatur? Initium quippe omnis peccati ſuperbia.* Quid clarius? Idem docent S. Ambroſius Serm. 3. in Pſal. 118. ad illa verba. *Increpaſti ſuperbos* S. Fulgentius lib. primo ad Monimum.

nimum S. Gregorius Magnus lib. 34 Moralium cap. 13. & 14. S. Gregorius Nazianz. oratione prima de Pace. S. Athan. Lib. de Virg. & medit. & S. Io. Chrisostomus hom. 3. de Verbis Isaiæ. *Vidi Dominum sedentem &c.* vbi ait. *Per superbiam factū esse Diabolum, qui antea Diabolus non erat.*

Secunda pars; idest etiam primū peccatum aliorum Angelorum, qui ceciderūt, fuisse superbiam, probatur p. Auctoritate S. P. qui lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 24. cum retulisset verba illa Isaiæ Proph. c. 14. v. 12 *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer,* &c. subiungit, *dixisti in sensuo tuo, In cælum ascendam super sydera cæli ponam Thronum meum.* &c. *quæ in figura velut Regis Babylonis in diabolum dicta intelliguntur, plura in eius corpus cōueniūt* pro quo facit etiā locus ille ex lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 6. supra relatus, in quo loquitur S. P. non solum de Lucifero, sed etiā de omnibus Angelis malis; cum ait. *Causa miseriæ malorum Angelorum* &c. Prob. etiam ratione quia Angeli, qui ceciderūt inducti sunt à Lucifero ad peccandum, vt supra dictum est. Ergo peccauerunt eodem genere peccati, quo ille.

Dices in lib. Sapientiæ c. 2. hab. *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbē terrarum.* Ergo primum peccatum eius fuit inuidia ℞. non sequi, vt acute discurrit S. P. lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 14. vbi refert, quod *Non nulli dicant ipsum ei fuisse casum à supernis sedibus, quod inuiderit homini facto ad imaginem Dei,* & respondet. *Porro hæc inuidia sequitur superbiam, non procedit: non enim causa superbiendi est inuidentia, sed causa inuidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia vero sit odium felicitatis alienæ, quid vndè nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquantur; vel inferioribus ne sibi coæquentur, vel superioribus, quod ei non coæquantur, superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisque superbus est: Meritò initium omnis peccati superbiam Scriptura definiuit dicens, Initium omnis peccati superbia.* Inuidia ergo imediate oritur ex superbia; vt etiam supra dixi. Quæstio hic est inter PP. an hoc peccatum inuidiæ commiserint, cum adhuc essent in via, an verò post casum, & in termino: nam S. Basilius in homilia de inuidia, & S. Bernardus Sermon. 2. de Aduentu asserunt, eos cecidisse de cælo propter superbiā, & inuidiam; & consequenter inuidiam præcessisse statum damnationis, vt causam meritoriam eius. Oppositam sententiam docet S. P. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. vndecimo dicens. *Postea quam superbus ille Angelus, ac per hoc etiam inuidus per eamdem superbiam à Deo ad semetipsum*

sum conuersus, &c. *male suada versutia in hominis sensū serpere affectans; cui vtique stanti, quoniam ipse ceciderat, inuidebat colubrum elegit*. &c. Hanc eamdem Sent. tenuit S. Gregorius Magnus in Tertia parte curæ pastoralis admon. 11. vbi ait. *Dicendum itaque est inuidis, quia dum se à liuore minime custodiunt, in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur: de illo namque Scriptum est Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Quia enim ipse malignus spiritus aduersarius noster calū perdidit, condito ad hoc homini inuidit, & damnationem suam perditus adhuc alios perdendo cumulauit*. locis istis hi SS. PP. & DD. primum actum inuidiæ indicant fuisse post ipsorum terminum viæ. Si dicas potuit esse alius actus antecedens casum. ℞. me non negare fuisse possibilem: sed non habere fundamentū, vel ex Scripturis; vel ex PP. ad asserendum, quod fuerit de facto; sicut habeo ad dicendum, quod fuerit post casum.

AXIOMA SEXTVM

Obiectum superbiæ Angelorum fuit dominium, seu prelatio illis indebita.

Ex Lib. 14. de Ciuit. Dei. cap. vndecimo.

P*ostea quam superbus ille Angelus, ac per hac inuidus per eamdem superbiam, à Deo ad semetipsum conuersus, & quodam quasi Tyrranico fastu gaudere subditis, quam esse subditus eligens; de Spiritali Paradiso cecidit: de cuius lapsu, sociorumque eius, qui ex Angelis Dei Angeli eius effecti sunt, in libris vndecimo, & duodecimo huius operis satis, quantum potui, disputaui.*

D V B I V M

Quodnā fuerit obiectū superbię Angelicę

IN hac quæstione in diuersas abiere Theologi sententias; quarum. Prima est eorum qui docuerunt Angelum potuisse, & de facto peccasse appe-

appetitu inordinato vnionis hypostaticæ, quo desiderauit suam naturam Diuinæ Personæ vniri: & simul deliquisse inuidia Vnionis humanæ naturæ cum Verbo Diuino. Authores huius opinionis dicuntur fuisse Ambr. Catherinus in opusculo de gloria bonorum Angelorum, & lapsu malorum, & in Expositione Genesis ad illa verba c. 3. *Serpens callidior erat*. Noster Iacobus de Valentia in Psal. 81, ad illa v. *Surge Deus iudica terram*. &c. Viguerius in lib. de institutionibus Theologicis cap. 3. §. 2. versic. 15. Iacobus Naclantus in Epistolam ad Ephesios, & Alexander Alensis Tertia parte qu. 2. membro 13. Eamdem sequuntur plures recentiores; qui vtuntur etiã Auctoritate S. Bernardi Abb. & Ruperti item Abb. Tuitiensis: de quibus infra.

Secunda sententia est eorum, qui dicunt, potuisse peccare appetitu æqualitatis naturæ, cum Deo; pro qua citãtur. Scotus in secundo Dist. 6. quæst. prima §. *Quia tamen ad primum*. Gabriel in eadem Dist. qu. p. Bassolis quæst. prima §. *Quia tamen ad primum*. Et tali superbia Angelos de facto peccasse affirmat Ioannes Maior: relatus à Vasquez T. 2. in primam partem Disp. 234. cap. 3. § *Quamquam non improbanda*.

Tertia est eorum, qui dicunt non esse minus certum Angelum peccasse immoderato appetitu suæ beatitudinis supernaturalis, quam creatura intellectualis sperat in præmium suorum meritorum, quam peccasse peccato superbiæ: hanc tenuerunt Antisiodorensis lib. 2. suæ summæ Tract. 2. p. 2. Alb. Magnus in secũda p. Summæ Tract. 5. q. 21. memb. 1. & in sec. Sent. dist. 5. artic. 3. Alex. Alens. 2. p. §. quæst. 98. memb. 3. in corp. & ad 5. S. Th. prima parte quæst. 63. artic. 3. Caietanus, & alij Thomistæ, noster B. Egidius in secundo Dist. 5. qu. primo artic. 2. noster Thomas, Arg. item in secundo Dist. 6. quest. p. artic. p. citantur etiam pro ea Ricardus, Durandus, Heruæus, Scotus, Bassolus, Gabriel, Maior, Capreolus, Marsilius, Holcot, & Ferrariensis: à Vasquez Disp. 235. cap. p. Quidam ex istis citant pro se S. P. N. libro 22. de Ciuit. Dei cap. primo S. Ambrosium in Epist. 84. & S. Gregorium lib. 34. Moralium cap. 14. & in aliquibus impressionibus 17. ac etiam lib. 3. cap. 18. vel vt apud aliquos 23.

Quarta sententia est eorum, qui docuerunt; peccasse appetitu beatitudinis naturalis, vel saltem peccare potuisse pro hac Vasquez loco citato cap. 5. citat S. Thomam in citata qu. 63. art. 3. Caietanum ibi Ferrariensem nostrum lib. 3. contra Gentes cap. 109. §. *circa primum modum* Heruæum, & Bassolium docentes Angelum peccasse appetitu immoderato beatitudinis naturalis,

qua-

quatenus hæc illi ita placuit tamquã vltimus finis, vt à beatitudine naturali seipsum auerterit. Quibus ait consentire etiam Nostrum B. Egidium, & Ricardum. Sed aduertit hos Doctores non conuenire in modo explicandi hanc sententiam.

Quinta Sententia est eorum, qui dicunt, Angelum peccasse appetendo præferri alijs; & illis præesse: vel saltem nulli subesse: his enim duobus modis, vel peccasse, vel peccare potuisse docent Alexander Alẽsis secunda parte summæ quæst. 98. membro 3. in corp. & §. 1. vbi docet peccasse, & hoc modo, & simul peccasse immoderato affectu beatitudinis supernaturalis; S. Bonauentura in secundo Dist. 5. artic. 1. qu. 2. Nicolaus de Lyra in cap. 14 Isaię ad illa verba; *In cælum conscendam.* &c. Burgensis in addit. 2. illius capitis. Torrigius in replica illius. Vuillelmus Parisiensis, prima parte secũdæ partis principalis de Vniuerso cap. 109. & 110. circa has sententias dicam per singulas quid sentiam, &

Dico primo: Luciferum ex consideratione propriæ perfectionis, & pulchritudinis in superbiam elatum inordinatè appetiuisse dominatum, & potestatem: hoc est voluisse nulli subesse, nec etiam ipsi Deo; & præesse alijs. Hanc assertionem puto esse mentem expressam S. P. fundatã in Scripturis illis Ezech. cap. 8. versu 5. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo.* Isaiæ cap. 14. versu 13. *In cælum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum.* &c. *Ascendam super altitudinem montium, similis ero Altissimo.* motiuum huius appetitus fuisse excellentiam propriam indicant clarè illa verba Ezech. Et exponit S. P. lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 23. vbi de Diabolo explicans quommodo in veritate non steterit, ait. *Factus continuò se à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propria potestatis delectatione corruptus.* Quod verò ex hac consideratione appetierit nulli subesse, & præesse alijs explicat S. P. in illis verbis Axiomatis: *quodam quasi tyrranico fastu gaudere subditis, quam esse subditus eligens*; quod etiam docuerũt S. Basilius oratione 17. S. Anselmus lib. de casu Diaboli cap. 4. & S. Bernardus Serm. 17. in Cantica. Quod verò nec etiam subesse Deo voluerit explicat S. P. in præcitato loco de Genesi ad litteram vbi subdit. *Ille autem continuo impius, consequenter, & mente cæcus non ex eo, quod acceperat cecidit, sed ex eo, quod acciperet, si subdi voluisset Deo, quod profectò quia noluit, & ab eo, quod accepturus erat cecidit, & potestatem illius sub quo esse noluit non euasit.* Quæ doctrina sic communiter explicatur vt mali Angeli propterea ceciderint, quia inordinatè appetiuere esse Deo similes in hoc, vt quemadmodum ipse

se nulli est subiectus, vt Superiori; ita & ipsi nullius, nec etiam ipsius Dei imperio actu refererentur, vt inferiores: Ac proinde dicendū est, non apetiuisse, eos nō subdi Deo quoad conseruationem; & actualem eius concursum ad eorum opera; nā sine hac subiectione, nec consistere poterant; nec poterant ignorare, hoc fieri non posse, cum essent pleni scien tia: cuius hoc est vnum exprimis principijs. Sed desiderasse libertatē, qua non subessent Deo imperanti, & præcepta imponenti; Cum scirent hoc non esse impossibile: nulla apparente implicantia quin Deus possit creare Angelos, quibus nullum velit præceptum positiuum imponere; ac proinde eximere illos ab omni imperio actuali: & consequēter potuerunt absolutè, & efficaciter appetere talem exemptionem. Nulla est enim necessitas ponendi, quod nouerint tunc Decreta Dei de ipsorum ministerijs per actuale imperiū. Ex prædicto superbo appetitu probabilissimum est, deriuasse in vnumquemque Dæmonum desiderium cuiusdam principatus, idest potestatis in aliquas creaturas, vt indicat S. P. in Axiomate; & honoris indebiti exhibēdi à creaturis inferioribus. Quod suaderi potest, quia supremus Angelus inter malos desiderauit efficaciter, coli, & venerari à malis Angelis, & hominibus maiori honore; quam esset ille, qui sibi debebatur, vt supra dictū est, & Scriptura indicat: Cumque alij peccauerint moti exemplo, vel forte etiam suasione ipsius, consequens est, quod inducti fuerint ad eamdem peccatū speciem, & quod vnusquisque Angelorum malorum efficaciter desiderauerit à creaturis inferioribus se coli, & honorari indebitè. Confirmari potest ab experientia, qua patet, quod Dæmones contendunt ab hominibus sibi deferri honores soli Deo debitos: vt videre est apud Ido latras. Et consequenter relinquitur, probabilissimum esse, illos huiusmodi indebitos honores iam à principio appetiuisse. Quæri hic solet an Lucifer appetierit, præesse solis Angelis; an solis hominibus, an verò vtrisque simul. ℞. rem esse incertam. Aliqui enim dicunt, eum appetijsse solum dominium super homines, & pro hac sententia citant S. Bernardum Serm. 17. in Cantica: verum ibi mellifluus Doctor sub du bio loquitur: dicendo: *hoc ego non assero, dicere spiritum S. sed nec contra dicere dico. Nescio enim. Poterit autem contingere, si tamen incredibile non putetur.* & præterea ibi S. Bernardus non excludit alios Angelos ab hoc appetitu dominandi, nec de illis meminit, sed solum dicit, quod ipse appetierit, *altius sedere, & regere genus humanum*, quod est præscindere ab hoc punāto, an scilicet appetierit etiam regere Angelos sibi inferio-

feriores: citatur etiam pro hac sententia S. Basilius. Communior videtur sententia, & magis ad mentē S. P. quod absolutè appetierit præesse vtrisque: cum indeterminatè loquatur tam in Axiomate, quam alibi. Hæc autem pręexcellentia; & pręsidentia cum possit considerari in ordine ad diuersa; Videndum est in ordine ad quæ, illa appetierit. Primò quidem in ordine ad naturalia; & in hoc sensu non potuit eam appetere, cum in illis præcelleret omnibus, tam Angelis, quam hominibus: Secundò quoad iustificationem, & in hoc sensu nec etiam potuit appetere nulli subesse, cum optimè sciret, Gratiam sanctificantem esse participationem Diuinæ naturæ; ac proindè à nullo alio, quam ab ipso Deo tamquam à causa principali posse infundi. Impossibilia verò, cognita vt talia, non appetuntur absolutè, & efficaciter; sed solum conditionatè, & inefficaciter. Si dicas, potuit appetere præesse cæteris in ordine causæ ministerialis, siuè instrumentalis. ℞. hoc iam esse velle subdi, & subesse; instrumētum enim, & minister subditur, & subijcitur Principali; & Lucifer in eo, quod appetebat, nulli subesse volebat. Tertio potest considerari in ordine ad actualia ministeria, & exercitia; & hoc modo peccasse, arbitror esse de mente S. P. vt indicant illa verba Axiom. *quodam quasi tyranico fastu gaudere subditis, quam esse subditus eligens*. Tyrannis enim ista nō poterat appeti, nisi in ordine ad hæc ministeria, & exercitia.

Dico 2 probabile esse, quod Angelus etiam peccauerit appetitu superbo acquirendi beatitudinem supernaturalem proprijs viribus; hæc sententia videtur esse de mente S. Thomæ, qu. 63. art. 3. & probatur Auctoritate S. P. qui lib. 22. de Ciuitate Dei cap. primo loquens de beatis, ait: *Deus ipse illis est tamquam vita victusque communis. Qui liberū arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, vt si vellet desereret Deum, beatitudinem scilicet suam, continuò miseria esset secutura. Qui cum præsciret Angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem*. idem docuerunt S. Ambrosius Epistola 84. ante medium: & S. Gregorius Magnus lib. 34. suorum moralium: capite septimo, quod in aliquibus impressionibus est decimum quartum. Consequenter ad hæc S. Thomas loco citato ait; *Vel si appetijt vt vltimum finem illam Dei similitudinem, quę datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suę naturæ non ex diuino auxilio secundum Dei dispositionem*; *&* *hoc modo consonat dictis Anselmi lib. de casu Diaboli cap. 4. qui dicit quod appetijt illud, ad quod peruenisset si stetisset*. Non placet

cet hæc doctrina Becano, & propterea in Tract. de Angelis cap. 4. Q. 7. §. *Secunda Conclusio* dicit Angelum non peccasse appetendo beatitudinem supernaturalem; eo quod appetitus ille non fuerit inordinatus, neque ratione obiecti, neque ratione alicuius modi, vel circumstantiæ. Non ratione obiecti, quia tale obiectum est per se bonum, ad quod appetendum erat per se à Deo ordinatus. Si dicas potuit appetere plures gradus Beatitudinis, quam illi qui ei conuenirent, vel qui à Deo illi decreti fuissent. Respondet illum nesciisse quot gradus illi decreti fuissent, si perseuerasset; & propterea ex hac parte non habuit motiuum inordinati desiderij. Quod verò nō fuerit inordinatus ratione modi, vel alicuius circumstantiæ probat; quia non fuit nimius obiectiuè, cum obiectum sit bonum, nec intensiuè, quia maior, vel minor intensio actus non facit illum esse malum; & præterea intensio non est in præcepto. Nec appretiatiuè, quia nullus amat se inordinate, vel nimium hoc modo, nisi quando ex amore sui commodi transgreditur aliquod præceptum Diuinum, quod non constat fecisse Angelum in ordine ad beatitudinem supernaturalem. Et consequenter nec etiam modo inordinato appetiuisse talem beatitudinē. Si dicatur fuisse inordinatum ex eo, quod desiderauit habere beatitudinem supernaturalem suis viribus sine gratia: vt docet S. Thomas loco citato: opponit, quod hoc desideriū non potuit esse nisi vel explicitum, vel implicitum; & neutro ex his modis Angelum potuisse peccare primo; ita vt primum peccatum, de quo loquimur, esset actus superbiæ; quod sic probat, & explicat. Si desiderauit explicitè illo modo beatitudinem, errauit non solum contra rationem; sed etiam contra fidem; iudicando se posse consequi beatitudinem supernaturalem suis viribus; quod est error contra fidem, & primum principium hæresis Pelagianę; & sic primum peccatum eius non fuisset superbia; sed infidelitas. Similiter si dicatur, desiderasse solum implicitè, sequitur non peccasse primò per superbiam. Quia desiderare implicitè beatitudinem sine gratia, nihil aliud est, quam eam appetere non cogitando de medijs supernaturalibus, quibus acquirenda est. Sed in hoc nullum est peccatum, quando nullum adest præceptū obligans ad talem cogitationem. Neque enim nos peccamus appetendo Regnum Cælorum, licet nihil cogitemus de medijs: Eo quod, qui appetit beatitudinem, ex vi illius appetitus non tenetur semper appetere media; sed sufficit, quod actu non excludat media conuenientia, nec appetat media indebita. Quod si dicas; Angelum habuisse præceptum

cogitandi, & appetendi media, & tale mandatum non seruasse; iam non fuisset peccatum superbiæ, sed ommissionis, aut inobedientiæ. Iste est discursus Becani loco citato, cuius vis tendit ad infirmandam Doctrinam prædictam SS. DD. Augustini, & S. Thomæ, nec non & Ambrosij, ac Gregorij Magni locis supra citatis: Et dum nimio impetu fertur in illos sua met ratione destruit seipsum; nam eo ipso; quod confitetur eum, qui appetit beatitudinem, tenetur non excludere actu media conuenientia, nec appetere media indebita. Cum isti SS. PP., & DD. præsidio, & contemplatione Sacrarum Scripturarum, quæ de peccato primo Luciferi agũt: agnoscant in eo actum positiuum excludendi auxilium gratiæ Dei, iam actu excluditur medium conueniens; & cum ponant eum appetijsse dictã beatitudinem, vt acquirendam suis viribus naturalibus, iam agnoscunt eum appetijsse media indebita. Et consequenter eum vtroque modo peccasse; quia tenebatur ex vi appetitus beatitudinis ad excludendũ hos actus appetitus indebiti circa media; quod habet locum non solum in desiderio implicito; sed multo magis in desiderio explicito; quod isti SS. PP. supponunt fuisse in Angelis malis. Quod vero actus iste fuerit actus superbiæ; quod contendit negare Becanus: patet. Quia hoc fuit, nolle subesse Deo auxilianti in acquirenda beatitudine; & consequenter appretiatiuè præferre se ipsum illi, & suas vires diuinæ gratiæ ipsius. Quod est formalissimè actus superbiæ: Nec obstat, quod fuerit casus infidelitatis; neque enim repugnat in vno, eodemque actu inueniri malitiam superbiæ, & malitiam infidelitatis; immò ex superbia ortas hæreses omnes, demonstrant communiter Theologi, quarum omnium venena concludit; vt loquitur Sanctus Hieronym⁹ in Epistola ad Ctesiphontem: error iste Luciferi; quẽ postea Pelagius innouauit, contra quem S. iste Doctor in prædicta Epistola scribit, & dicit; *quod plerosque in oriente decepit, vt per similitudinem humilitatis superbiam discerent, & dicerent cum Diabolo. In Cælum ascendam super sydera Cæli ponam thronum meum, & ero similis Altissimo. Quæ enim potest alia maior esse temeritas, quam Dei sibi non dicam similitudinem, sed æqualitatem vindicare, & breui sententia omnium hæreticorum venena complecti.*

Dico 3. esse etiam probabile, quod Angeli mali appetierint suam beatitudinem naturalem, tamquam finem vltimum simpliciter, non curando de beatitudine supernaturali, ad quam ordinabãtur per gratiam: hanc etiam sententiam docet S. Thomas loco cit. supra his verbis. *Appetijt esse similis Deo: quia appetijt vt finem*

finem vltimum beatitudinis, ad quod virtute suæ naturæ poterat peruenire: auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei. Hanc assertionem cum præcedenti coincidere, docet ibi Angelicus Doctor; cum enim docuisset vtramque verbis relatis, subiunxit: *Et hæc duo quodammodo in idem redeunt: quia secundum vtrumque appetijt finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei:* Ex hac Doctrina facta est contentio inter Thomistas, in quam partem S. Doctor magis inclinet: Caietanus enim, & noster Ferrariensis censent eum magis propendere in hanc assertionem; Capreolus verò docet eum magis inclinare in præcedentem: Vtrumque fortasse æqualiter probabile iudicauit, quod non obscurè indicant illa verba. *Et hæc duo quodammodo in idem redeunt*. Hæc assertio præter auctoritatem S. Thomæ probari potest etiam testimonio S. P. qui in loco supracitato ex cap. 1. lib. 22. de Ciuitate Dei: loquens de præscientia Dei, quam habuit de peccato malorum Angelorum: ait. *Qui cum præsciret Angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem*: hæc enim verba procul dubio indicant eos appetijsse beatitudinem naturalem; ad hanc enim solum ipsi sibi sufficere posse cogitare, & velle potuerunt. Probari etiã potest Auctoritate S. Ambrosij, qui epistola 84. ante medium describendo superbiæ, species ait. *Non aliter inflantur, qui cupiditate extollentia singularis omnibus appetunt ante ferri, aliter verò intumescunt, qui auxilium Dei refutantes, quã fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, & spem suam à Deo auferunt: hac superbia à Diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua, quam à Creatore acceperat potentia, & dignitate sibi placuit, seque Authori suæ gloria comparauit, cum ijs Angelis, quos in consensum impietatis suæ traxerat, à Cælesti sublimitate deiectus est*. Similia habet S. Gregorius loco supra citato; idest lib. 34. cap. 7. & apud quosdam 14. vbi de Diabolo ait *relicto enim cui debuit inhærere principio, suum sibi appetijt quodammodo esse principium: relicto eo, qui verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicauit*. Hæc testimonia allegantur, tam pro præcedenti, quam pro præsenti assertione; eo quod hi SS. PP. non se explicant an de vna, vel de altera beatitudine; idest naturali, & supernaturali loquantur; & probabilissimum mihi videtur eos de vtraque loqui indifferenter, vt loquitur etiam Sanctus Thomas.

Dices 1. cum Becano, cui nec etiam hæc Angelici Doctoris sententia placet: Angelus non appetiuit

uit hanc naturalem beatitudinem per modum desiderij, sed solum per modum amoris, & complacentiæ. Sed hic amor non fuit malus, nec ratione obiecti, nec ratione alicuius modi, qui fuerit in ipso actu amoris; neque ratione alicuius circumstātiæ, quæ debuerit esse in actu, vel secundum rectam rationem, vel secūdum regulam fidei. Ergo non peccauit appetēdo huiusmodi beatitudinem. Maiorem probat; quia desiderium fertur in rem absentem, & beatitudo naturalis erat præsens, non verò absens; ergo solo appetitu complacentiæ, non verò desiderij poterat appeti. Minorem etiam probat, primò quoad primam partem, quia beatitudo illa naturalis erat obiectū bonum, & dignum amore secūdum rectam rationem; secundam etiam partem probat, quia non potest assignari aliquis modus intrinsecus; propter quem ille amor fuerit inordinatus. ℞. negando maiorem, ad probationem Respondetur negando antecedens; nam Angelus in via non habebat propriam, & integram rationem Beatitudinis in eo sensu, de quo hic loquimur; nam talis beatitudo, siuè naturalis, siuè supernaturalis non est re vera talis perfectè, nisi sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, ad quem statum requiritur firmitas, stabilitas, & certitudo perpetuitatis in illo statu, quam non habebant Angeli in via: propterea S. P. in lib. de correptione, & gratia cap. 10. de hoc puncto loquens ait *erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summa beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis acciperent, idest vt magna per Spiritum S. data abundantia charitatis Dei, cadere vlterius omninò non possent, & hoc de se certissimè nossent: Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant*. Poterant igitur desiderare hanc plenitudinem beatitudinis; sine qua plenè, & perfectè beati esse non poterant, nec etiam beatitudine naturali, & libro vndecimo de Ciuitate Dei cap. vndecimo hoc idem argumentum versans ait. *Quapropter quamuis non quicquid æternum, continuò beatum sit, [dicitur enim etiam pænalis ignis æternus] tamen si verè perfectèque beata vita, non nisi æterna est, non erat talis istorum vita beata, quia quandoque desistura, & propterea non æterna*. Dicebantur igitur beati illi Angeli in via, & primi homines in statu innocentiæ, vt ait S. P. ibi capite sequenti, eo modo quo, *& nos hodiè non impudenter beatos vocamus, quos videmus iustè, ac piè cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere, sine crimine vastante conscientiam*. Sicut igitur homines pij, ac Sancti in hac mortali vita dicuntur beati, & nihilominus sperant, & desiderant beatitudi-

tudinem æternam, & æternitatem beatitudinis, sic & Angeli quando erant in via, potuerunt eam sperare, & desiderare. Ad minorem Respōdetur; amorem, & desiderium illud non fuisse quidem malum ratione obiecti in esse rei, sed ratione modi, ac circumstãtiæ, quo intellectus malorum Angelorũ tēdebat in huiusmodi obiectũ; quaten⁹ scilicet, vt ait S.P. loco supra citato *ipsi sibi ad beatã vitam sufficere vellent*, vel vt ait S. Ambrosius, *auxilium Dei refutantes, quæ fieri sine ipsius opere non possunt sua perfici virtute contendunt, & spē suam à Deo auferunt, &c.* vt supra, vel cũ S. Gregorio; *appetijt sibi quodammodo esse principium, &c.* quibus verbis hi SS. PP. apertè indicant, Dæmones errasse in modo appetendi beatitudinem, volendo scilicet sufficientiam suam sibi non ex Deo, sed à seipsis esse, & refutando auxilium *Dei, & appetendo esse sibi ipsis principium suæ beatitudinis*: vt docēt prædicti SS. PP. per quæ satisfit etiam probationi dictæ minoris; nam in his assignatur modus, immò modi intrinseci, quibus ille amor, & illud desiderium fuit inordinatus. Ad instantiã prædicti Auctoris, qua petit vtrum Amor iste fuerit inordinatus obiectiuè, vel intensiuè, an verò appretiatiuè. ℞. quidquid sit de ly obiectiuè, nam dici posset, obiectũ dupliciter considerari posse; primo in esse rei; secundo in esse formali obiecti; & quod in esse rei obiectum quidem illud in se erat bonum; nihilominus in esse obiecti quatenus scilicet ipsi Angeli sibi repræsentabant beatam vitam indepēdentem; immò refutantem auxilia Dei, ad quam ipsi soli, sibi ipsis sufficere volebant: conantes ex tunc quodammodo fundare primam Monarchiã Solipsorum, erat malum in ratione illa formali, & sub hac consideratione sub qua illam beatitudinem sibi repræsentabant. Sed quidquid sit de hoc. Respondeo: fuisse inordinatum appretiatiuè, quia suam sufficientiam ad hanc beatam vitam attollebant supra voluntatem, & potentiam Dei, recusantes dependentiam, & auxilium eius, sine quibus nec beatitudo supernaturalis, nec naturalis haberi potest. Ad id quod subiungit Becanus Angelum non fuisse transgressum aliquod præceptum naturale. Respondeo esse falsissimũ; nã eo ipso, quo agnoscebant se esse creaturas ex nihilo factas, cognoscebãt etiam, quod creatura, quę potest fieri Beata: *Nō ex seipsa potest*, vt loquitur S. P. lib. 12. de Ciuitate Dei, *quia ex nihilo creata est, sed ex illo, ex quo creata est*. Quapropter recusando subiectionem, & dependentiam à Deo in assequenda huiusmodi beatitudine transgrediebantur præceptum naturale, quia creatura eo ipso, quod est creatura, tenetur esse subdita Deo in suo esse, posse, & ope-

&operari; Et creatura intellectualis libera eo ipso, quod vult independentiā in aliquo ex his à primo principio, eo ipso transgreditur huiusmodi præceptum, & superbissimè se attollit supra id, cui debet esse iure naturæ subiecta. Denique ad id quod addit Becanus, non posse designari circumstantiam, propter quam ille amor fuerit inordinatus. Respondeo etiam hoc pariter esse falsissimum, & omnissa illa, quam ipse adducit ex Thomistis. Dico, fuisse malum, & inordinatum ex omnibus illis circumstantijs, ex quibus Theologi morales expendunt malitiam alicuius actus mali. Si enim attendatur *Quis* erat Angelus ornatus omni lapide pretioso, idest dotatus donis eximijs, tam naturalibus, quā supernaturalibus; & Lucifer præ omnibus, ac proinde tenebatur diligere Deum supra seipsum, & non se attollere; vel æquiparare illi in beatitudine. Si *Quid*; actus fuit pessimus, & ingratissimus rebellando à Deo, & coniurando contra ipsum. Si *Vbi* in ipsa Regia Creatoris idest in Cælo, & forte in ipsa Aula Principis, idestin Empyreo, vt placuit plurimis Theologis. *Si quibus auxilijs*, eisdē donis, quibus ab ipso Deo cumulatus fuerat; & adducendo tertiam partem stellarum, idest Angelorum, ad consortium sui sceleris rebellionis, si *Cur*, vt esset similis altissimo in solio gloriæ, & in principatu independens; quo fine peior assignari nequit. Si *Quomodo* peiori, & pessimo modo, quo fieri posset, recusando scilicet eius auxilia, & conuertendo omnia ea, quæ acceperat ad sui perfectionem, & ornatum contra ipsum Deum. Si *Quando*; vix creatus, tunc potissimum quando maiori, liberiori, & feruentiori actu tenebatur subdi, & diligere ipsum Deum. Ex omnibus igitur circumstantijs, quæ in actu peccaminoso excogitari possunt, fuit inordinatus ille Amor sui, quo superbus spiritus dixit *In Cælum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, & ero similis Altissimo*.

Dices 2 Primum Angeli peccatum fuit appetitus cuiusdam principatus, vt dictum est in prima assertione, & probatum Auctor. SS. PP. Ergo non potuit esse appetitus beatitudinis naturalis; aut supernaturalis. Probatur consequentia: quia hæc sunt valdè diuersa inter se. Vndè esto appetijsset postea aliquam ex istis beatitudinibus inordinatè, hoc non fuisset primum peccatum eius, de quo quærimus, sed secundarium. ℞. negando consequentiam; Ad probationem respondetur, nihil repugnare, quominus ea, quæ sunt diuersa in esse materiali, siue in esse rei conueniant sub vna ratione formali obiecti intellectus, & voluntatis: & maximè in Angelis, qui plurima vno, eodemque actu intelligunt, &

appe-

appetunt, vt sunt conclusiones in principijs, & effectus in causis. Quod si homo mortalis potest vnico actu appetere præesse omnibus alijs in diuitijs, voluptatibus, & honoribus, multo magis potuit Angelus appetere præesse cunctis in dominio, & beatitudine vnico, & indiuisibili actu, & sic etiam Angelic⁹ Doctor in præcitato articulo agnoscit potuisse esse, & appetitum beatitudinis; & appetitum dominij iam explicati.

Dico 4. primum peccatum Angeli non fuisse appetitum vnionis hyppostaticæ. Hæc assertio est communis, & sequitur per necessariam consequētiam ex principijs Doctrinæ SS.PP. & maximè S.P.N. Augustini, & S.Thomæ, & eorum omniū, qui docent Christum non fuisse vēturum, si Adam nō peccasset. Quorum doctrina supposita, sic probo intentum, si Angelus primo peccasset per appetitum vnionis hyppostaticæ, vel peccasset, quia eam concupiuisset, vt sibi debitam, & naturæ suæ viribus acquirendam: vel quia eā homini inuidisset: vel quia Christo Domino, tamquam proprio capiti, & Domino noluisset se subijcere; hæc enim sunt præcipua capita, propter quæ aduersarij docent, eum huiusmodi appetitu peccasse. Sed nullo ex his modis primò peccauit; ergo non peccauit primò per huiusmodi appetitum. Maior conceditur ab Aduersarijs. Minor probatur, quoad singulas partes. Et primò quod non peccarit appetendo eam vt debitam, &c. patet quia iste appetitus supponit in intellectu cognitionem talis vnionis antecedenter ad ipsorum peccatum; quæ tamen esse non potuit sine errore; & talis error communiter non admittitur in mente Angeli, & maximè circa talia obiecta: nam si in via nouit eam saltem vt possibilem; consequenter nouit eam esse in suo conceptu supremum opus ad extra inter supernaturalia: ac proinde nulli creaturæ debitum, aut acquisibile viribus naturæ. Quoad secundam partem probatur ex dictis in præcedentibus dubijs, vbi demonstratum est ex Scripturis, & SS.PP. primum Angeli peccatum non fuisse inuidiam, sed superbiam; vt enim ait S.P. lib. 11. de Gen. ad litteram cap. 14. *Inuidia sequitur superbiam, non præcedit*. Quoad tertiam partē probatur, quia omnis nolitio est fuga mali, & supponit, volitionem, & prosecutionem alicuius boni, nam vt ait S.Tho. in par. 2. qu. 21. art. 2. *Quia bonum quæritur, ideo refutatur oppositum malum*. Si ergo Angelus peccasset, quia noluisset, se subijcere Christo tamquam Domino; hoc non fuisset, nec potuisset esse primum peccatum, de quo quærimus; Sed necessariò debuisset pręsupponi in Angelo peruersa voluntas alicuius obiecti excellentis, ad quam sequuta fuisset

nolitio, siue fuga talis subiectionis. Vide S. Thomam lib. 3. contra Gentes cap. 109. Probatur secundo ex Becano loco supracitato Q. 2. § *Secunda Concl.* quia sententia Aduersariorum est planè noua, & nullum habet Authorem pro se ex veteribus Patribus, aut Theologis; cui addo, quod si aliqui PP. dicunt Angelum peccasse in hoc, nullus tamen ex illis dicit hoc fuisse primum Angeli peccatum; vt infra in obiectionibus clarum fiet. Prob. 3. cum eodem Auctore, quia opposita sententia nititur fundamentis, vel falsis, vel saltem dubijs. Supponit enim Mysterium Incarnationis fuisse reuelatum, Angelis, cum adhuc essent in via; quod tamen probari non potest: præterea supponit, Christum Dominum fuisse venturum, etiamsi Adam non peccasset; quod est contra omnes antiquos Patres, & in Scholis SS. DD. Augustini, & Thomæ falsum omnino reputatur.

Dices 1. cum Catharino, Viguerio, & Suario in Epistola ad Hebræos cap. 1. nu. 6. habetur. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit, adorent eum omnes Angeli Dei.* Hic locus indicat: Christum Dominum bis introductũ fuisse in orbem terrarum; primò quidem in creatione Angelorum, quando illis manifestatum fuit Sacrosanctum Incarnationis Mysterium: secundò quando fuit adimpletum; Et in vtraque vice præceptum fuisse Angelis, vt ipsum Christum, tamquam caput ipsorum, & hominum colerent, & adorarent: Quod præceptum Lucifer in prima introductione ex superbia, & inuidia transgressus fuit; eo quod propriam excellentiam, & perfectiones considerans ęgrè tulit, inferiorem creaturam sibi præponi; ac proinde eleuatum est cor eius in superbiam; & inordinatè sibi ipsi eam appetiuit excellentiam; & consequenter humanitati SS. Christi Domini, & toto generi humano eam inuidit. ℞. ex communiori interpretum sententia, hunc non esse germanum sensum illius loci, & verborum illius textus, vt videre est apud Nicolaum de Lyra in Commentario prædicti loci, apud Adamum in expositione illius; vbi aduertit, illam particulam *Iterũ* non significare aliquam secundam introductionem supponentem aliã priorem; sed esse citationem alterius testimonij veteris testamenti, idest ex Psal. 96. v. 8. vbi Psal. ait: *Adorate eum omnes Angeli eius*; nam antea Apostolus attulerat alios textus ex libris Sapientiæ cap. 7. v. 36. ex Ps. 2. v. 7. ex lib. 2. Regum cap. 7. v. 17. quapropter ly *iterum* idem est, ac si diceret Apostolus in alio loco Scripturę; immò obseruat Vasq. T. 2. primę par. disp. 234. cap. 2. § 12. quod Græci interpretes propterea non exponunt illam particulam

ſam *Iterum*, eo quod viderent ad ipſum teſtimonium citatum non pertinere. Eſt enim nexus, & copula huius textus cum præcedentibus. Verum adhuc dato quod illa particula exprimeret duas introductiones; non eſt neceſsè accipere primam introductionem in mente Angelorum; nam illa fuit introductio intentionalis, & obiectiua; & non poteſt per illam dici Primogenitus introductus in orbem terræ, ſed in orbem intellectualem; vnde nec etiam hoc modo poteſt ſumi efficax argumentum ex hoc loco pro Aduerſarijs; cum introductio in orbem terræ debeat eſſe phyſica extra ſuas cauſas, & non ſolum intentionalis: quapropter melius exponũt hunc locũ alij gratis data prædicta interpretatione de duplici introductione, vna in carne paſſibili, & mortali; altera impaſſibili, & immortali per Reſurrectionem, quando cæpit Filij Dei notitia, & Regnũ ipſius ſpirituale propagari: Et hæc introductio poteſt dici facta iterum; quia per mortem Crucis videbatur à Mundo excluſus, & abſciſſus de terra viuentium, vel cum Genebrando in expoſitione prædicti Pſal. 96. poteſt dici, ſecundam illam introductionem faciendam eſſe in extremo Aduentu Chriſti, quando venerit ad iudicandum, & omnia ei ſubijcientur. Vide plura alia de hoc textu ſupra Controuerſia Septima in dubio ad Axioma Tertium §. *Dices* 5. ex his enim, & illis ibi adductis corruit penitus tota hæc Aduerſariorum obiectio.

Dices 2. Diuum Bernardũ ſerm. 17. in Cantica, & Rupertum Abbatẽ lib. octauo in Ioannem ad illa verba *ille homicida erat ab initio:* docere; Angelũ peccaſſe appetitu vnionis hyppoſtaticæ, & eam inuidiſſe humanæ naturæ. ℞. cum Vaſquez, Diuum Bernardum ibi ſolum docere; Luciferum inuidia vnionis naturæ humanæ cum verbo peccaſſe, non tamen docet, quod eam appetierit ſibi; ſed ſolum dicit, eum indignè tuliſſe hoc myſteriũ, & dixiſſe *Vt quid perditio hæc vnguenti*; ac ſi diceret fruſtra Verbum Diuinum fuiſſe incarnandum. Et in eodem Sermone ſolum affirmat Angelum appetijſſe, præeſſe hominibus tamquam Magiſtrum, & propterea dixiſſe *Vt quid, &c.* Ad id quod adducunt alij in confirmationem ex eodem S. Bernardo ſerm. 1. de Aduentu. Reſpondeo: neque ibi aliquid tale docuiſſe Melliſluum Doctorem; ſed ſolum docuiſſe; Angelos, & primos homines peccaſſe appetitu ſuperbo æqualitatis Sapientiæ, & Scientiæ Dei; quæ cum attribuatur Filio Dei, introducit ibi illum dicentem; *Si propter me orta eſt tempeſtas, proijcite me in mare;* ideſt mortalitatis, & paſſionum, quas aſſumpſit. Similiter ad Auctoritatẽ. Ruperti reſpõdeo: ibi ſo-

solum docere, quod Diabolus peccauerit peccato odij contra Christũ, statim ac nouit Mysterium Sacrosſ. Incarnationis, & propterea illi ex tunc Passionem, & mortem molitum fuisse. Et propterea ex tunc homicidam ab initio appellatum fuisse.

Dices 3. Lucifer appetijt aliquã aliam excellentiam maiorem illis, quas habebat, vel in re, vel in spe, vt indicant Scripturæ S. textus supra adducti; sed hæc non potuit esse alia quam vnio hyppostatica; ergo hanc de facto inordinatè appetiuit. Maior non habet difficultatem, & ferè ab omnibus conceditur. Minor probatur, quia si quæ alia fuisset, hæc aut beatitudo naturalis, aut supernaturalis; aut prælatio aliqua fuisset; (nam æqualitatem in natura cum Deo, nec appetijsse, nec appetere potuisse infra ostendam,] sed non fuit vlla ex istis; nam Lucifer iam præerat alijs, beatitudinem verò naturalem, iam habebat in re, supernaturalem verò habebat in spe; sciebat enim, quod eam de facto cõsequutus fuisset, si in gratia permansisset · ergo non potuit esse vlla alia perfectio illa, quam appetijt, nisi vnio hyppostatica. ℞. negando minorem. Ad probationem respondeo, non habuisse, nec dominationẽ siue prælationem; nec beatitudinem supernaturalem, nec naturalem eo modo; quo ipse appetebat, idest independenter, & sinè subiectione, ad ipsum Deum, vt supra explicatum est; nec est beatitudo perfecta, siue naturalis, siue supernaturalis, nisi sit perpetua, & qui eam possidet, de hac perpetuitate sit certus, vt supra ex S.P. ostendi.

Dices 4. verba illa Isaiæ cap. 14. v. 13. *In Cælum conscendam, &c.* nõ possunt intelligi de Cælo materiali; nam Angelus iam erat in eo; ergo sunt accipienda de ascensu ad Cælũ intellectuale; idest ad aliquod esse spirituale, quod ipse non haberet: hoc non erat esse Angelicum, iam enim erat Angelus, nec esse Diuinũ per identitatem; sciebat enim, hoc esse impossibile. Ergo fuit esse Diuinum per vnionem hyppostaticam, quod saltem ex reuelatione sciebat esse possibile. ℞. ex communi interpretum consensu aliam esse prædicti textus explicationem; nã Glossa interlinealis sic interpretatur. *Cum subiecero mihi terram, quid restat nisi vt in Cælum conscendam.* Glossa verò ordinaria, sic: *In firmamento erat in Cælum conscendam vbi est Domini solium*, & Nicolaus de Lyra; *idest super alios Angelos, sic enim voluit præesse alijs Angelis indebitè scilicet, vt sibi exhiberent honorem soli Deo debitum, & nulli subesse; non simpliciter; cum sciret, se non posse esse absque Dei manutenentia, sed quantum ad regulam agendorum.* Hæc ibi Lyranus conformiter ad verum, & germanũ sensum SS.PP. interpretum, & communiter

mu-

muniorem Sententiam Theologorum.

Dices 5. Io: c. 8. v. 44. habetur dictum Pharisæis à Christo Domino: *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere, ille homicida erat ab initio.* Ex antecedentibus contextus illius capitis constat Phariseos voluisse occidere Christum D. & consequenter ad hęc ipse Saluator dicit, quod perficere volebant desideria Luciferi, quæ habuit ab initio occidendi ipsum; ergo si à principio Lucifer desiderauit occisionem Christi, necesse est, hoc peccatum initiale ipsius Luciferi ortum habuisse ex reuelatione vnionis hyppostaticę, quam ille appetebat, & humanitati Christi inuidebat. ℞. illum non esse sensum verum illius loci; sed illũ, quem habet S. P. Tract. 42. in Ioannem ad prædicta verba sic. *Ille inuidit homini, & occidit hominem. Diabolus enim, cum inuideret homini serpente indutus, locutus est mulieri, & de muliere venenauit & virum, &c. Ergo ille homicida erat ab initio. Videte genus homicidij fratres. Homicida dicitur Diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus: ad hominem venit, verbum malum seminauit, & occidit.* Immò in lib. vndecimo de Ciuitate Dei cap. 13. expresse loquens de casu, & ruina Angelorum malorum, & adducens hunc textum refundit illam in peccatum Superbiæ nolendi esse subditum creatori ait enim. *Forte quis dicat id, quod Dominus ait de Diabolo in Euangelio, ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: sic esse capiendum, vt non solum homicida fuerit ab initio humani generis: ex quo vtique homo factus est, quem decipiendo posset occidere: verum etiam ab initio suæ conditionis in veritate non steterit; & ideo nunquam beatus cum Sanctis Angelis fuerit, suo recusans esse subditus creatori, & sua per superbiam velut priuata potestate elatus; ac per hoc falsus, & fallax.* Quem discursum in fine capitis, approbat, vt omnino diuersum à discursu Manichæorum. Similiter etiã in libro vndecimo de Genesi ad litt. cap. 16. ait. *Et homicida quidem ab illo initio, ex quo homo potuit occidi: non autem potuit occidere, antequam esset, qui occideretur: Ab initio ergo homicida Diabolus, quia ipse occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit.* Hæc & similia habẽt Glossæ, & interpretes, tam Græci, quam Latini; ex quibus patet sensum verum, & proprium illius loci esse valdè diuersum ab interpretatione Catherini, & aliorum Neotericorum, qui eius sententiæ adhærent.

Dices vltimo: Ex Scripturis, & SS. PP. constat, Angelum peccasse ex inuidia contra genus humanum. Sed hæc non poterat versari circa perfectiones naturæ, vel gratiæ; in his

enim

enim ille superabat homines; ergo necessariò sequitur fuisse circa donū vnionis hypostaticę, quam humanitati Christi D. inuidebat. ℞. verā, & germanam interpraetationē Scripturarum, quae docent Angelos malos peccasse ex inuidia, esse illam, quam assignat S.P. in Axiomate huius dubij his verbis. *Posteaquam superbus ille Angelus, ac per hoc inuidus, per eamdem superbiam à Deo ad semetipsum cōuersus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudens subditis: quā esse subditus eligens, de spirituali Paradiso cecidit, &c. male suada versutia in hominis sensum serpere affectās, cui vtique stanti, quoniam ipse ceciderat inuidebat colubrū in paradiso corporali elegit, &c.* Inuidia igitur contra genus humanum fuit post casum ipsius Luciferi: quia videbat; quod ipsi primi homines starent, cum ipse cecidisset, & hoc quoad quaestionem de facto satis, quoad possibilitatem enim non nego, quin potuerit Angelus peccare appetendo inordinatè ipsam vnionem hypostaticam; dixi inordinatè: arbitror enim potuisse etiam appeti ordinatè, & sine peccato; ideſt cum subiectione ad Diuinum beneplacitum, & affectu ac desiderio maioris coniunctionis cum ipso Deo; appetitur verò inordinatè, si appetatur ex motiuo dominādi, & tyrannico fastu gaudendi subditis, vt supradictum est.

Dico 5. Angelum non appetiuisse appetitu absoluto, & efficaci, immò nec potuisse sic appetere ęqualitatem Dei in essentia, siuè in natura: hanc assertionem probat S.Thomas art. 3. qu. 63. Quia nemo appetit id, quod scit esse impossibile; sed Angelus optimè nouerat, hoc esse impossibile; ergo nec appetiuit, nec potuit hoc appetere. Confirmatur ex Aristotile lib. 3. Ethic. vbi docet *Electionem non esse impossibilium*, cuius axiomatis ratio est, quia electio est voluntas efficax; quae tendit ad rei consecutionem; nullus autem voluntate absoluta, & efficaci nititur in id, quod iudicat, aut scit, esse impossibile; cum quo tamen stat, quod si detur iudicium erroneum, quod aliquid reuera impossibile alicui, sit sibi possibile; non nego; quin tunc possit aliquis tendere etiam per electionem in id, quod est impossibile, & sic libenter do, quod si Angelus habuisset iudicium erroneum de hoc, potuisset illam absolutè, & efficaciter appetere.

Dices: ex Scripturis Sacris habemus, eum reuera Deum se existimasse, & vt talem se manifestasse; ergo reuera hoc voluit, & appetiuit: probatur antecedens: nam Ezech. cap. 28. v. 2. ex probatur Diabolo hoc illis verbis: *Dixisti in corde tuo: Deus ego sum*. Sic etiam Isaiae c. 14. v. 14. refertur dictum ab illo, *Similis ero Altissimo*; & ex nomine S.Michaelis Arcangeli desumptum ex actu

quo

quo se illi opposuit; quod interpraetatur, *Quis vt Deus*, manifestũ est, Luciferum in hoc errasse. ℞. communiter, ex istis locis solum haberi, quod voluerit esse similis Deo; non verò quod appetierit identitatem, vel aequalitatem in natura; cũ enim esset plenus scientia, optimè nouerat: hoc esse impossibile, vt ex ipsis Sacris litteris patet; propterea in his textibus exprimitur similitudo, non verò identitas, aut aequalitas vera propria, & rigorosa; ly enim *sicut*, & *similis* solam similitudinem indicant; quae rectè stat sine aequalitate. Locus ille Ezechielis dictus est primò in persona regis Tyri, sub quo tamen figurabatur Lucifer. Et propterea Glossa ordinaria in expositione illius textus affert etiam supradictam Auctoritatem Isaiae, *Similis ero Altissimo*: ita vt sensus sit, solum de similitudine esse ibi sermonem: & apertius Nicolaus de Lyra ibi ait *dixisti, Deus ego sum; idest potens in terra, sicut Deus in Caelo, & est hyperbole, sicut communiter dicitur de aliquo multum potente in aliqua patria, vel Ciuitate: Talis est Deus talis Ciuitatis, vel patriae; vel fortè quia Rex Tyri ex nimia elatione faciebat sibi exibere honores diuinos, sicut Ioas, Nabuchodonosor, & Caius Imperator.* Ex quibus apparet, non rectè inferri ex eo, quod ibi sit Luciferi sermo de appetentia absoluta Deitatis per aequalitatem propriam.

Dico 2. probabile esse, quod potuerit appetere aequalitatem praedictam affectu simplici, & inefficaci non tendente in rei consecutionem; sed sistente in quadam simplici complacentia libera, & hanc dicunt aliqui fuisse mentem Scoti in secundò dist. 6. qu. 1. vbi videtur dissentire à S. Thoma circa huiusmodi appetitũ; sed si haec fuit eius intentio re vera non dissentit. Probatur haec assertio primo ex Aristotele loco supra citato: vbi docet Electionem quidẽ non posse esse, bene tamen voluntatem impossibilium. Prob. 2. communiter quia etiam Damnati volũtate condicionata, & inefficaci appetunt Deũ non esse; quòd tamẽ non est minus impossibile quam sit Angelum esse Deum per essentiam: Ergò etiam Angeli potuerunt modo dicto appetere hoc impossibile.

Dices primo: damnati hoc appetũt nõ propter se; sed propter aliud, idest vt euadãt punitionem. At hoc non habet locum in Angelis antequam punirentur, in quibus non apparet vllum motiuum, quo potuissent ipsi velle Diuinitatem per essẽtiam. ℞. sufficiens motiuum potuisse esse, quòd vellent esse in maiori honore, & gloria, quam esset illa, quam habebant; & quae proueniret ex tali aequalitate, ac proinde sibi in illa inordinate complacere.

Dices secundo: in simplici complacentia non est nec meritum, nec demeri-

meritum. Ergo Angelus non potuit hoc modo peccare. ℞. negando antecedens; nam in complacentia libera existentis in gratia, & viatoris de perfectionibus Diuinis, gloria Dei, & in displicentia qua homo nollet se peccasse, postquam peccauit, licet sit voluntas conditionata, inuenitur ratio meriti, & similiter in libera, & simplici complacentia, qua voluntas delectatur de obiecto malo, vel qua desideraret Deum, non esse solum ex prauo affectu, inuenitur ratio demeriti.

Dices 3. Nullus potest appetere sui destructionem, nec etiam affectu simplicis complacentiæ, nisi ex errore prauo existente in intellectu. Sed si Angelus appetiuisset simplici affectu Diuinitatem modo dicto appetiuisset sui destructionem; cum tamen de hoc non haberet errorem in intellectu; ergo nullo modo potuit appetere Diuinitatem; Maior communiter admittitur. Minor probatur quoad primam partem, quia non poterat esse æqualis Deo in Deitate, nisi desijsset esse Angelus; [nō enim est hic sermo de vnione hypostatica, sed de identitate cum Diuina natura.] Ergo si appetijsset Diuinitatem modo dicto, appetijsset sui destructionem. Probatur etiam quoad secundam partem; quia Angelus clarè, & distinctè nouerat seipsum, & consequenter se esse creaturam, & ens essentialiter dependens, ac proindè se non posse transire ad esse Dei, de cuius essentiali conceptu est esse ens omnino independēs, nisi prius desineret esse ens essentialiter dependens. Ergo non habebat errorem in intellectu, qui requiritur ad hoc, vt posset appetere simplici affectu, seu complacentia hoc complexum impossibile, quod est, incipere esse Deum per essentiam. ℞. quod cum Angelus non cognosceret tunc Deum sicuti est, poterat optimè se apprehendere, ac si esset Deus; hoc est, ac si super se non haberet Deum; Ex quo non sequitur eum, appetendo Diuinitatem modo explicato, appetijsse sui non esse; nam licet esse Deum essentialiter, importet necessariò, & essentialiter nō esse creaturam, poterat nihilominus Angelus vnum sine altero voluntati proponere; idest bonum Diuinitatis, non proponendo malum, quod est in non esse sui ipsius, & hoc absque iudicio affirmante, vel negante: Sicut apprehendit præesse alijs omnibus independenter à Deo, esse sibi bonum, ac proindè appetendum, prout de facto appetijt, vt supra dictum est; non apprehendendo, vel iudicando de malis, & pænis indè secuturis.

Dices 4: hæc simplex, & inefficax complacētia non est actus deliberatus. Ergò non sufficit ad peccatum mortale. ℞. distinguendo antecedens, non est actus delibera-

tus, ideſt liber procedens à voluntate potente operari, & non operari, nego antecedens; & hæc ſufficit ad peccatum ſi adſit præceptum vel naturale, vel poſitiuum. Non eſt actus deliberatus procedens à voluntate eligente, ad quem præceſſerit conſultatio, concedo antecedens; ſed hoc licet ſufficiat ad peccandum, non tamen neceſſariò requiritur; quia ſine hoc complacentia ſimplex poteſt eſſe actus liber, & ad peccatum ſufficiens.

AXIOMA SEPTIMVM.

Caſus Angelorum deſerentium Deum.

Ex Enchiridione cap. 28. & 29.

ANgelis aliquibus impia ſuperbia deſerentibus Deum, & in huius aeris imam caliginem de ſuperna cæleſti habitatione deiectis: reſiduus numerus Angelorum in æterna cum Deo beatitudine, & ſanctitate permanſit, neque enim ex vno Angelo lapſo, atque damnato, cæteri propagati ſunt, vt eos ſicut homines originale malum obnoxiæ ſucceſſionis vinculis obligaret, atque vniuerſos traheret ad debitas pœnas: ſed eo, qui Diabolus factus eſt cum ſocijs impietatis elato, & ipſa cum eis elatione proſtrato, cæteri pia obedientia Domino cohæserunt, &c. Placuit itaque vniuerſitatis creatori, atque moderatori, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat, in perpetua perditione remaneret.

DVBIVM

Vtrum omnes Angeli, qui peccauerunt fuerint damnati, & quomodo.

COnſtans eſt omnium Theologorum aſſertio. Omnes Angelos, qui ſemel peccauerunt fuiſſe damnatos. Et prob. 1. Ex epiſt. 2. S.Petri cap.2. vbi habetur *Deus Angelis peccantibus non pepercit*. Et cõfir-

firmatur ex cap. 12. Apocalyp. v. 8. vbi de Angelis peccantibus dicitur. *Neque locus inuentus est eorum amplius in Cælo*. Hæc enim loca cum habeant vim propositionum vniuersalium negatiuarum satis apertè ostendunt nullum eorum veram pænitentiam egisse. Si enim egissent veram pęnitentiam nō fuissent damnati. Hoc idem docent communiter Patres: & hoc non obscurè indicat S. P. hic in Axiomate, cum indiscriminatim dicat. *Angelis impia superbia deserentibus Deum, & in huius aeris imam caliginem de superna Cælesti habitatione deiectis*.

Difficultas nunc est in assignanda firma ratione prædictæ impænitentiæ Angelorum malorum, quæ ex eo oritur; quod vel pænitentia erat possibilis, vel impossibilis illis. Si enim possibilis fuit, vnde constat aliquos non pænituisse, & in gratiam restitutos fuisse. Si enim dicatur hoc haberi ex prædictis scripturis: responderi potest in illis esse Sermonem solum de Angelis omnibus peccantibus, & non pænitentibus. Si dicatur quod fuit impossibilis, huius impossibilitatis ratio assignari debet: Et hic labor est, in quo primò reijciendus est error Origenis, docentis Dæmones esse purgādos, quē refert S P. Augustin⁹ lib. de hæresibus, & refutat hæresi 43. his verbis. *Quis enim Catholicus Christianus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat, eam, quam dicit purgationem malorum, idest etiam eos, qui hanc vitam in impietate finierint, ipsum etiam Diabolum, atque Angelos eius post longissima tempora purgatos, atque illuminatos Regno Dei restitui, &c.* Qui error in sexta Synodo in Epistola Sophronij, quæ fuit recitata actione secunda, & approbata actione 13. specialiter damnatus est iste Origenis error, & meritò; nam oppositum eius cōtinetur in Euang. S. Matthæi cap. 25. in epist. S. Iudæ Apostoli, in Apocalypsi S. Ioan: cap. 20. in Symbolo S. Athanasij, & in Concilio Later. cap. firmiter. Quibus in locis habetur pænas damnatorum futuras Æternas. Et hic est sensus vniuersalis SS. PP. & omnium Christi fidelium. Quo errore excluso, quem Valentia dicit Origenem in Periarchon cap. 6. non asseueranter docuisse; sed cum timore, & tremore proposuisse datis eius verbis.

Thomistæ communiter docent cum Angelico Doctore 1. par. qu. 64. art. 2. Angelos semel peccantes natura sua esse inflexibiles, eo quod immobiliter adhæreant ei, quod semel elegerunt, ac proinde eos non posse mutare electionem semel factam, & ex hac inflexibilitate oriri impossibilitatem in eis post peccatum agendi pænitentiam.

E contra S. Bonauentura in secūdo dist. 7. par. 1. art. 1. qu. 1. Scotus ibid.

ibid. quæst. vnica. Durandus etiā ibi qu. 2. num. 11. & Marsilius qu. 5. art. 3. & alij plures, tum antiqui, tū recentiores docent voluntatem Angeli natura sua esse flexibilem: ac proinde aliunde esse petendam rationem impænitentiæ Dæmonum: Et hoc est magis conforme doctrinæ S.P.N. Augustini, & S. Fulgentij Ruspensis Episcopi, & eius discipuli, vt habetur in libro de Fide ad Petrum, qui sub nomine vtriusque circumfertur cap. 23. vbi expresse habetur. *Hoc ipsum quod Angeli ab illo statu beatitudinis mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt gratiæ Diuinæ largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, numquam de eorum consortio Diabolus, & eius Angeli cecidissent.* Hoc ipsum etiam manifestè habetur in capite tertio eiusdē libri. Propterea

Dico 1. totam causam impenitētiæ Diaboli desumendam esse ex denegatione diuini auxilij. Quod probatur, quia Angeli mali sine speciali auxilio gratiæ, non potuerunt agere veram pænitentiam de peccato semel commisso. Et Deus huiusmodi auxilium illis omnibus peccantibus iustè denegauit, vt ex Scripturis, & PP. habetur, & patet ex effectu. Ergo ex hoc capite sufficiens ratio impænitentiæ habetur.

Dices 1. cum Thomistis intellectus Angeli apprehendit immobiliter vnum oppositorum. Ergo, & voluntas Angelica adhæret vni oppositorum fixè, & immobiliter postquam illud elegerit. Antecedens probatur, quia Angeli apprehendūt sine discursu eo modo, quo nos apprehendimus prima principia; quæ propterea à nobis apprehenduntur fixè, & immobiliter. Consequentia probatur, quia voluntas est proportionata intellectui, tamquā mobile suo motori. ℟. quidquid sit de iudicio speculatiuo; non tamen dictamine practico, quo intellectus mouet voluntatem habere Angelū, vt apprehendat immobiliter. Potest enim, & ipse practicè quodlibet oppositorum sub ratione aliqua boni saltem apparentis, vel delectabilis, ac proinde sine errore speculatiuo proponere voluntati oppositum eius, quod idem intellectus iudicio speculatiuo iam apprehēderat vt verum. Est tamen probabilissimum, quod longe difficilius Angelus, quā homo dimoueatur ab eo, quod sibi semel proposuit. Cum enim sit perfectiori intellectu, & voluntate præditus; sic etiam eligit firmiori quodam conatu.

Dices 2. Si Angeli natura sua essent flexibiles Deus pro sua misericordia aliquem illorum adiuuisset ad salutarem pænitentiam suscipiendam; hoc enim videtur verosimilius, & Diuinæ misericordiæ con-

formus: cum hoc præstet quotidiè cum hominibus non semel tantum, sed plusquã septuagies septies enormissima scelera iterantibus. Sed nullum vmquam adiuuit; vt constat ex prædictis, & testatur etiam Diuus Petrus in secunda Epistola cap. 2. sic Deus Angelis suis peccantibus non pepercit. Ergo dicendum est eos natura sua post electionem esse inflexibiles. ℞. esse plures rationes, quas adducunt SS.PP. propter quas Deus voluit negare gratiam Angelis ad pænitentiam salutarem, esto illorum arbitrium natura sua sit flexibile, & eam concesserit hominibus. Prima est quia homo peccauit ex imbecillitate, seu fragilitate, Angelus verò ex malitia. Secunda, quia homo peccauit alio suadente, & decipiente, Angelus sua sponte. Tertia, quia peccante vno homine perijt tota natura humana.

Dico 2. non esse certum, an Angeli statim, ac immediatè post primum peccatum fuerint damnati; licet enim communiter habeatur pro certo, quod omnes in eodem instanti simul peccauerint; non tamẽ propterea possumus asserere in eodem quoque momento fuisse pæna affectos simul cum peccato; nam licet posset assignari, quod in priori naturæ peccauerint, & in posteriori fuerint puniti intra idem instans durationis, seu temporis; nihilominus hoc à nullo adhuc ex Theologis, quos vidi assertum inueni. Cum enim peccatum fuerit commissum in via: & primum instans pænæ fuerit initium termini necessariò videtur debere assignari diuersam durationẽ vni, ac alteri; neq; enim via, & terminus debent, aut possunt in eodem momento durationis implicari. Si quæras quantum distauerit primum instans inflictionis pænæ à primo instanti creationis, vel ab instanti lapsus, loquendo de duratione extrinseca, nihil certi possumus assignare, loquendo verò de intrinseca, ea ratione qua supra dixi, instantia Angelica desumi ab eorum operationibus ad minus tria instantia sunt assignanda. Primum est creationis, in quo omnes omnino Angeli creati fuerunt in gratia, iuxta proloquiũ S. P. Deus erat in eis condens naturam, & largiens gratiam. Secundum, in quo mali per actum superbiæ se auerterunt à summo bono; quem consecutos fuisse alios actus aliorum peccatorum probabile est, sed ab his ordinariè non desumi ur diuersitas instantium, cum supponatur simul cum illis durasse actum illũ superbiæ, qui fuit radix aliorũ peccatorum; Et propterea ab eo solũ, & principaliter accipitur denominatio diuersi instantis à primo. Tertium fuit, in quo incepit eorum pæna, & non solum ignis, & cruciatus, postquam deiecti fuere; sed etiam damni; nam licet omnes

An-

Angeli in toto spatio viæ non viderint clarè Diuinam Essentiam; non tamen hæc carentia in Angelis malis habuit rationem pœnæ; nisi quãdo ex decreto Dei habuit rationem priuationis, & priuationis æternæ; nam antea habebat solum rationem simplicis carentiæ: non enim adhuc debita erat visio beata, nec etiam bonis; Et sicut in Angelis Sanctis collatio visionis beatificæ in primo instanti, fuit debita eorum merito, & habuit rationem præmij, & primi esse termini eorum; ita carentia illius non potuit habere rationem pęnæ, nisi quando incæpit esse priuatio æterna à Deo decreta, & ab eis contracta pro debito supplicio suę Apostasiæ. Propterea communiter censetur simul simultate coexistentiæ cæpisse terminum viæ Angelorum Sanctorum, & terminum viæ Dæmonum.

Dico 3. Angelis non fuisse concessum spatium, vel locum pænitentiæ, sed statim, ac deliquerunt fuisse irremissibiliter deputatos damnationi, & pænæ æternæ. Hæc assertio est communis in Scholis, & ex principijs S. Thomæ sequitur per necessariam consequentiam; nam eo ipso quod ponuntur natura sua post liberam electionem inflexibiles omnino, necessariò sequitur, quod frustra eis concederetur locus, vel spatium pænitendi. In nostra verò sententia, qui ponimus eos naturæ sua flexibiles, habet aliquam difficultatem. Immo non defuere Scholastici primarij, ac interpretes S. Scripturæ, qui oppositum docuerunt. Inter quos sunt Scotus in secundo dist. 6. quæst. 2. §. *Ad argumenta principalia*, v: *ad quartum*. Gabr. ibid. art. 1. concl. 2. vbi docent Angelos post primum peccatum intra spatiũ viæ potuisse resipiscere; quod si fecissent inuenturi erant veniam, & misericordiam, & consequenter negant Angelum statim post primum peccatum fuisse irremissibiliter adiudicatum, & addictum pænæ. Hoc defendit etiam Salmer. in suis Commentarijs super Epistolam secundã S.Petri cap.2. disp. 3. Dubio 3. His tamen non obstantibus, non est recedendum à communiori sententia supra posita. Quæ communiter probatur, ex illo D.Petri epist. 2. cap. 2. *Deus peccantibus Angelis non pepercit*, cuius textus sensus est Deus non reliquit eis locum remissionis, & veniæ; conantur aliqui infirmare vim huius Scripturæ, dicẽdo quod Apostolus ibi subiungit. *Et originali Mundo non pepercit diluuium inducens*. Cum tamen constet Deum concessisse hominibus pænitentiam. Sed facile respondetur hic loqui Apostolum de pæna temporali Mũdi; idest hominum, qui erãt in Mundo; ibi verò loquitur de æterna; *vnde* potius erat inferendum oppositum; idest quod sicut Deus non pe-

per-

percit hominibus peccantibus, & non pænitentibus pænam temporalem comminatam diluuij; quia non resipuerunt; ita nec etiam pepercit Angelis peccantibus pænam æternam, sic se explicat ibi Apostolus ipse, cum enim dixisset *Angelis peccantibus non pepercit*, statim subdit, *sed videntibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, &c.* post illud verò de diluuio adducit etiam in exemplum Ciuitates Sodomorum, de quibus dicit, *& Ciuitates Sodomorum, & Gommorrœorum in cinerem redigens euersione damnauit*. Vbi vlterius aduerto, quod hic Scriptura meminit de Noè custodito à diluuio, & Loth de incendio liberato: ex quibus infert. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere*. Cũ tamen nullam faciat mentionem de Angelorum malorum pænitentia, vel actuali, vel possibili. Prob. 2. ex communi consensu PP. nam S.P. hic in Axiomate, & in lib. vndecimo, duodecimo, & 22 de Ciuitate Dei; & alibi indifferenter ponit Angelos per superbiam elatos, & deserentes Deum deiectos fuisse: Idem habetur expressius in libro de mirabilibus Sacræ Scripturæ, qui circumfertur inter opera S.P. in appendice tamen lib. 1. cap. 2. est celebre ad hoc intentum Axioma illud Sancti Ioannis Damasceni lib. 2. cap. 4. *Hoc fuit Angelis casus, quod hominibus mors*. Idem docent S. Gregorius Magnus lib. 2. Moralium cap. 3. & lib. 4. cap. 9. & 10. S. Ioannes Chrysostomus homil. de Adam, & Eua. S. Isidorus lib. 1. de Summo Bono cap. 12. & in lib. Sentent. Sent. vndecima. S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 21. & S. Gregorius Nyssenus lib. 1. de Philosoph. cap. 3. Probatur tertio ratione à posteriori, [nam à priori nullam aliam possumus certam assignare præter diuinã voluntatem, & Prouidentiam sic disponentem;) quia de facto non cõceditur remissio peccatorum, nisi per merita Christi Domini; Sed Christus non fuit Redemptor Angelorum, sed hominum solum, vt est indubitatum in doctrina S. P. N. & S. Thomæ. Ergo non poterant Angeli consequi remissionem peccati; sed statim ac peccarunt, fuerunt sine remissione addicti damnationi æternæ. Prob. vltimo, quia alias posset quis dicere inter Angelos Beatos dari de facto aliquos, qui peccauerunt, & postea per pænitentiam veniam obtinuerunt, quod tamen ad minus esset temerarium asserere.

Dices post primum peccatum antequam infligeretur eis pæna; & durante prælio inter S. Michaelem Archangelum, & Draconem potuerunt addere; & communior sententia est quod de facto addiderint alia peccata. Ergo potuerunt etiam resipiscere à primo peccato, & agere

pæ-

pænitentiam. Probatur consequentia, quia si non potuissent resurgere à peccato; nec etiam peccassent addendo nouos actus malos primo peccato. Ideo enim dicitur eos non potuisse resurgere à peccato; quia non fuit eis datum auxilium sufficiens ad hoc: sed nec etiam habuissent auxilium sufficiens ad vitanda sequentia peccata: Ergo de facto non peccassent per sequentes actus quantumuis malos, quos supponitur eos exercuisse antequam de superna cælesti habitatione deijcerentur. ℟. aliqui actus malos sequentes ad primum peccatum fuisse solum liberos in causa, hoc est in primo peccato; nam Angeli tunc præuidere, & cogitare debebant, se per illud peccatum contrahere necessitatem committendi deinceps alia peccata. Hoc tamen recentioribus nō placet, quia cum essent in via, vt supponitur, ad quemcumq; actum antecedentem ad principiũ termini debebant esse liberi: Et quia sequentia peccata imputarentur solum ratione eius primæ voluntatis in causa, quod eis durum videtur. Sed quidquid sit de hoc, de quo alibi. Responsio communior, & magis recepta est; quod etiam tunc peccare poterant magis, ac magis, & demereri, & maiorem pœnam sibi thesaurizare; Cũ enim adhuc peccent in termino damnationis, etiam tunc peccare poterant; & liberum erat eis non addere illa peccata; nam licet non habuerint auxilium sufficiens, quo possent conuerti ad Deum, & agere pænitentiam de primo peccato; habebant tamen, quatenus erat necessarium vt possent non adijcere noua peccata. Sic soluit nodum Auersa 1. par. quæst. 64. sect. 1.

Dices 2. videtur durum quod ex vna parte Angeli post aliquod meritum potuerint peccare; & posito primo peccato non potuerint resurgere, & ex alia ad acquirendam gloriã requisita fuerit perseuerantia interrupta. ℟. hoc non esse durum, sed iustissimè à Deo ordinari potuisse; vt patet in simili de primis parentibus, quibus vt conseruarentur immunes à morte, & in statu iustitiæ originalis imposuit Deus præceptũ, quod toto tempore viæ debebant obseruare, post cuius primam transgressionem non fuit amplius reditus ad illum statum, nec ad immunitatem à morte. Quod verò nobis hominibus in hoc statu naturæ lapsæ concessum fuerit, vt post peccata dum sumus in via, possimus ad Deũ conuerti, & veniam obtinere; Hoc est singulare beneficium, & priuilegium nobis concessum propter merita Christi Domini.

AXIOMA OCTAVVM.

Diabolus, & Angeli eius ad ignem æternum, & alias perpetuas pœnas sunt destinati.

Ex enarratione in Psal. 54.

Diabolus, & Angeli eius in Scripturis Sanctis manifestati sunt nobis, quod ad ignem æternum sint destinati. Ipsorum tantum desperanda est correctio, contra quos habemus occultam luctam.

DVBIVM

Quasnam pænas incurrerint Angeli mali propter peccata.

PÆnas Dæmonum singillatim, ac per partes hic breuiter percurro distinctis assertionibus, ea solum attingens, quæ mihi magis ad mentem S. P. videntur, & initium sumo à pæna intellectus, &c.

Dico 1. Maximam, & omnium pænarum primam esse in Dęmonibus priuationem visionis beatificæ; sicut enim in uisione beata primariò, & formaliter saltem inadæquatè cõsistit beatitudo; sic eius priuatio est maxima, & prima omnium damnatorum pæna. De hac loquitur S. P. lib. undecimo de Ciuitate Dei cap. 13. ubi cum dixisset; *utroque coniuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat. Hoc est ut incommutabili bono, quod est Deus sine ulla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansurum, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur:* subiunxit. *Hanc habere Angelos lucis pia fide credimus; hanc nec antequam caderēt habuisse Angelos peccatores, qui sua prauitate illa luce priuati sunt, consequenti ratione colligimus.* Hanc pænam consequitur in intellectu Dęmonum, sicut, & aliorum damnatorum continua cogitatio de suis damnis, & malis, quæ ob peccatum patiun-

tiuntur, & de bonis, quæ amiserunt: & ob maiorem suum cruciatum non possunt à tali cogitatione mentem auertere; à qua prouenit tristitia, de qua infra.

Dico 2. Angelos malos fuisse spoliatos quarumcumque notitia entitatiuè supernaturali, tam actuali, quàm habituali, quod probatur ex Apost. ad Heb. 11. ubi de Fide supernaturali dicitur, quod sit *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Quapropter cum beatitudinem sperare non possint, non est cur eis detur, aut conseruetur fides supernaturalis, est enim par ratio de illis, ac de cæteris damnatis in quibus communi consensu docent Theologi non conseruari huiusmodi actus, vel habitus supernaturales. Et hoc est verum non solum de illa cognitione supernaturali practica, & affectiua, quæ est causa efficax amoris Dei, & pertinet ad donũ Sapientiæ, de qua S. Io: in prima epistola c. 4. dicit. *Qui non diligit non nouit Deum*, & S. P. Augustinus epist. 112. docet solos Mundos corde videre Deum etiam in hac vita cognitione illa, quæ habetur per donum Sapientiæ. Hanc enim omnino ablatam esse à Dæmonibus nullum est dubium cum exciderint à charitate, nec possint eam amplius recuperare. Sed verificatur etiam de quacumq; cognitione speculatiua entitatiuè supernaturali; nam sicut non habent spem supernaturalem, ita nec etiam fidem infusam, sine qua huiusmodi cognitiones non habentur.

Dices 1. S. Iacobum Apostolum in sua epist. canon. cap. 2. Fidem hominum peccatorum comparare cum fide Dæmonum, qua credunt, & contremiscunt. Sed in peccatoribus fidelibus dantur, & habitus, & actus fidei entitatiuè supernaturales. Ergo etiam in Dæmonibus. ℟. similitudines non tenere in omnibus, ac proinde inualuisse Axioma eas non currere quattuor pedibus. Quapropter similitudo ista Apostoli tenet solum in eo, quod vtraque fides ijsdem veritatibus assentitur; & quod neutra sufficit ad salutem. Fides enim sine operibus mortua est. Sed non stat comparatio in eo, quod sicut Fides Christianorum existentium in peccato mortali est donum supernaturale, & habitus infusus, ita etiam sit fides Dæmonum.

Dices 2. S. Thomas Q. 64. docet cognitionem gratuitam speculatiuã, fuisse solum diminutam; & quod de Diuinis secretis reueletur eis quantum oportet; in cuius rei confirmationem adducit Auctoritatem S. P. Augustini lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 21. circa medium. ℟. non propterea Angelicum Doctorem concedere illis notitiam, quæ sit in se entitatiuè, & formaliter supernaturalis; sed solum notitiam, quæ sit ad instar fidei humanæ, quod apertè indicat

Auctoritas illa S. P, qui in loco citato; ac etiam in libro secundo de Genesi ad litteram cap. 17. docet hanc notitiam à Dæmonibus haberi, vel per reminiscentiã eorum, quæ prius dum erant in via, illis reuelata fuere; vel per nouam acquisitionem ex effectibus Dei, vel ex reuelatione Diuina notificata ipsis Dęmonibus ministerio Angelorum Sanctorum iuxta Diuinæ Prouidentiæ dispositionem: audiamus ipsum S. P. qui in primo loco cit. ait. *Ipsi autem Dæmones etiam hoc ita sciunt, vt eidem, Domino infirmitatis carne induto dixerint. Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, &c. Tantum verò eis innotuit quantum voluit: Tantum autem voluit, quantum opportuit. Sed sic innotuit, non sicut Angelis Sanctis, qui eius secundum, quod verbum est participata æternitate perfruuntur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit*, &c. *Innotuit ergo Dæmonibus non per id quod est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios; cui videndo per Fidem, quæ in illo est, corda mundantur: sed per quadam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissima signa præsentiæ, quæ Angelicis sensibus etiam malignorum spirituum, potius quam infirmitati hominum possent esse conspicua: Denique quando ea paululum supprimenda iudicauit, & aliquanto altius latuit, dubitauit de illo Dæmonum princeps, eumq; tentauit, an Christus esset.* Similia habet etiam in secundo loco citato, ex lib. 2. de Gen. ad litt. ex quibus patet huiusmodi cognitiones esse quidem de obiectis supernaturalibus, puta de mysterio Incarnationis, de quo præcipuè loquitur hic S. P. ipsas tamen non esse in se formaliter supernaturales; nec supponentes in eis habitus supernaturales, vt clarè hic se explicat S. P. vbi etiam aduertendum est cum S. Tho: loco cit. Dæmones in pænam sui peccati carere plurimarum rerum notitia, quã habent S. Angeli, & quam etiam ipsi habuissent, si perstitissent in gratia; quod non obscurè indicat hic, & alibi S. P.

Dico 3. Dęmones non fuisse spoliatos cognitione naturali, quam iuxta suam naturalem virtutem intellectiuam exigunt habere. Prob. communiter Auctoritate D. Dionysij in lib. de Diuinis nominibus cap. 4. vbi ait *Dæmones non omnino exortes boni sunt. Quia, & sunt, & viuũt, & intelligunt, estque in eis quidam desiderij motus*. Ex eodem cap. adducit communiter vulgatũ illud Axioma. *Naturalia in Dæmonibus integra permanserunt*, quod 1. par. Qu. 64. art. 1. S. Thomas sic proponit. *Data sunt Dæmonibus aliqua dona, quæ nequaquam mutata esse dicimus: sed sunt integra, & splendidissima: inter ista autem naturalia dona, est cognitio veritatis*. Ex quo principio infert S. Doctor in Dæmonibus cognitioné

na-

naturalem, nec esse ablatam, neque diminutam; eo quod consequatur ipsam naturam Angeli, qui secundum suam naturam est quidam intellectus, vel mens; & idcirco propter simplicitatẽ suæ substantię à natura ei⁹ aliquid subtrahi nõ potest, vt sic per subtractionẽ naturaliũ puniatur, sicut homo punitur p subtractionẽ manus, aut pedis, aut alicuius huiusmodi. Hæc tamen S. Tho: doctrina nõ sic est intelligẽda, quasi Deus nõ potuerit spoliare Dęmones omni actu cognitionis naturalis; nam licet Angeli sint simplices quoad substantiam; nihilominus actus isti sunt verè distincti ab ipsorum substantia, quæ sine illis rectè conseruari potest. Habet etiam apud me specialem difficultatem attentis principijs Doctrinæ Thomisticæ, quod & in Angelis, & in anima rationali potentiæ spirituales, puta intellectus, & voluntatis, distinguantur realiter ab eorum substantia distinctione reali, nam ea posita; non video quommodo Deus de potentia absoluta, non potuisset priuare Angelum potentia intellectiua remanente integra illius substantia; sicut aufertur pes, vel manus ab homine remanente integra substantia animæ ipsius. Propterea censeo doctrinã illam Angelici Doctoris esse intelligendam de inclinatione radicali ad cognoscendum, quæ est ipsamet substantia Angeli, quæ propterea tolli ab eo nõ potest, quia est identificata cum illo qui est substãtia simplex, ac proinde nõ diuisibilis in partes, vt est corp⁹ humanũ.

Dico 4. Pænam Dęmonum ex parte voluntatis fuisse obstinationẽ in malo, quam pulchrè explicat S.P. lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 27. sic *Peccatores, & Angeli, & homines nihil agunt, quo impediantur magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius; quoniam qui prouidenter, atque omnipotenter sua cuique distribuit, non solum bonis, verum etiam malis benè vti nouit, ac per hoc propter meritum primæ malæ voluntatis, ita damnato, atque obdurato Angelo malo, vt iam bonam voluntatem vlterius non haberet, benè vtens Deus, cur non permitteret, vt ab illo primus homo, qui rectus, hoc est bonæ voluntatis creatus fuerat tentaretur?* &c. Ex hac S. P. doctrina non est dubium desumptam fuisse à S. Fulgentio eius discipulo illam celebrem sententiã, quæ hab. in lib. de Fide ad Petrum cap 3. Dæmones, nec mala vmquam posse carere voluntate, nec pæna. Prob. hæc assertio à S. Thoma loco citato art. 2. ex illo Psal. 73. *Superbia eorũ, qui te oderunt ascendit semper*. Huius obstinationis causam docẽt Thomistæ esse inflexibilitatem liberi arbitrij Dæmonum supra explicatam. Verum cum ex vna parte ipsi Angeli mali peccando ostenderint suam voluntatem esse flexibilem à bono in malum; & ex alia partæ homines

damnati sint, & ipsi quoad voluntatem in malo obstinati, quos tamen certum est non habere voluntatem ex natura sua inflexibilem; aliunde petenda est ratio. Propterea censeo eam esse petēdam partim ex eo, quod semper sunt in actuali odio Dei propter perpetuum cruciatum in quo versantur; ex quo fit vt omnia eorum opera sint pessima partim; ex eo quod Deus nolit illis dare auxilium gratiæ, quo conuertantur. Quod habet locum non solum in Angelis; sed etiam in hominibus damnatis, & probari potest ex natura ipsius obstinationis damnatorū, quæ consistit in his duobus: Primo vt non possint dolere de peccatis. Secundo in eo quod non possint benè operari.

Dico 4. præter has pænas dari etiam in Dæmonibus dolorem continuum, qui à Theologis dicitur pæna sensus. Sicut carentia visionis beatificæ dicitur pæna damni. Cū enim peccando se auerterint à Summo bono, & conuerterint se ad creaturas: illi auersioni correspondet pęna damni, & huic conuersioni correspondet dolor iste, & pena sensus, quæ infligitur à creatura; qui enim inordinatè appetiuit res creatas dignus est, vt ab illis cruciętur; sicut quia noluit frui summo bono dign⁹ est, vt illius intuitu, & possessione perpetuò priuetur. Dolor iste, & cruciatus probatur ex varijs Scripturæ Sacræ locis, in quibus & Dæmones, & animæ hominum damnatorū dicuntur cruciari, & torqueri die, ac nocte in sæcula sæculorum; vt propterea S. P. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 10. docuerit spiritus incorporeos, licet miris, veris tamen modis cruciari ab illo igne corporeo.

Dices in Dęmonibus non est corpus, & consequenter nec etiam sensus. Ergo non potest eis infligi dolor iste, siue pæna sensus. ℞. cum S. Thoma qu. 64. artic. 3. Dolorem posse sumi dupliciter primo, vt est passio appetitus sensitiui, & hoc modo non ponitur à nobis in Dæmonibus, quia carent parte sensitiua; Secundo vt est simplex actus voluntatis renitentis ad ea, quæ sunt, quæ nollet esse, & ad ea, quæ non sunt, & vellet esse. Et hoc modo est in Dæmonibus, qui nollent esse in miseria, in qua sunt, & vellent habere felicitates, & bona, quę non habent.

Dico 5. Dæmones torqueri ab igne corporeo esse communem SS. PP. & Theologorum Sententiā, conformem Sacris Scripturis; nam Matth. 25. hab. *Ite maledicti in ignē æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Apocalypſ. c. 20. *Diabolus missus est in stagnum ignis, & sulphuris.* Hunc ignem non esse Metaphoricè, & spiritualiter solum accipiendum; sed verè, & corporaliter pro certo habetur à DD. & in confirmationem præter scripturas

præ-

prædictas affertur communiter Textus ille S. P. loco supra cit. *Dicamus, quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos posse pæna ignis corporalis affligi*.

De modo tamen quo cruciantur non leuis est inter Scholasticos quæstio; nam Henricus Quodlib. 8. qu. 34. & cum eo alij ex Theologis antiquioribus dixerunt Dæmones, & animas separatas torqueri ab igne illo, eodem modo, quo anima nostra in corpore patitur, & cruciatur, dum corpus exuritur. Sed hæc sententia communiter refellitur, si velit Dæmones pati ab igne corpoream vllã læsionem, aut dolorem sensibilem, qualem patimur nos in sensu tactus, & in appetitu sensitiuo, cum istis omnino careant. Si verò intelligant hunc dolorem, & cruciatum esse tristitiam voluntatis, cum nõ repugnet fieri à Deo, vt ea apprehensio, & tristitia, quæ causatur ab igne corporeo in nostro intellectu, & in nostra voluntate, causetur etiam in intellectu, & voluntate Dæmonum ab ipso igne, vt instrumento iustitiæ Dei; est satis probabilis, & habet patronos Scotum in Quarto dist. 50. qu. 1. art. 2. Zumel in pri. par. qu. 64. art. 4. qu. 3. & fauet S. Bonauentura in Quarto dist. 44. par. 2. art. 3. qu. 2.

Recentiores aliqui cum Pesantio pri par. qu. 64. ad art. 4. disp. 5. Malonio in secundo dist. 6. disp. 20. sect. 2. & Suario lib. 8. de Angelis cap. 11. docent ignem corporeum inferni eleuari virtute Dei, vt instrumentum ad imprimendam Dæmonibus qualitatem doloriferam ipsis repugnantem, ex qua postea Dæmones tristentur. Hanc sententiam multo ante tempora horum DD. retulerat Durandus in Quarto dist. 44. qu. 11. art. 15.

S. Thomas in præcit. Qu. 64. art. 4. in resp. ad 3. & in lib. 4. contra Gentes, & alibi, & cum eo ferè omnes Thomistæ docent Dæmones cruciari ab illo igne per alligationem, hoc est alligatos detineri, & ex hoc affligi, atque tristari. Et hunc dicẽdi modum absolutè tradiderunt etiã Scotus in Quarto dist. 44. qu. 2. §. *Ad Quæstionem dico*. S. Bonauentura loco supra citato, & Riccardus art. 2. qu. 3. eum etiam satis probabilem existimauit Durandus loco cit. à nu. 26. Si ponantur spiritus esse in loco secundum suam substantiam; difficilem verò si ponantur esse solum per operationem res est incerta; probabilis est quilibet ex his modis; *Quid autem horum verum sit res ipsa expeditius indicabit, quando erit scientia tanta Sanctorum, vt eis cognoscendarum illarum pænarum necessaria non sit experientia, sed ea, quæ tunc erit plena, atque perfecta, ad hoc quoque sciendum sapientia sola sufficiat. Nunc enim ex parte scimus, donec veniat quod perfectum est: dum tamen nullo modo illa corpora talia futura*

tura

tura esse credamus, vt nullis ab igne afficiantur doloribus. Sic discurrit S. P. in citato lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 9. & postea cap. 10. fusè pertractat hanc quæstionem de spiritibus docens *miris, tamen veris modis etiã spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi*. Quam doctrinam, quia varijs eruditionibus exornat eruditissimus noster Leonardus Coquæus in præcitato loco, Et Codex est ratus, placet hic ipsius verba referre. Ait igitur, *An ignis inferni sit corporeus, & eiusdem rationis cum nostro igne, disputant Theologi in 4. sentent. distinct. 50. videtur aliquando D. Augustinus dubitasse. Nam supra lib. 20. cap. 16. ita scripsit; Qui ignis eiusmodi sit, vel in qua parte Mundi futurus sit, hominem arbitror scire neminem, nisi cui id diuinus spiritus ostenderit. Damascenus extremis verbis lib. 4. scribit non esse materialem, qualis est apud nos, sed qualem Deus nouit. D. Gregorius lib. 15. moral. cap. 17. corporeum ignem perpetuò indigere nutrimento, ignem verò Inferni, quia incorporeus est, alimento non egere. Lactantius lib. 7. dicit ignem illum diuersum esse ab hoc nostro. Est autẽ Theologorũ communis opinio ignẽ illum esse corporeum. Frequẽter enim meminit scriptura illius ignis, nec quicquam est, quod nos cogat, vt eum metaphoricè exponamus. Et hic apertè docet D. Augustinus illum esse corporeum. Cum enim nihil ferè habeat difficultatis, quo pacto corpora damnatorum, post resurrectionem ab igne corporeo patiantur, necesse est vt etiam dæmones, & animæ priusquam iterum corporibus coniungantur eodem igne crucientur. Si quidem ex verbis illis scripturæ. Ite maledicti in ignẽ æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius, apertè constat eund. esse ignem, quo cruciantur dæmones, & quo torquentur corpora damnatorum; Erit igitur ille ignis corporeus. Et D. Augustinus conatur dissoluere argumenta Philosophorum, quibus illi adducebantur, vt crederent non posse rem spiritualem pati ab igne corporeo. Ait enim Dæmones igni alligari quemadmodum anima coniuncta est corpori, etsi discrimen in eo existat, quod anima corpori coniungatur, vt vitam illi det; dæmones verò igni alligantur, vt inde pœnam accipiant. D. Hieronymus epist. 59. ad Auitum, & in Apologia contra Rufinum, propterea taxat Origenem, quod metaphoricè interpretaretur ignem inferni, conscientiam videlicet peccatorum, & pœnitudinem interna cordis vrentẽ, & in cap. 66. Isaiæ interpretatur stridorem dentium propriè accipiendum, multo igitur magis existimauit ignem propriè accipi debere. D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. apertè docet ignem illum corporeũ esse, & qui induxerunt ignem metaphoricè, vel impropriè dictum non videntur alia ratione fuisse impulsi, quam difficultate argumentorum in contrariam*

par-

partem; quod tamen vt hic passim docet Augustinus, minimè faciendum fuit, cum multa sint alias euidentissima, quorum tamen nullam propemodum rationem reddere possumus. Quod aliquando Patres videntur illum ignē vocare incorporeum, respondere potest non negasse eos verum ignem, sed dixerunt aliquando esse incorporeum, nō quod sit spiritus, verum quia alterius sit rationis à nostro igne, multo eo subtilior, ac maiori vi præditus calefaciendi; quod constare videtur, & D. Gregorio, qui vt supra obseruauimus, aliquando ignem inferni, ait esse corporeum, aliquando incorporeum; atque hoc sensu intelligendus est Damascenus, & D. Augustinus cum profitetur se ignorare qualis sit ille ignis.

Sicut doctis hominib⁹ visū est (Ita sentit Origenes lib. 2.] vbi solum Deū ait esse incorporeum, & Tertullianus lib. de car. Christi Angelos esse corporeos licet non carne præditos. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 16. Angelos non tantum vult esse corporeos, sed etiam in proprijs corporibus videri posse, & visos aliquando fuisse. In 7. Synodo generali, act. 4. in eandem sententiam adferuntur varia testimonia Græcorum Authorum. D. Augustinus hoc loco videtur, quidem hac de re ambigere, vt etiam in Enchiridio cap. 59. alias tamen sæpe magis propendet in eam sententiam, vt existimet Angelos habere corpora, vt supra lib. 11. cap. 23. & lib. 2. super Genes. ad litt. cap. 17. & Epist. 115. ad Nebridium causam celeritatis motus Angelorum refert in subtilitatem corporum. Vbi tamen aduerte S. P. hanc sententiam retractasse [Primo Retractat. c. 27.

Si autem quispiam) D. Thomas quæst. 16. de malo art. 1. citat, vt doceat ex sententia D. Augustini quācumque sententiam quis asserat, non multum pertinere ad doctrinam fidei Christianæ, vt neutra sit de fide.

Quamuis miris, tamē veris modis etiam spiritus incorporeus] certum quidem est ex Scriptura, & Patrū authoritate torqueri illo igne inferni, & Dæmones, & animas damnatorum, quā verò ratione cum sint substantiæ, & spirituales, & incorporeæ patiantur ab illo igne corporeo, non ita certò constat. De hoc cum D. Augustino hoc loco disputat D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 29. & Scholastici in 4. dist. 50. Ex quibus Durandus ingenuè fatetur non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream. D. Greg. loco citato, dicit ex igne visibili inuisibilem pœnam animas trahere, quod ita interpretatur Bellarminus lib. 2. de Purg. cap. 12. quia occulta, & incognita est nobis; Suarez verò tom. 4. in 3. p. D. Thomæ disputat. 46. sect. secunda dolorem inuisibilem, ex D. Gregorio interpretatur, non quia nobis occultus est, sed quia spiritualis est, & non sensibilis, vbi vult per actionem ignis fieri in spiritu qualitatem illi disconuenientē, quæ sit obiectum doloris, & tristitiæ.

Pro-

Probabile est eo quidem igne cruciari dæmones, & animas non quod illo igne comburantur, cum res spirituales, non admittent in se huiusmodi actionem, vel qualitatem; Sed quod in eo igne, tamquam in carcere detineantur. Dū enim dignitatem suæ naturæ considerant, deinde se ita esse veluti alligatos illi igni contra suam ipsorum voluntatem, tanquam carceri sibi à diuina Iustitia perscripto, vt inde recedere non possint, necesse est, vt inde summa tristitia afficiantur. Accidit quod sint veluti definiti ab igne, ne de alijs rebus possint cogitare, quod etiam cedit in partem supplicij; & locus ille, in quo detinentur, vilissimus est, & ita explicat D. Tho. 1. par. q. 64. art. 4. ad 1. cum ait locum non esse pœnalem Dæmon, vel animæ, quasi efficiat aliquid alterando naturam; sed quoniam afficit voluntatem eam contristando cum Dæmon, vel anima apprehendit se esse in loco non conuenienti suæ naturæ, & lib. 4. contra gentes cap. 9. idem docet.

Vbi tamen erant sine corpore animæ.] Illa ergo impropriè, & metaphoricè intelligenda sunt; vnde ex hoc Lucæ male Tertullianus colligit animam esse corpoream lib. de anima cap. 7. & 9. & lib. de resurrectione car. cap. 17. verum ex hoc loco non concludi animam esse corpoream, docet Augustinus lib. 4. de anima, & eius origine cap. 16. & Gregorius Nyssenus disputat. de anima, & resurrectione, vbi membra illa spiritualiter interpretatur, [Hæc ibi Coquæus.] Et hæc satis de hac tetra materia.

CON-

CONTROVERSIA NONA, ET VLTIMA.

De Ordinatione, Poteſtate, Miſſione, & Cuſtodia Angelorum.

AXIOMA PRIMVM.

Angeli ſunt diſpoſiti per Ordines.

Ex lib. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas cap. 11.

Eſſe Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in cæleſtibus apparatibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo.

DVBIVM

Quomodo Angeli diſpoſiti ſint per ordines, & Hierarchias.

Difficultates has breuiter perſtringo; licet enim habeant de ſacra eruditione plurimùm; parum tamen habent de Scholaſtica Diſputatione. De quibus videri poteſt Suarez tomo ſecundo in primam partem, qui eſt de Angelis, propterea per aſſertiones breues; quæ ſunt præcipua perſtringo, &

Dico 1. Hierarchiam idem eſſe, ac Sacrum Principatum, vel Sacram Rempublicam, & quemadmodum in-

inter homines eſt vna Eccleſiaſtica Hierarchia ſub Chriſti Domini vicario vt ſub capite; ita & in Angelis eſſe vnam Hierarchiam, ſi conſiderentur in ordine ad Principem, Quatenus ſcilicet tota hominum, & Angelorum multitudo, qui ſacris participant ſub vno Principe, ideſt Deo gubernantur. Et hoc ſenſu S.P. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 1. docuit duas eſſe in toto vniuerſo Ciuitates vnam SS. Angelorum, & hominum ſub vno principe Deo; alteram malorum ſub principe Diabolo primã illam deſcribit. *Vna eſt enim*, ait ibi Coquę⁹ſic, *& eadem velut Reſpublica Ciuitas, ac ſocietas, ſeu manus Eccleſia, quæ complectitur electos ex Angelis, & hominibus, vt non alia ſit Angelorum, & hominum ſocietas, etſi natura ſint differentes, in his ſpectandum tamen quod eſt gratia, quod in eumdem finem beatitudinis, & gloriæ ſint à Deo ordinati; quod homines aſſumendi ſunt pro varietate meritorum ad omnes Angelorum ordines, &c.*

Dico 2. inter Angelos ipſos eſſe tres Hierarchias. Hec eſt communis, & vnanimis PP. & Theologorũ ſententia, vt ex D. Dionyſio in lib. de cæleſti hierarchia cap. 6. oſtendit S.Tho: pri.par. qu. 108. art. 1. Licet enim conſiderata tota illa multitudo beatorum ſpirituum in ſe ſub vno Deo nomine vnitatis appelletur Cæleſtis Hierarchia: ab ipſo tamen S. Dionyſio loco cit. diuiditur in ſupremam, mediam, & infimam, & in vnaquaque ex his tribus numerantur tres ordines, ſiue Chori Angelorum diſtincti. In ſuprema enim ſunt Seraphim, Cherubim, & Throni. In media Dominationes Virtutes, & Poteſtates. In infima Principatus, Archangeli, & Angeli, &c. Aliter tamen diſponuntur hi nouem Chori à S.Gregorio hom. 34. in Euangelia, & à S. Bernardo lib. 5. de Conſideratione ad Eugenium. Qui ſecundæ Hierarchiæ, pro ſecundo Choro adſcribunt Principatus, & infimæ Hierarchiæ pro primo Choro, Virtutes reponunt; refert tamen Becanus Tract. de Angelis cap. 3. qu. 10. §.5. ex teſtimonio Dionyſij Chartuſiani in Commentarijs ſuper Dioniſium: D. Bernardum doluiſſe, quod diſſenſiſſet ab Areopagita. Sufficientia tamen diuiſionis in nouem Choros ab omnibus Catholicis retinetur, nec licet de ea dubitare; nam ex ſcripturis Sacris: & ex vnanimi conſenſu PP. habetur. Ad Romanos enim cap. 8. numerantur tres; ideſt Angeli, Archangeli, & Principatus. Ad Colloſſenſes cap. 1. tres alij, ideſt Throni, Dominationes, & Poteſtates, & in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 15. Virtutes. In libro Gen. cap. 3. fit mentio de Cherubinis. & Iſaiæ cap. 6. de Seraphinis. Et hoc pacto etiam S. Gregorius homil. prædicta ex Scriptura Sacra, nouem Choros eſſe collegit, & probauit. Veritas

hæc

hæc ab illis, qui fusè de hac materia ſcripſere probatur etiam Auctoritate PP. & primo S. Martialis in Epiſtola ad Toloſanos cap. 12. S. Antonij Abbatis epiſt. 5. quæ hab. tomo 3. Bibliotecæ PP. S. Dionyſij loco citato. S. Ignatij Martyris in epiſt. ad Trallianos. S. Irenæi lib. 2. aduerſus Valentinum cap. 54. S. Atanaſij ſerm. 3. & 4. contra Arrianos, & in qu. 4. ad Antiochũ. S. Baſilij in Liturgia. S. Io: Chryſoſtomi hom. 2. de Incomprehenſib. Dei natura, & hom. 4. in Gen. S. Cyrilli Alexandrini lib. 1. in Geneſim. S. Io: Damaſceni lib. 2. de Fide cap. 3. S. Hilarij in Pſ. 134. Beati Laurentij Iuſtiniani in ſerm. de Angelis. Noſtri S. Thomæ de Villanoua ſerm. de S. Michaele Archang. S. Clementis Romani lib. 8. Conſtit. Apoſtolicarum cap. 12. & aliorum.

Dico 3. prędicta nomina quæ ſingulis Choris attribuuntur eſſe nomina ſignificãtia perſonas, & officia diſtincta; ſic enim docet S. Dionyſius loco cit & plures alij PP. & præcipuè S. Gregorius in prædicta homilia, id colligit expreſsè ex Sac. Scriptura, & indubitanter aſſerit.

Dices 1. hæc nomina in ſcripturis ſæpè accipiuntur promiſcue: nomen enim *Angelus* eſt nomen genericũ de ſingulis quibuſque ex quolibet Choro prædicabile. Similiter etiam nomen *Arcangelus* S. Michaeli tribuitur, qui tamen à PP. communiter in Choro Seraphim collocatur, & inter illos primus eſſe dicitur. ℞. id accidere ob conuenientiam naturæ, vel ob ſimilitudinem officiorum, quæ nobis exhibent, propter quæ quando concionatoriè, non verò in toto rigore Scholaſtico loquimur, ſolemus ea vſurpare, & miſcere; vt contingit etiam in alijs materijs.

Dices 2. S. P. in Enchiridione cap. 58. ait. *Quomodo autem ſe habeat Beatiſſima illa, & ſuprema ſocietas, quæ ibi ſint differentiæ perſonarũ, cum omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur*, &c. *& quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus vniuerſam ipſam cæleſtem ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus dicendo, ſiuè Sedes, ſiuè Dominationes, ſiuè Principatus, ſiuè Poteſtates: dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare quod dicunt. Ego me iſta ignorare confiteor.* Ergò non eſt certum apud PP. illa nouem nomina eſſe nomina ſignificantia diuerſos ordines, & Choros. ℞. eumdem S. P. tollere hanc difficultatem in Axiomate poſito pro fundamento huius dubij; cum dicit ſe indubitata fide tenere quod differant.

Dico 4. Diſtinctionem prædictã trium Hierarchiarum; & nouem ordinum iuxtà communiorem explicationem conſiſtere in eo, quod Angeli ſupremæ Hierarchiæ ſunt veluti aſſeſſores, & cubicularij Dei, per quos ad reliquos Angelos Diuinæ reuelationes deriuantur, vt docet S.

AXIOMA OCTAVVM.

Diabolus, & Angeli eius ad ignem æternum, & alias perpetuas pœnas sunt destinati.

Ex enarratione in Psal. 54.

Diabolus, & Angeli eius in Scripturis Sanctis manifestati sunt nobis, quod ad ignem æternum sint destinati. Ipsorum tantum desperanda est correctio, contra quos habemus occultam luctam.

DVBIVM

Quasnam pænas incurrerint Angeli mali propter peccata.

PÆnas Dæmonum singillatim, ac per partes hic breuiter percurro distinctis assertionibus, ea solum attingens, quæ mihi magis ad mentem S. P. videntur, & initium sumo à pæna intellectus, &c.

Dico 1. Maximam, & omnium pænarum primam esse in Demonibus priuationem visionis beatificæ; sicut enim in uisione beata primariò, & formaliter saltem inadæquatè cōsistit beatitudo; sic eius priuatio est maxima, & prima omnium damnatorum pæna. De hac loquitur S. P. lib. undecimo de Ciuitate Dei cap. 13. ubi cum dixisset; *vtroque coniuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat. Hoc est vt incommutabili bono, quod est Deus sine vlla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansurum, nec vlla dubitatione cunctetur, nec vllo errore fallatur:* subiunxit. *Hanc habere Angelos lucis pia fide credimus; hanc nec antequam caderēt habuisse Angelos peccatores, qui sua prauitate illa luce priuati sunt; consequenti ratione colligimus.* Hanc pænam consequitur in intellectu Demonum, sicut, & aliorum damnatorum continua cogitatio de suis damnis, & malis, quæ ob peccatum patiun-

tiuntur, & de bonis, quæ amiserunt: & ob maiorem suum cruciatum non possunt à tali cogitatione mentem auertere; à qua prouenit tristitia, de qua infra.

Dico 2. Angelos malos fuisse spoliatos quarumcumque notitia entitatiuè supernaturali, tam actuali, quam habituali, quod probatur ex Apost. ad Heb. 11. ubi de Fide supernaturali dicitur, quod sit *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Quapropter cum beatitudinem sperare non possint, non est cur eis detur, aut conseruetur fides supernaturalis, est enim par ratio de illis, ac de cæteris damnatis in quibus communi consensu docent Theologi non conseruari huiusmodi actus, vel habitus supernaturales. Et hoc est verum non solum de illa cognitione supernaturali practica, & affectiua, quæ est causa efficax amoris Dei, & pertinet ad donũ Sapientiæ, de qua S. Io: in prima epistola c. 4. dicit. *Qui non diligit non nouit Deum*, & S. P. Augustinus epist. 112. docet solos Mundos corde videre Deum etiam in hac vita cognitione illa, quæ habetur per donum Sapientiæ. Hanc enim omnino ablatam esse à Dæmonibus nullum est dubium cum exciderint à charitate, nec possint eam amplius recuperare. Sed verificatur etiam de quacumq; cognitione speculatiua entitatiuè supernaturali; nam sicut non habent spem supernaturalem, ita nec etiam fidem infusam, sine qua huiusmodi cognitiones non habentur.

Dices 1. S. Iacobum Apostolum in sua epist. canon. cap. 2. Fidem hominum peccatorum comparare cum fide Dæmonum, qua credunt, & contremiscunt. Sed in peccatoribus fidelibus dantur, & habitus, & actus fidei entitatiuè supernaturales. Ergo etiam in Dæmonibus. ℞. similitudines non tenere in omnibus, ac proinde inualuisse Axioma eas non currere quattuor pedibus. Quapropter similitudo ista Apostoli tenet solum in eo, quod vtraque fides ijsdem veritatibus assentitur; & quod neutra sufficit ad salutem. Fides enim sine operibus mortua est. Sed non stat comparatio in eo, quod sicut Fides Christianorum existentium in peccato mortali est donum supernaturale, & habitus infusus, ita etiam sit fides Dæmonum.

Dices 2. S. Thomas Q. 64. docet cognitionem gratuitam speculatiuã, fuisse solum diminutam; & quod de Diuinis secretis reueletur eis quantum oportet; in cuius rei confirmationem adducit Auctoritatem S. P. Augustini lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 21. circa medium. ℞. non propterea Angelicum Doctorem concedere illis notitiam, quæ sit in se entitatiuè, & formaliter supernaturalis; sed solum notitiam, quæ sit ad instar fidei humanæ, quod apertè indicat

Auctoritas illa S. P, qui in loco citato; ac etiam in libro secundo de Genesi ad litteram cap. 17. docet hanc notitiam à Dæmonibus haberi, vel per reminiscentiā eorum, quæ prius dum erant in via, illis reuelata fuere; vel per nouam acquisitionem ex effectibus Dei, vel ex reuelatione Diuina notificata ipsis Dęmonibus ministerio Angelorum Sanctorum iuxta Diuinæ Prouidentiæ dispositionem: audiamus ipsum S. P. qui in primo loco cit. ait. *Ipsi autem Dæmones etiam hoc ita sciunt, vt eidem, Domino infirmitatis carne induto dixerint. Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, &c. Tantum verò eis innotuit quantum voluit: Tantum autem voluit, quantum opportuit. Sed sic innotuit, non sicut Angelis Sanctis, qui eius secundum, quod verbum est participata æternitate perfruantur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit*, &c. *Innotuit ergo Dæmonibus non per id quod est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios; cui videndo per Fidem, quæ in illo est, corda mundantur: sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissima signa præsentiæ, quæ Angelicis sensibus etiam malignorum spirituum, potius quam infirmitati hominum possent esse conspicua: Denique quando ea paululum supprimenda iudicauit, & aliquanto altius latuit, dubitauit de illo Dæmonum princeps, eumq; tentauit, an Christus esset*. Similia habet etiam in secundo loco citato, ex lib. 2. de Gen. ad litt. ex quibus patet huiusmodi cognitiones esse quidem de obiectis supernaturalibus, puta de mysterio Incarnationis, de quo præcipuè loquitur hic S. P. ipsas tamen non esse in se formaliter supernaturales; nec supponentes in eis habitus supernaturales, vt clarè hic se explicat S. P. vbi etiam aduertendum est cum S. Tho: loco cit. Dæmones in pænam sui peccati carere plurimarum rerum notitia, quā habent S. Angeli, & quam etiam ipsi habuissent, si perstitissent in gratia: quod non obscurè indicat hic, & alibi S. P.

Dico 3. Dęmones non fuisse spoliatos cognitione naturali, quam iuxta suam naturalem virtutem intellectiuam exigunt habere. Prob. communiter Auctoritate D. Dionysij in lib. de Diuinis nominibus cap. 4. vbi ait *Dæmones non omnino exortes boni sunt. Quia, & sunt, & viuūt, & intelligunt, estque in eis quidam desiderij motus*. Ex eodem cap. adducit communiter vulgatū illud Axioma. *Naturalia in Dæmonibus integra permanserunt*, quod 1. par. Qu. 64. art. 1. S. Thomas sic proponit. *Data sunt Dæmonibus aliqua dona, quæ nequaquam mutata esse dicimus: sed sunt integra, & splendissima: inter ista autem naturalia dona, est cognitio veritatis*. Ex quo principio infert S. Doctor in Dæmonibus cognitionē

na-

naturalem, nec esse ablatam, neque diminutam; eo quod consequatur ipsam naturam Angeli, qui secundum suam naturam est quidam intellectus, vel mens; & idcirco propter simplicitatẽ suæ substantię à natura ei⁹ aliquid subtrahi nõ potest, vt sic per subtractionẽ naturaliũ puniatur, sicut homo punitur p subtractionẽ manus, aut pedis, aut alicuius huiusmodi. Hæc tamen S. Tho: doctrina nõ sic est intelligẽda, quasi Deus nõ potuerit spoliare Dęmones omni actu cognitionis naturalis; nam licet Angeli sint simplices quoad substantiam; nihilominus actus isti sunt verè distincti ab ipsorum substantia, quæ sine illis rectè conseruari potest. Habet etiam apud me specialem difficultatem attentis principijs Doctrinæ Thomisticæ, quod & in Angelis, & in anima rationali potentiæ spirituales, puta intellectus, & voluntatis, distinguantur realiter ab eorum substantia distinctione reali, nam ea posita; non video quommodo Deus de potentia absoluta, non potuisset priuare Angelum potentia intellectiua remanente integra illius substantia; sicut aufertur pes, vel manus ab homine remanente integra substantia animæ ipsius. Propterea censeo doctrinã illam Angelici Doctoris esse intelligendam de inclinatione radicali ad cognoscendum, quæ est ipsamet substantia Angeli, quæ propterea tolli ab eo nõ potest, quia est identificata cum illo qui est substãtia simplex, ac proinde nõ diuisibilis in partes, vt est corp⁹ humanũ.

Dico 4. Pænam Dęmonum ex parte voluntatis fuisse obstinationẽ in malo, quam pulchrè explicat S.P. lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 27. sic *Peccatores, & Angeli, & homines nihil agunt, quo impediantur magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius; quoniam qui prouidenter, atque omnipotenter sua cuique distribuit, non solum bonis, verum etiam malis benè vti nouit, ac per hoc propter meritum primæ malæ voluntatis, ita damnato, atque obdurato Angelo malo, vt iam bonam voluntatem vlterius non haberet, benè vtens Deus, cur non permitteret, vt ab illo primus homo, qui rectus, hoc est bonæ voluntatis creatus fuerat tentaretur?* &c. Ex hac S. P. doctrina non est dubium desumptam fuisse à S. Fulgentio eius discipulo illam celebrem sententiã, quæ hab. in lib. de Fide ad Petrum cap 3. Dæmones, nec mala vmquam posse carere voluntate, nec pæna. Prob. hæc assertio à S. Thoma loco citato art. 2. ex illo Psal. 73. *Superbia eorũ, qui te oderunt ascendit semper*. Huius obstinationis causam docẽt Thomistæ esse inflexibilitatem liberi arbitrij Dæmonum supra explicatam. Verum cum ex vna parte ipsi Angeli mali peccando ostenderint suam voluntatem esse flexibilem à bono in malum; & ex alia partæ homines

damnati sint, & ipsi quoad voluntatem in malo obstinati, quos tamen certum est non habere voluntatem ex natura sua inflexibilem; aliunde petenda est ratio. Propterea censeo eam esse petēdam partim ex eo, quod semper sunt in actuali odio Dei propter perpetuum cruciatum in quo versantur; ex quo fit vt omnia eorum opera sint pessima partim; ex eo quod Deus nolit illis dare auxilium gratiæ, quo conuertantur. Quod habet locum non solum in Angelis; sed etiam in hominibus damnatis, & probari potest ex natura ipsius obstinationis damnatorū, quæ consistit in his duobus: Primo vt non possint dolere de peccatis. Secundo in eo quod non possint benè operari.

Dico 4. præter has pænas dari etiam in Dæmonibus dolorem continuum, qui à Theologis dicitur pæna sensus. Sicut carentia visionis beatificæ dicitur pæna damni. Cū enim peccando se auerterint à Summo bono, & conuerterint se ad creaturas: illi auersioni correspondet pęna damni, & huic conuersioni correspondet dolor iste, & pęna sensus, quæ infligitur à creatura; qui enim inordinatè appetiuit res creatas dignus est, vt ab illis crucietur; sicut quia noluit frui summo bono dign⁹ est, vt illius intuitu, & possessione perpetuò priuetur. Dolor iste, & cruciatus probatur ex varijs Scripturæ Sacræ locis, in quibus & Dæmones, & animæ hominum damnatorū dicuntur cruciari, & torqueri die, ac nocte in sæcula sæculorum; vt propterea S. P. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 10. docuerit spiritus incorporeos, licet miris, veris tamen modis cruciari ab illo igne corporeo.

Dices in Dęmonibus non est corpus, & consequenter nec etiam sensus. Ergo non potest eis infligi dolor iste, siue pæna sensus. ℞. cum S. Thoma qu. 64. artic. 3. Dolorem posse sumi dupliciter primo, vt est passio appetitus sensitiui, & hoc modo non ponitur à nobis in Dæmonibus, quia carent parte sensitiua; Secundo vt est simplex actus voluntatis renitentis ad ea, quæ sunt, quæ nollet esse, & ad ea, quæ non sunt, & vellet esse. Et hoc modo est in Dæmonibus, qui nollent esse in miseria, in qua sunt, & vellent habere felicitates, & bona, quę non habent.

Dico 5. Dæmones torqueri ab igne corporeo esse communem SS. PP. & Theologorum Sententiā, conformem Sacris Scripturis; nam Matth. 25. hab. *Ite maledicti in ignē æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Apocalypſ. c. 20. *Diabolus missus est in stagnum ignis, & sulphuris*. Hunc ignem non esse Metaphoricè, & spiritualiter solum accipiendum; sed verè, & corporaliter pro certo habetur à DD. & in confirmationem præter scripturas

præ-

prædictas affertur communiter Textus ille S. P. loco supra cit. *Dicamus, quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos posse pœna ignis corporalis affligi*.

De modo tamen quo cruciantur non leuis est inter Scholasticos quęstio; nam Henricus Quodlib. 8. qu. 34. & cum eo alij ex Theologis antiquioribus dixerunt Dæmones, & animas separatas torqueri ab igne illo, eodem modo, quo anima nostra in corpore patitur, & cruciatur, dum corpus exuritur. Sed hæc sententia communiter refellitur, si velit Dæmones pati ab igne corpoream vllã læsionem, aut dolorem sensibilem, qualem patimur nos in sensu tactus, & in appetitu sensitiuo, cum istis omnino careant. Si verò intelligant hunc dolorem, & cruciatum esse tristitiam voluntatis, cum nõ repugnet fieri à Deo, vt ea apprehensio, & tristitia, quæ causatur ab igne corporeo in nostro intellectu, & in nostra voluntate, causetur etiam in intellectu, & voluntate Dæmonum ab ipso igne, vt instrumento iustitiæ Dei; est satis probabilis, & habet patronos Scotum in Quarto dist. 50. qu. 1. art. 2. Zumel in pri. par. qu. 64. art. 4. qu. 3. & fauet S. Bonauentura in Quarto dist. 44. par. 2. art. 3. qu. 2.

Recentiores aliqui cum Pesantio pri par. qu. 64. ad art. 4. disp. 5. Malonio in secundo dist. 6. disp. 20. sect. 2. & Suario lib. 8. de Angelis cap. 11. docent ignem corporeum inferni eleuari virtute Dei, vt instrumentum ad imprimendam Dæmonibus qualitatem doloriferam ipsis repugnantem, ex qua postea Dæmones tristentur. Hanc sententiam multo ante tempora horum DD. retulerat Durandus in Quarto dist. 44. qu. 11. art. 15.

S. Thomas in præcit. Qu. 64. art. 4. in resp. ad 3. & in lib. 4. contra Gentes, & alibi, & cum eo ferè omnes Thomistæ docent Dæmones cruciari ab illo igne per alligationem, hoc est alligatos detineri, & ex hoc affligi, atque tristari. Et hunc dicẽdi modum absolutè tradiderunt etiã Scotus in Quarto dist. 44. qu. 2. §. *Ad Quæstionem dico.* S. Bonauentura loco supra citato, & Riccardus art. 2. qu. 3. eum etiam satis probabilem existimauit Durandus loco cit. à nu. 26. Si ponantur spiritus esse in loco secundum suam substantiam; difficilem verò si ponantur esse solum per operationem res est incerta; probabilis est quilibet ex his modis; *Quid autem horum verum sit res ipsa expeditius indicabit, quando erit scientia tanta Sanctorum, vt eis cognoscendarum illarum pænarum necessaria non sit experientia, sed ea, quæ tunc erit plena, atque perfecta, ad hoc quoque sciendum sapientia sola sufficiat. Nunc enim ex parte scimus, donec veniat quod perfectum est: dum tamen nullo modo illa corpora talia futura*

tura

tura esse credamus, vt nullis ab igne afficiantur doloribus. Sic discurrit S. P. in citato lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 9. & postea cap. 10. fusè pertractat hanc quæstionem de spiritibus docens *miris, tamen veris modis etiã spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi*. Quam doctrinam, quia varijs eruditionibus exornat eruditissimus noster Leonardus Coquæus in præcitato loco, Et Codex est rarus, placet hic ipsius verba referre. Ait igitur. *An ignis inferni sit corporeus, & eiusdem rationis cum nostro igne, disputant Theologi in 4. sentent. distinct. 50. videtur aliquando D. Augustinus dubitasse. Nam supra lib. 20. cap. 16. ita scripsit; Qui ignis eiusmodi sit, vel in qua parte Mundi futurus sit, hominem arbitror scire neminem, nisi cui id diuinus spiritus ostenderit. Damascenus extremis verbis lib. 4. scribit non esse materialem, qualis est apud nos, sed qualem Deus nouit. D. Gregorius lib. 15. moral. cap. 17. corporeum ignem perpetuò indigere nutrimento, ignem verò Inferni, quia incorporeus est, alimento non egere. Lactantius lib. 7. dicit ignem illum diuersum esse ab hoc nostro. Est autẽ Theologorũ communis opinio ignẽ illum esse corporeum. Frequẽter enim meminit scriptura illius ignis, nec quicquam est, quod nos cogat, vt eum metaphoricè exponamus. Et hic apertè docet D. Augustinus illum esse corporeum. Cum enim nihil ferè habeat difficultatis, quo pacto corpora damnatorum, post resurrectionem ab igne corporeo patiantur, necesse est vt etiam dæmones, & animæ priusquam iterum corporibus coniungantur eodem igne crucientur. Si quidem ex verbis illis scripturæ. Ite maledicti in ignẽ æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius, apertè constat eund. esse ignem, quo cruciantur dæmones, & quo torquentur corpora damnatorum; Erit igitur ille ignis corporeus. Et D. Augustinus conatur dissoluere argumenta Philosophorum, quibus illi adducebantur, vt crederent non posse rem spiritualem pati ab igne corporeo. Ait enim Dæmones igni alligari quemadmodum anima coniuncta est corpori, etsi discrimen in eo existat, quod anima corpori coniungatur, vt vitam illi det; dæmones verò igni alligantur, vt inde pœnam accipiant. D. Hieronymus epist. 59. ad Auitum, & in Apologia contra Rufinum, propterea taxat Origenem, quod metaphoricè interpretaretur ignem inferni, conscientiam videlicet peccatorum, & pœnitudinem interna cordis vrentẽ, & in cap. 66. Isaiæ interpretatur stridorem dentium propriè accipiendum, multo igitur magis existimauit ignem propriè accipi debere. D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. apertè docet ignem illum corporeũ esse, & qui induxerunt ignem metaphoricè, vel impropriè dictum non videntur alia ratione fuisse impulsi, quam difficultate argumentorum in contrariam par-*

partem; quod tamen vt hic passim docet Augustinus, minimè faciendum fuit, cum multa sint alias euidentissima, quorum tamen nullam propemodum rationem reddere possumus. Quod aliquando Patres videntur illum ignē vocare incorporeum, respondere potest non negasse eos verum ignem, sed dixerunt aliquando esse incorporeum, nō quod sit spiritus, verum quia alterius sit rationis à nostro igne, multo eo subtilior, ac maiori vi præditus calefaciendi; quod constare videtur, & D. Gregorio, qui vt supra obseruauimus, aliquando ignem inferni, ait esse corporeum, aliquando incorporeum; atque hoc sensu intelligendus est Damascenus, & D. Augustinus cum profitetur se ignorare qualis sit ille ignis.

Sicut doctis hominib⁹ visū est (Ita sentit Origenes lib. 2.] vbi solum Deū ait esse incorporeum, & Tertullianus lib. de car. Christi Angelos esse corporeos licet non carne præditos. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 16. Angelos non tantum vult esse corporeos, sed etiam in proprijs corporibus videri posse, & visos aliquando fuisse. In 7. Synodo generali, act. 4. in eandem sententiam adferuntur varia testimonia Græcorum Authorum. D. Augustinus hoc loco videtur, quidem hac de re ambigere, vt etiam in Enchiridio cap. 59. alias tamen sæpe magis propendet in eam sententiam, vt existimet Angelos habere corpora, vt supra lib. 11. cap. 23. & lib. 2. super Genes. ad litt. cap. 17. & Epist. 115. ad Nebridium caussam celeritatis motus Angelorum refert in subtilitatem corporum. Vbi tamen aduerte S.P. hanc sententiam retractasse [Primo Retractat. c. 27.

Si autem quispiam) D. Thomas quæst. 16. de malo art. 1. citat, vt doceat ex sententia D. Augustini quācumque sententiam quis asserat, non multum pertinere ad doctrinam fidei Christianæ, vt neutra sit de fide.

Quamuis miris, tamē veris modis etiam spiritus incorporeus] certum quidem est ex Scriptura, & Patrū authoritate torqueri illo igne inferni, & Dæmones, & animas damnatorum, qua verò ratione cum sint substantiæ, & spirituales, & incorporeæ patiantur ab illo igne corporeo, non ita certò constat. De hoc cum D. Augustino hoc loco disputat D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 29. & Scholastici in 4. dist. 50. Ex quibus Durandus ingenuè fatetur non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream. D. Greg. loco citato, dicit ex igne visibili inuisibilem pœnam animas trahere, quod ita interpretatur Bellarminus lib. 2. de Purg. cap. 12. quia occulta, & incognita est nobis; Suarez verò tom. 4. in 3. p. D. Thomæ disputat. 46. sect. secunda dolorem inuisibilem, ex D. Gregorio interpretatur, non quia nobis occultus est, sed quia spiritualis est, & non sensibilis, vbi vult per actionem ignis fieri in spiritu qualitatem illi disconuenientē, quæ sit obiectum doloris, & tristitiæ.

Pro-

Probabile est eo quidem igne cruciari dæmones, & animas non quod illo igne comburantur, cum res spirituales, non admittent in se huiusmodi actionem, vel qualitatem; Sed quod in eo igne, tamquam in carcere detineantur. Dii enim dignitatem suæ naturæ considerant, deinde se ita esse veluti alligatos illi igni contra suam ipsorum voluntatem, tanquam carceri sibi à diuina Iustitia perscripto, vt inde recedere non possint, necesse est, vt inde summa tristitia afficiantur. Accidit quod sint veluti definiti ab igne, ne de alijs rebus possint cogitare, quod etiam cedit in partem supplicij; & locus ille, in quo detinentur, vilissimus est, & ita explicat D. Tho: 1. par. q. 64. art. 4. ad 1. cum ait locum non esse pœnalem Dæmon, vel animæ, quasi efficiat aliquid alterando naturam; sed quoniam afficit voluntatem eam contristando cum Dæmon, vel anima apprehendit se esse in loco non conuenienti suæ naturæ, & lib. 4. contra gentes cap. 9. idem docet.

Vbi tamen erant sine corpore animæ.] *Illa ergo impropriè, & metaphoricè intelligenda sunt; vnde ex hoc Lucæ male Tertullianus colligit animam esse corpoream lib. de anima cap. 7. & 9. & lib. de resurrectione car. cap. 17. verum ex hoc loco non concludi animam esse corpoream, docet Augustinus lib. 4. de anima, & eius origine cap. 16. & Gregorius Nyssenus disputat. de anima, & resurrectione, vbi membra illa spiritualiter interpretatur,* [*Hæc ibi Coquaus.*] *Et hæc satis de hac tetra materia.*

CON-

CONTROVERSIA NONA, ET VLTIMA.

De Ordinatione, Poteſtate, Miſſione, & Cuſtodia Angelorum.

AXIOMA PRIMVM.

Angeli ſunt diſpoſiti per Ordines.

Ex lib. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas cap. 11.

ESſe Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in cæleſtibus apparentibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo.

D V B I V M

Quomodo Angeli diſpoſiti ſint per ordines, & Hierarchias.

DIfficultates has breuiter perſtringo; licet enim habeant de ſacra eruditione plurimùm; parum tamen habent de Scholaſtica Diſputatione. De quibus videri poteſt Suarez tomo ſecundo in primam partem, qui eſt de Angelis, propterea per aſſertiones breues; quæ ſunt præcipua perſtringo, &

Dico 1. Hierarchiam idem eſſe, ac Sacrum Principatum, vel Sacram Rempublicam, & quemadmodum

 in-

inter homines est vna Ecclesiastica Hierarchia sub Christi Domini vicario vt sub capite; ita & in Angelis esse vnam Hierarchiam, si considerentur in ordine ad Principem, Quatenus scilicet tota hominum, & Angelorum multitudo, qui sacris participant sub vno Principe, idest Deo gubernantur. Et hoc sensu S.P. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 1. docuit duas esse in toto vniuerso Ciuitates vnam SS. Angelorum, & hominum sub vno principe Deo; alteram malorum sub principe Diabolo primã illam describit. *Vna est enim*, ait ibi Coque' sic, *& eadem velut Respublica Ciuitas, ac societas, seu mauis Ecclesia, quæ complectitur electos ex Angelis, & hominibus, vt non alia sit Angelorum, & hominum societas, etsi natura sint differentes, in his spectandum tamen quod est gratia, quod in eumdem finem beatitudinis, & gloriæ sint à Deo ordinati; quod homines assumendi sunt pro varietate meritorum ad omnes Angelorum ordines, &c.*

Dico 2. inter Angelos ipsos esse tres Hierarchias. Hec est communis, & vnanimis PP. & Theologorũ sententia, vt ex D. Dionysio in lib. de cælesti hierarchia cap. 6. ostendit S.Tho: pri.par. qu. 108. art. 1. Licet enim considerata tota illa multitudo beatorum spirituum in se sub vno Deo nomine vnitatis appelletur Cælestis Hierarchia: ab ipso tamen S. Dionysio loco cit. diuiditur in supremam, mediam, & infimam, & in vna quaque ex his tribus numerantur tres ordines, siue Chori Angelorum distincti. In suprema enim sunt Seraphim, Cherubim, & Throni. In media Dominationes Virtutes, & Potestates. In infima Principatus, Archangeli, & Angeli, &c. Aliter tamen disponuntur hi nouem Chori à S. Gregorio hom. 34. in Euangelia, & à S. Bernardo lib. 5. de Consideratione ad Eugenium. Qui secundæ Hierarchiæ, pro secundo Choro adscribunt Principatus, & infimæ Hierarchiæ pro primo Choro, Virtutes reponunt; refert tamen Becanus Tract. de Angelis cap. 3. qu. 10. §. 5. ex testimonio Dionysij Chartusiani in Commentarijs super Dionisium: D. Bernardum doluisse, quod dissensisset ab Areopagita. Sufficientia tamen diuisionis in nouem Choros ab omnibus Catholicis retinetur, nec licet de ea dubitare; nam ex scripturis Sacris: & ex vnanimi consensu PP. habetur. Ad Romanos enim cap. 8. numerantur tres; idest Angeli, Archangeli, & Principatus. Ad Collosenses cap. 1. tres alij, idest Throni, Dominationes, & Potestates, & in epist. 1. ad Corinth. cap. 15. Virtutes. In libro Gen. cap. 3. fit mentio de Cherubinis. & Isaiæ cap. 6. de Seraphinis. Et hoc pacto etiam S. Gregorius homil. prædicta ex Scriptura Sacra, nouem Choros esse collegit, & probauit. Veritas

hæc

hæc ab illis, qui fusè de hac materia scripsere probatur etiam Auctoritate PP. & primo S. Martialis in Epistola ad Tolosanos cap. 12. S. Antonij Abbatis epist. 5. quæ hab. tomo 3. Bibliotecæ PP. S. Dionysij loco citato, S. Ignatij Martyris in epist. ad Trallianos. S. Irenæi lib. 2. aduersus Valentinum cap. 54. S. Atanasij serm. 3. & 4. contra Arrianos, & in qu. 4. ad Antiochū. S. Basilij in Liturgia. S. Io: Chrysostomi hom. 2. de Incomprehensib. Dei natura, & hom. 4. in Gen. S. Cyrilli Alexandrini lib. 1. in Genesim. S. Io: Damasceni lib. 2. de Fide cap. 3. S. Hilarij in Ps. 134. Beati Laurentij Iustiniani in serm. de Angelis. Nostri S. Thomæ de Villa noua serm. de S. Michaele Archang. S. Clementis Romani lib. 8. Constit. Apostolicarum cap. 12. & aliorum.

Dico 3. prędicta nomina quæ singulis Choris attribuuntur esse nomina significātia personas, & officia distincta; sic enim docet S. Dionysius loco cit & plures alij PP. & præcipuè S. Gregorius in prædicta homilia, id colligit expressè ex Sac. Scriptura, & indubitanter asserit.

Dices 1. hæc nomina in scripturis sæpè accipiuntur promiscue: nomen enim *Angelus* est nomen genericū de singulis quibusque ex quolibet Choro prædicabile. Similiter etiam nomen *Arcangelus* S. Michaeli tribuitur, qui tamen à PP. communiter in Choro Seraphim collocatur, & inter illos primus esse dicitur. ℞. id accidere ob conuenientiam naturæ, vel ob similitudinem officiorum, quæ nobis exhibent, propter quæ quando concionatoriè, non verò in toto rigore Scholastico loquimur, solemus ea vsurpare, & miscere; vt contingit etiam in alijs materijs.

Dices 2. S. P. in Enchiridione cap. 58. ait. *Quomodo autem se habeat Beatissima illa, & suprema societas, quæ ibi sint differentiæ personarū, cum omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur*, &c. *& quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cælestem societatem videtur Apostolus esse complexus dicendo, siuè Sedes, siuè Dominationes, siuè Principatus, siuè Potestates: dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt. Ego me ista ignorare confiteor*. Ergò non est certum apud PP. illa nouem nomina esse nomina significantia diuersos ordines, & Choros. ℞. eumdem S. P. tollere hanc difficultatem in Axiomate posito pro fundamento huius dubij; cum dicit se indubitata fide tenere quod differant.

Dico 4. Distinctionem prædictā trium Hierarchiarum; & nouem ordinum iuxtà communiorem explicationem consistere in eo, quod Angeli supremæ Hierarchiæ sunt veluti assessores, & cubicularij Dei, per quos ad reliquos Angelos Diuinæ reuelationes deriuantur, vt docet S.

Dionys. cap. 7. Cælestis Hierarchiæ; quibus in Ecclesia militanti correspondent viri Sancti, & contẽplatiui, quibus immediatè à Deo multa reuelantur. In hac perfectissima Hierarchia infimus Chorus est eorum, qui dicũtur Throni, eo quod sint quasi Sedes Dei. Medius est eorum, qui dicuntur Cherubim à plenitudine scientiæ. Supremus eorum qui dicuntur Seraphim à plenitudine Charitatis. Hi tres ordines occupantur solum in assistentia ad Diuinam Maiestatem, & per se non mittuntur ad exteriora, seu inferiora ministeria.

Secunda Hierarchia habet Angelos; vt docet noster B. Egidius in secundo dist. 9. qu. 2. art. 1. dub. 2. ad quos spectat dispositio Diuinorum Ministeriorum, & sunt veluti præfecti operum, quorum spiritus infimæ Hierarchiæ sunt executores; quibus etiam imperant; ita vt Potestates, quæ in infimo ordine huius sunt habeant statuere, & disponere ea, quæ acceperunt à suprema Hierarchia, esse executioni mandanda; quapropter isti mandant, & tres ordines infimæ Hierarchiæ exequuntur. His S. Gregorius tribuit etiam specialem in Dæmones potestatem; Virtutes verò, quæ sunt in secundo Choro ex D. Dionysio loco citato; præsunt operibus miraculosis, quæ extra communem cursum causarum secũdarum contingunt; vt propterea S. Areopagita dicat. *Virilem quamdã fortitudinem habere, qua in actionibus suis omnibus ad imitationem Dei potenter assurgunt.* Supremus ordo in hac Hierarchia est illorum spirituum, qui dicuntur Dominationes: ad quos spectat mandando præesse: ita tamen vt in hoc differant à Potestatibus, vt non solum tribus infimis Choris; sed etiam ipsismet Potestatibus imperent: sic explicatur dictum illud S. Dionysij loco citato de Dominationibus, esse scilicet. *Intelligentias celsiores, omni inferiori submissione liberas, & omni seruili, & imminutioni obnoxio opere superiores.* Becanus loco citato dicit ad hanc Hierarchiam spectare regimen generale S. Ecclesiæ militantis, & executionem eorum, quæ ad vniuersale bonum eiusdem Ecclesiæ spectant. Quibus ait in Ecclesia militante respondere Prælatos, qui curam habẽt communitatis.

Tertia, & infima Hierarchia habet in infimo ordine spiritus illos, quibus nomen commune, & generale omnibus alijs appropriatur; & propterea dicuntur Angeli, idest missi ad ministrandum hominibus. Chorus medius continet illos, qui Arcangeli appellantur; de quibus incertum est apud D. D. an excellẽtia illorum consistat præcisè in maiori excellentia, & perfectione eorũ; an verò etiam in aliqua iurisdictione supra Angelos; hoc posterius vide-

tur esse de mente S. Dionysij cap. 9. prædicti libri de cælesti hierarchia, vbi admittit aliquam iurisdictionẽ, & illuminationem eorum. Aliqui tamen cum Suario contendunt dictũ S. Dionysij esse intelligendum de indirecta potestate, quando ratione personarum altioris gradus, & conditionis, quarum dicuntur esse custodes videntur posse imperare aliquid Angelo Custodi personæ inferioris, & subiectæ alteri personæ, cuius Archangelus curã habet. Primus Chorus huius Hier: est eorum, qui dicuntur Principatus; quibus ab omnibus conceditur aliqua iurisdictio ad imperandum non solum Angelis, sed etiam Archangelis; & ad eos illuminandum, & instruendum iuxtà ordinem Diuinæ Prouidentiæ sibi manifestatum. Ex his communior fert sententia aliquos suscipere curam Regum, aut regnorum; vel etiam Pontificum, & in hoc ordine dicit Arriaga S. Dionysium collocare S. Michaelem, quod tamem esse valde dubium, asserit & rectè; nam communiter censetur esse in supremo ordine primæ Hierarchiæ, & Principem, idest primum totius militiæ cælestis, de quo infra. Hanc Hierarchiam dicit Becanus loco citato, habere curam eorum omnium, quæ ad speciale regimen pertinent; quibus in militanti Ecclesia, ait respondere curatores negotiorum, & causarum particularium; Puto tamen huius Auctoris sensum, tam circà præcedentem Hierarchiam supra relatum, quam circa hanc infimam non esse restringere munera, & potestates illorum spirituum ad ea solum, quæ ipse commemorat; idest ad regimen, & bonum Generale militantis Ecclesiæ, tantum, & ad sola negotia particularia; nam & de partibus vniuersi corporei; ac etiam de illis, quæ extra Ecclesiam sunt, & de corporibus cælestibus illis curam commissam fuisse, est communis sententia; Virtutes enim cęlorum orbibus sydereis præesse, & Principatus non solum Principes Ecclesiasticos, & Reges Christianos dirigere, & illuminare, ac custodire; sed etiam Infideles, & alienos ab Ecclesia dicuntur, & ex Sacris Scripturis probatur.

Dices Apostolus in Epistola ad Hebr. cap. 2. ait. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ*. Ergo, nec etiam partes vniuersi corporei; nec orbes syderum, nec similia. R. sententiam istam, ab eis, qui illa vtũtur contra præcedentem doctrinam, allegari truncatam; nam Apostolus dicit *non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum*. Ex quo loco non rectè postea colligitur, quod Deus non subiecerit illis partes orbis corporei secundum pręsentem statum. Nam vt rectè exponit Nicolaus de Lyra hunc textum. *Duplex est status orbis vnus qui primus est secundum generationem, & corru-*

ptio-

ptionem. Alius erit status post iudicium, in quo cessabit omnis talis transmutatio, &c. *Orbis autem secundum statum præsentem subiectus est quodam modo ipsis Angelis, quia Ministerio eorum mouentur corpora cælestia, & per consequens transmutantur ista inferiora per ipsos, & illuminantur homines de Diuinis. Omnia autem cessabunt in iudicio, & ideo orbis futurus non erit Angelis subiectus, sed ipsi Christo, &c.*

Disputant hic aliqui recentiores, in quo differat habitatio Dei in Angelis tertij Chori primæ Hierarchiæ, qui dicuntur Throni Dei, ab habitatione in alijs Angelis; siuè vt alij proponunt, quid sit esse Thronum, siuè Sedem Dei. Et an Seraphim sicut in amore excedunt alios, sic etiam in scientia, & visione Dei, quæ respondet amori, & si hoc est, quomodo Cherubim dicantur tales ob excellentiam scientiæ. Et cum hæc inæqualitas visionis Dei, & Amoris reperiatur etiam in alijs Choris, & Hierarchijs inferioribus, quomodo sufficiat in prima ad costituendam singulariter diuersitatem ordinum, & post longam discussionem relinquũt rem dubiam, sicuti eam inuenerunt. In hoc placet mihi sententia eorum, qui docent Seraphim excedere quidem omnes in visione, & charitate, sed denominationem excellentię ipsorum desumi ab amore, & à charitate, quia hæc potissimum facit propinquiorem Deo, & est vera forma sanctitatis, & Amicitiæ Dei. Cherubim verò dici à plenitudine scientiæ, quia licet inferiores illis etiam in hac excellentia; nihilominus excellunt omnibus alijs Choris inferioribus in hac perfectione, quæ immediatè in creaturis attenditur post charitatẽ, quia sicut ista est perfectio voluntatis, ita illa est perfectio intellectus, quæ sunt potentiæ præcipuæ creaturæ intellectualis. Hoc verò quod est esse Sedem Dei. Potestates, Virtutes, & cætera huiusmodi esse in illis Choris veluti sunt gratiæ gratis datæ in nobis, quæ sunt specialia ornamenta, & perfectiones illarum personarum quę eas participant, & sicut inter homines posset dici habentes sermonem scientiæ, constituere ordinem diuersum ab habentibus Sermonem sapientiæ, & istos diuersum ab habentibus genera linguarum, & isti diuersum ab habentibus gratiam curationum; & sic de singulis: sic etiam in illis Choris per similes gratias distingui ordines. An autem hæc distinctio supponat necessariò diuersitatem essentialem in natura; & inæqualitatem notabilem in gratia, & meritis: & an sit alia diuersitas: Nullum adhuc reperi mihi plenè de hoc satisfacientẽ; vnde libens cũ S. P. fateor me ignorare, cum .n. in lib. ad Orosium capite vndecimo dixisset *esse Sedes, Dominationes, Principatus, &c.* vt ha-

bes

bes in Axiomate: Statim subdidit. *Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse Doctorem, quaenam ista sint, & quid inter se differant nescio. Nec ea sanè ignorantia periclitari me puto, sicuti in obedientia, si Domini praecepta neglexero*. Sic loquitur S. P. vt propterea mirum non sit si S. Ecclesia Romana, de eo dicit. *Nihil illo fuit humilius*.

Quaeres hic an diuersitas horum ordinum remanebit post diem Iudicij. ℞. S. Thomas pri. par. qu. 108. art. 7. In ordinibus Angelicis duo posse considerari. Primum est distinctio graduum; secundum verò est executio officiorum, & distinctionem graduum esse in Angelis secundum differentiam gratiae, & naturae; & vtramque hanc differentiam in Angelis semper esse mansuram; & sic etiam differentiam gloriae, secundum differentiam meritorum praecedentium. Quantum verò ad executionem officiorum cessaturum quidem, secundum quod eorum officia ordinantur ad perducẽdum aliquos ad finem: remansuram verò secundum quod conuenit in vltima finis consecutione; sicut alia sunt officia militarium ordinum in pugna, & in triumpho. Arbitror mentem Angelici Doctoris esse, quod remanebunt in illis veluti characteres, nobilitates, dignitates illas constituentes illos spiritus in talibus, vel talibus officijs, ad eorum decorem, splendorem, & gloriam accidentalem; sicut post praelium in hoc Mundo, adhuc post victoriam, & triumphum retinent Duces, Vexilliferi, Centuriones, & alij similes easdem dignitates, & stipendia ad decorem, & vtilitatẽ. Porrò cessaturam esse executionem praedictorum officiorum in Angelis colligitur ex epist. 1. ad Corinth. c. 15. vbi Apostolus loquens de extremo die iudicij, ait. *Cum euacuauerit omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem*. Quem locum etiam S. Thomas ibi in responsione ad primũ exponit, secundum praedictam distinctionem; idest quantum ad executionem perducendi ad finem.

Dico 5. S. Michaelem esse vnum ex primis Seraphim, qui immediatè Deo assistunt, vt fert communior sẽtentia, immo & primum inter illos. Prima pars huius assertionis probatur 1. ex scripturis; nã Danielis cap. 10. v. 13. habetur *Michael vnus de principibus primis venit in adiutoriũ meum*, & c. 12. *Consurget Michael Princeps Magnus, qui stat pro filijs populi tui*. Nomine horum principum apud interpretes veniunt communiter Seraphim, & praecipuè septem illi, qui dicuntur astare ante Thronũ Dei; Eum verò esse primum inter illos. Quod habet altera pars nostrae assertionis probat Andreas Victorellus in lib. de Ministerijs Angelorum lib. 6. cap. 6. simul cum Cardinali Bellarmino, eo quod in Apo-

ca-

calypsi cap. 12. v. 7. habeatur *Michael, & Angeli eius praliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius*, &c. ex quo loco sic arguunt: Tota militia Angelorũ cælestium est subiecta directioni, & imperio S. Michaelis, veluti milites vni Duci Generalissimo totius exercitus: ergo ille est primus absolutè inter omnes; & probatur à simili, quia nullus dubitat, quin Draco ille, quẽ dicitur pugnasse cum S. Michaele esse primum inter Angelos eius, idest Dæmones, qui ibi dicuntur pugnasse. Prob. 2. testimonio S. Ecclesiæ, quæ cum in eius officio appellat præpositum Paradisi; nam in Antiphona secunda Nocturni secundi est; *Michael Prapositus Paradisi, quem honorificant Angelorum ciues, &c.* hoc nomen præpositi Paradisi proculdubiò primatum eius significat: Sic etiam in Lytanijs SS. & in Confessione primum ei locum concedit immediatè post Beatissimã Virginem.

Dices. B. Egidium nostrum in lib. 2. sent. dist. 10. dub. 2. laterali, ex illis, quæ perpendit versus finem articulorum totius distinctionis collocat S. Michaelem in ordine Principatuũ; cumque sequitur Cardinalis Toletus in Comment. super caput primum Euang. S. Lucæ: immo Arriaga tomo 2. in pri. par. Tract. de Angelis disput. 26. sect. 5. subsect. 2. refert ex Suario, hoc esse de mente S. Thomæ, & alios Auctores docere, eum esse de Choro Potestatum. & mihi in hac parte arridere sententiã P. Dominici Bannez, quem refert Victorellus loco citato docuisse, esse duos saltem spiritus, qui hoc nomine appellantur; alterum quidem supremum inter Seraphim; alterũ verò inter Principatus existentem; immò Arriaga refert ex Suario sententiam quorumdam dicentium, multos esse Angelos inter Beatos spiritus hoc nomine appellatos. In hac enim sententia facilè conciliantur omnia, dicendo alium esse Michaelem supremum, qui cum Dracone bellum gessit; & alium, vel alios qui sæpè leguntur missi. Neque hoc mihi videtur, sine fundamento asseri, vt opponit Victorellus; nam vt ait S. Gregorius homil. 34. in Euang. *Angeli idcircò priuatis nominibus censentur, vt signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant: Michael namque, quis vt Deus; Gabriel autem, fortitudo Dei. Raphael verò medicina Dei.* Quæ nomina, cum ex operationibus eorum sint desumpta: propter nostram eruditionem; neque enim in illa suprema Hierusalem indigent Beati illi ciues, & spiritus nominibus, vt se mutuò cognoscant, & discernant; & in prælio illo contra Draconem probabilissimum sit hoc eodem conceptu, *Quis vt Deus* à pluribus ex illis spiritibus efformato, & manifestato pugnatum fuisse, non debet videri mirum si in-

tes-

tesseram suæ victoriæ etiam hoc nomine plures alij decorentur, sicut nõ est inconueniens in eodem exercitu plures duces ex inferioribus eodem nomine appellari, quo Dux Generalis, & supremus; & stemmata, ac signa eiusdem rationis, & similia referre. Nec officit id quod opponit Arriaga loco citato, nempè quod induceretur magna æquiuocatio tot Michaeles ponendo; nam vel hæc æquiuocatio supponeretur oriri inter ipsos Beatos spiritus, vel inter nos homines; non inter illos, quia vt dixi non indigẽt nominibus, vt se appellent, discernant, & cognoscant. Apud nos æquiuocatio facilè tolli potest si cum absolutè profertur, vel cum addito *Seraphim* intelligatur supremus: cum verò indicare volumus aliquem alium ex inferioribus ordinibus addatur pro distinctiuo nomen illius Chori, eo modo quo plures Sanctos eodem nomine insignitos v. g. Petri, Io:, Thomę, Francisci, &c. per additum Patriæ, vel dignitatis, aut excellentiæ vt plurimũ distinguimus.

AXIOMA SECVNDVM.

Sæpe ad nos Angeli Sancti mittuntur.

Ex Conc. 1. in Psal. 103. ad illa verba. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.

E*sse Angelos nouimus ex fide. Spiritus autem Angeli sunt. Angelus officij nomen est, non naturæ. Quæris nomen eius naturæ? Spiritus est. Quæris officium? Angelus est. Sic ergo, qui erant iam spiritus conditi à Creatore Deo facit eos Angelos mittendo eos nuntiare quod iusserit.* Et ignem flagrantem facit ministros suos. *Bene facit Angelos suos spiritales, idest nuntios verbi sui. Quomodo dicit, & Ministros suos ignẽ flagrantem? nisi quomodo ad Rom. 12. Spiritu feruentes? Hunc ignem se missurum in terram Dominus dicebat, Quomodo gladium sic ignem.*

DVBIVM

An, & quomodo Angeli Sancti ad nos mittantur.

PRæmitto ex Angelis Sanctis alios esse, qui dicuntur Deo assistentes, vt habetur Tobiæ cap. 12. *Ego sum Raphael vnus ex septem, qui astamus ante Dominum*; alios verò esse ministrantes, de quibus Danielis cap. 7. dicitur *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Porro hoc quod est assistere Deo dupliciter accipi potest. Primo præcisè pro eo, quod est intueri faciem ipsius Dei clarè, & in hoc sensu omnes Angeli Beati sunt Deo assistentes; nec in ordine ad hoc sumitur prædicta distinctio. Secundo pro eo, quod est specialiter assistere, idest per se; siue ordinariè non recedere ab assistentia, & conspectu eius in Empyreo, seu Ciuitate Sancta Hierusalem Cęlesti, & in hoc sensu procedit prædicta distinctio. Hi enim per se, idest non ordinariè, sed rarò exeunt, aut mittuntur ad nos. Sic etiam hoc, quod est ministrare, dupliciter accipitur. Primo pro ea ministratione, quæ est purè spiritualis, & intra corpora cælestia; vt cum mittuntur ad alios illuminandos, & ad intimandum eis ea, quæ Deus vult fieri. Sicut Consiliarij Regis quandoque mittuntur ad Principes, vt nuntient eis mētem, & decreta sua. Ad hanc ministrationem non requiritur motus localis. Cum enim supra demōstratum sit eos posse loqui in distanti inter se: nulla est per se necessaria localis mutatio ad hoc. Secundo accipitur pro Ministerio externo extra Cælum, vel ad custodiendos homines, vel ad eos puniendos, vel ad reuelandum eis aliquid; vel alijs de causis, quo posito est quæstio, quę mihi de voce videtur, an vtraque hæc ministratio Angelorum dicenda sit missio, in quo mihi placet sententia S. Thomæ pri. par. qu. 112. art. 2. ad primum affirmatiuè respondētis. Et quidem de secunda non est difficultas, nam etiam inter nos talis ministratio de mandato superioris missio dicitur. Primam verò esse etiam propriè missionem probatur; nam & persona Diuina, quamuis sem-

semper immota, & immutabilis, eo ipso, quod specialiter per aliquem effectum sit in creatura, dicitur missa ab ea, à qua procedit, vt suo loco cũ Angelico Doctore, & S.P. dictũ est. His positis quæstiones de re sunt. An omnes omnino Chori Angelorum sint ministrantes vtroque ministrationis modo explicato. Secunda, an sint aliqui, qui per se, & regulariter extra cælum nõ mittantur. Tertia, an sint plures, qui assistũt: an verò qui mittuntur. Quarta, an ex assistentibus, id est Seraphim, aut Cherubim aliqui in propria persona mittantur. Has per totidem assertiones breuiter resoluo, &

Dico 1. Omnes omnino spiritus Beatos esse ministrantes, vel in secũda, vel in prima ministrationis acceptione; nam vel immediatè illuminantur à Deo, vt alijs etiam spiritibus intiment; quod Deus fieri vult, & tunc primo modo ministrant: & in hoc sensu, & assistentes, & ministrantes ijdem sunt. Vel exequuntur illa, quæ à Deo per alios sibi sunt mandata, & tunc exercent secundã missionem, seu ministrationẽ. Prob. hæc assertio ex illo D. Pauli ad Hebræos cap. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Non vtor hic rationibus; nam de possibilitate vtriusque missionis, & ministrationis non procedit hęc difficultas; vnũquemque enim spiritum Beatum posse mitti vtroque modo à Deo nõ est dubium; quapropter quęstio est solum de facto, in qua standum est reuelationi Diuinæ per Scripturam Sacram nobis notæ.

Dices data hac Doctrina sequitur multo plures esse Angelos assistentes, & consequenter ministrantes primo modo, quam missi, & ministrantes secũdo modo. Sed hoc videtur absurdum, & contra regulam rectã Oeconomicam, & Politicam. Ergo dicendum est non omnes omnino spiritus assistentes esse ministrantes, nec etiam primo modo. Sequela probatur ex illo communi principio, vel Axiomate, quod ascendendo ab infimis ad superiora, hæc per notabilem puta decuplam proportionem superent illa; quo posito tres Chori supremæ Hierarchiæ, qui sunt assistentes per multa millia superabunt Angelos non solum infimæ, sed etiam mediæ Hierarchiæ, qui censentur esse ministrantes etiam secundo modo. Minor probatur ex analogia ad dispositionem nostrarũ communitatum, in quibus si plures sint mãdantes, & mittentes, quam missi, tollitur pulchritudo, & ordo; & oritur confusio, vt est videre in Regnis, in Republica, in exercitu, in domibus, in nauibus, &c. ℞. Primo nos non habere fundamentum certum inferendi esse multo plures spiritus assistentes, quam ministrantes; immo potius si arguere volumus ex

visibilibus ad inuisibilia debere concludi oppositum; nam in vnoquoque genere rerum, siue sint inanimata, siue animata, multo plura cernũtur, vt plurimum esse imperfectiora, siue minus perfecta, quam perfectiora: Vnde ortum est Prouerbiũ: Naturà in minus perfectis magis abundat, quam in perfectissimis; sic videmus in lapidibus multo pauciores esse pretiosiores, sic & in herbis, & in arboribus, & in animalibus, siue fuinas aquatilia, siue volatilia, siue terrestria, sic & in syderibus. Et propterea in Physicis prædictam decuplam proportionem dixi non habere fundamentum certum. Præterea adhuc incertum est, an ex solo infimo Choro assignentur custodes. Denique nulla est necessitas, quod illuminatio, & intimatio Diuinæ voluntatis semper fiat per eumdem Seraphim, vel Cherubim, sed quandoque per vnum, quandoque per alterũ; vt videmus inter Reges, & Principes frequentes esse mutationes Legatorum, & Oratorum. Cumque sint duæ Hierarchiæ, quibus assignãtur ministeria illa exteriora optimè potuit à Deo disponi, vt omnes spiritus Primæ Hierarchiæ essent spiritus administratorij primo modo, idest assistentes, & illuminantes. Cõsequenter ad hæc

Dico 2. esse communem sententiam Angelos quosdam esse, qui per se, & ordinariè non mittuntur extra Cælum, & hos esse tres primos Choros, & supremum Chorum ex prima Hierarchia. Fundamentum huius assertionis est Auctoritas S. Dionysij, in libro de Cælesti Hyerarchia cap. 7. & 13. vbi hoc docet, & Sancti Gregorij Magni, qui hom. 34. in Euangelia idem significat, quibus adhærent S. Thomas pri. par. qu. 112. artic. 2. & 3. & ferè omnes Scholastici.

Dices ex eodem D. Dionysio solum Chori Primæ Hyerarchię à Deo immediatè illuminantur. Ergo cũ illis non est adnumerãdus supremus Chorus secundæ Hyerarchiæ. Rx. ex dicta Auctoritate solum sequi tres primæ Hyerarchiæ, Choros esse illos, qui propriè dicuntur Deo assistentes. Vnde Dominationes in hoc non conueniunt cum illis; sed in eo quod intimant alijs quinque inferioribus ordinibus mandata, qui immediatè ea exequuntur, & mittuntur extra Cælum, ipsę tamen Dominationes accipiunt ipsa mandata nõ à Deo immediatè, sed à tribus primis Choris. Propterea à Suario, & Arriaga loco citato sect. 4. disp. 21. nu. 25. notatur Benedictus Pererius, quod lib. 8. cap. 7. in Dan. dixerit iuxta Dionysium esse quatuor Choros Angelorum assistentium, quod minus rectè, & contra mentem Sancti Dionysij dictum volunt; eo quod iste S. docuerit quidem esse quatuor Ordines, qui non mittuntur ad extre-

trema ministeria; sed vnum ex illis non computauit inter assistentes, & iste est Chorus Dominationum; eo quod non accipiat à Deo immediatè illuminationes.

Dico 3. Probabilissimum esse quod sint plures Angeli ministrantes etiam secundo modo, quam illi, qui simpliciter assistentes dicuntur. Prob. 1. Auctoritate S.Gregorij Magni lib. 17 Moralium cap. 9. vbi explicans illud capitis 25. Iob. *Numquid est numerus militum eius*, adducit illud Danielis c. 7. *Millia milliũ*, &c. & ait: *quamuis est aliud assistere, aliud ministrare. Assistunt enim illi proculdubio Potestates, quæ ad quadam hominibus nuncianda non exeunt. Ministrant verò hi, qui ad explenda officia nunciorum veniunt: sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et quia plures sunt, qui ministrant, quam hi qui principaliter assistunt, assistentium numerus, quasi definitus, ministrantium verò infinitus ostenditur*. Similiter etiam Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 1. Commẽtariorum in Danielem Proph. explicans eumdem Textum hui⁹ Proph. ait. *Plures in actiua ministrant, pauciores in contemplatiua assistunt ei. Benè ergo indefinita quantitate dictum est millia millium ministrabant ei; definita verò, & decies millies centena millia assistebant ei*. Vbi licet hunc locũ Danielis tribuat hominibus renatis per acquã, & Spiritũ Sanctũ, qui distributis ordinibus seruire cœperunt Maiestati Dei; nihilominus ratio desumpta ex diuersa enumeratione Prophetæ militat præcipuè, & primò de Angelis: cum de istis in sensu litterali communiter textus iste exponatur à P.P. Probari etiam potest, quia Chori ministrantium sũt plures, quam Chori assistentium, siue includas, siue excludas ab istis Chorum primum secundæ Hyerarchiæ. Quinque enim sunt ministrãtium, & non habemus fundamentũ firmum dicendi inferiores Choros, non cõstare tot spiritibus, quot sunt illi superiorum. Non nego tamen propterea probabilitatem oppositæ sententiæ, quæ innititur illi fundamento, quod eo plures debent esse numero res, quo perfectiores sunt: contra quod non habeo nisi, id quod supra dixi, tum ex lumine naturæ, quo id quod est perfectius rarius esse cognoscimus: tum ab experientia ferè in omnibus rerum generibus.

Dico 4. non esse omnino certum, an aliqui ex assistentibus Seraphinis, vel Cherubinis in propria persona mittantur extra Cælum. Pro sentẽtia affirmante citantur à Suarez, Alẽsis, Scotus, Durandus, noster Thomas Argentina, Gabriel, Mallorius, Marsilius, & Molina. Pro sententia negante S.Thomas, B. Egidius noster, Caietanus, Capreolus, & Richardus. Fundamentum huius sententiæ est Auctoritas S. Dionysij; & vide-

videtur esse aliquo modo S. Gregorij loco mox citato de assistentibus, vbi dicit. *Ad quædam hominibus nuncianda non exeunt.*

Sentẽtia affirmatiua prob. 1. testimonio Isaiç Proph. c. 6. vbi Proph. ait, *& volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de Altari.* Respondent aliqui, illum non fuisse verum Seraphim; sed sic appellatum ab officio purgandi labia igne. Hæc tamen responsio communiter reijcitur propter multa. Primo, quia est singularis, & opposita expositioni aliorum PP. idest S. Athanasij, S. Io: Chrysostomi, S. Gregorij Nazianzeni, S. Io: Damasceni, & Theodoreti, qui de verò Seraphim illa verba interprætantur. Secundo, quia cum in Scriptura Sacra non habeamus mentionem de Seraphinis, nisi in dicto capite Isaiæ. Non erit locus probandi ex scripturis dari talem Chorum, sed ad summum esset nomen commune, quibuscumque spiritibus Beatis, sicut est nomen Angeli; quo pacto etiam reijciuntur, qui dicunt, cum dicitur Cherubim missum, non loqui de Cherubim propriè dictis. Tertio, quia illi, qui ab Isaia visi sunt astantes ante solium Dei, procul dubio erant veri Seraphini; erant enim assistentes, & ex illis vnus volauit. Respondent secundò, alij non volasse ipsum Seraphim in propria persona, sed misisse alium Angelum ordinarium ad Isaiam, & confirmant ex illis verbis. *Et in manu eius calculus.* Vbi per manum dicunt posse intelligi alium Angelum. Sed hæc etiam respõs. lic. propter auctoritatẽ S. Dionysij sit probabilis; nihilominus non videtur sufficiens, quia est valde metaphorica; & præterea hoc modo posset etiam dici ipsum Deum volasse ad Isaiam. Ex quibus patet hunc locum habere magnam probabilitatem pro hac sententia, cum pro se habeat prædictos PP. & iuxta regulam S. P. non debeamus in expositione Sacræ Scripturæ recurrere ad expositiones minus proprias, nisi vehementi ratione cogamur. Nec valet dicere supremi spiritus distinguuntur per hoc ab inferioribus, quod isti mittantur illi non; nã hæc regula non constituit in illis differẽtiam essentialem, aut proprietatem quarto modo; sed ad summum priuilegium quoddam, quod non mittantur ordinariè sicut inferiores, non verò quod non mittantur pro rebus magni momenti. Si enim Diuinæ Personæ procedentes, propriè dicuntur missæ, cur nõ etiam & Angeli, quamuis supremi, aliquando mitti poterunt, illç quidem modo illis conuenienti; isti verò etiam per imperium ipsius Dei.

Prob. 2. ex cap. 3. Genesis, vbi in fine dicitur. *Et collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim*, &c. Respondent aliqui dictum Cherubim

bim propter formam, seu figuram, quam assumpserat similem Cherubinis arcæ, qui postea à Moyse efformati fuere; non verò ex eo quod esset verè Cherubim; cum hoc non esset negotium tam Magni ponderis, vt spiritum supremæ Hyerarchiæ exigeret. Respondent alij dictum Cherubim, quia custodiebat viam ligni scientiæ, & Cherubim dicti sunt spiritus secundi Chori primæ Hyerarchiæ à plenitudine scientiæ; quod nomen tribuitur etiam ab Ezechiele Lucifero, qui tamen communiter censetur fuisse de Choro Seraphim antequam caderet. Eneruari tamen possent prędictæ responsiones ex dictis supra; non esse scilicet sine necessitate recurrendum ad metaphoras; nisi ex sensu proprio verborum aliquod incōueniens sequatur, quale hic non apparet; nam & custodire Paradisum erat opus magnum, & dignissimum tali spiritu. Et præterea magis congruum erat, vt collocaretur ibi pro custode arboris, scientiæ Spiritus, cui scientia ex propria ratione, & prædicatis intrinsecis conueniret. Prob. 3. ex toto capite decimo Prophetiæ Ezechielis, vbi Propheta dicit se vidisse, & intellexisse quatuor illa animalia, quæ prius viderat iuxta fluuiū Chobar fuisse verè Cherubim, & pluries illa hoc nomine Cherubim appellat. Locus iste mihi videtur efficacissimus, sicut visus est etiam Suarez; neque enim est probabile, quod dicunt aliqui, hic non esse sermonem de veris Cherubim: nam tolleretur via probandi ex Scripturis Sacris dari huiusmodi Chorum. Nec officit quod dicantur ambulasse; nam & dicitur etiam ibi Deum in curru vectum fuisse, cum tamen sit omnino immutabilis: nec est inconueniens, quod dicantur ibi moueri; cum nulli spiritui creato per se competat nunquam moueri de loco ad locum, quilibet enim est finitæ, & limitatæ virtutis, sicut est determinatæ essentiæ; huius motus plures rationes adducit Arriaga loco citato subsect. 1. nu. 31. & apparente Domino Deo, vel ad significandum Ezechieli Aduentum Verbi Dei in carne; vel ad exprimēdam exterius per mobilem figuram maiestatem gloriæ suæ, conueniens erat, vt etiam Cherubini, non per delegatos, sed per seipsos apparerent: & verum motum illis conuenientem ibi exercuerint. Ex his Scripturæ Sacræ locis valde probabiliter conuincitur etiam supremos alios extra Cęlum mitti. Quod probant alij etiam ex Daniele cap. 10. vbi dicitur Michaelem vnū de Principibus venisse; qui tamen supremus inter omnes omnino Angelos Sanctos, & consequenter primus inter Seraphim censetur, & ex illo Epist. ad Hebræos cap. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt*

piunt salutis. Verum quia de his ex dictis, satis constat quid sit dicendum, ab vlteriori discussione eorum supersedeo.

Dices esse regulam generalem, & infallibilem vt Deus administret infima per media, & media per suprema; Ergo non mittuntur, aut recedunt suprema à summis, vt descendant ad hæc infima. ℞. huiusmodi regulam posse pati dispensationem, & ex Sacris Scripturis adductis satis probabiliter, & efficaciter conuinci de facto Deum in hac lege dispensasse. Dices dispensationes admitti quidem in ordine naturæ aliquando, sed hoc fieri propter ordinẽ gratiæ, qui est superior illo. At ordinẽ gratiæ non habere alium ordinem superiorem sibi, ratione cuius in huius legibus sit dispensandum. ℞. 1. Deum quandoque ordinare maiora ad finem in se minorem; vt cum voluit Incarnationem propter salutem generis humani. Secundò ℞. in ipso ordine gratiæ esse aliqua maioris, alia minoris momenti; & sicut in ordine naturæ illa regula quod grauia naturaliter non ascendant sursum, mutatur ad impediendum vacuum; Sic intra ipsum ordinem gratiæ possunt fieri dispensationes, vt maiora, idest suprema, quæ regulariter non descendunt, nec mittuntur, propter aliquem finem à Deo intentum, & mittantur, & descendant. Sic plurimis viris Sanctis, & Dei amicis legimus concessa multa, & plura esse facta præter communes regulas naturæ, & gratiæ. ℞. tertiò ordinem Incarnationis, in quo habemus hominem Deum, esse superiorem ordine gratiæ, qui est in puris creaturis. Et propterea Deum non solum potuisse, sed etiam de facto meritò dispensasse piè creditur cum magno fundamento ex Scripturis Sacris desumpto, puta ad annuntiandum ipsum Diuinissimum Incarnationis mysterium; ad quod annunciandum Sanctus Gabriel Archang. missus fuit, qui communi Theologorum calculo inter supremos Seraphim numeratur. Sic & in Natali Sacratissimo ipsius Redemptoris quando facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, etiam ex supremis venisse dicit S.Io: Chrisostomus in Ps.8. Quando post ieiunium, & tentationem accesserunt Angeli, & ministrabant ei, ac etiam in Horto, quando apparuit ei Angelus de Cælo confortans eum, communiter creditur, vel S.Michael, vel Gabriel, qui sunt ambo Seraphim, venisse. Piè etiam creditur in die Assumptionis Beatissimæ Virginis, etiam supremos Seraphim cum Christo Domino venisse ad excipiẽdam, & deducendam illam ad Thronum gloriæ. Denique in die Iudicij extremi omnes cũ Christo Dño venturos esse, videtur esse extra controuersiam, cum Sacer Textus dicat, *Et omnes Angeli eius cum eo*.

AXIO-

AXIOMA TERTIVM.

Angeli Sancti Custodes nostri sunt.

Tomo 9. ex libro Soliloquiorum cap. 27.

F*Acis Deus Angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti, vt custodiant me in omnibus vijs meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meũ. Hi enim sunt custodes vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne antiquus ille serpens aduersarius noster Diabolus animas nostras eripiat. Hi ciues supernæ Ciuitatis Hierusalem missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus vijs suis, confortent quoque, & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ Maiestatis tuæ.* Vtor hoc libro, quia licet sit dubium, an sit opus S.P, nihilominus teste Cardinali Bellarmino, est opus non solum pium; sed etiam non indignum ingenio S.P. Augustini, & vt tale vniuersaliter habetur. Præterea Doctores Louanienses in censura huius libri, sic habent. *Opus plenum pijs affectibus per hominem versatum in Augustini voluminibus: non nunquam verba quædam, ac sententias veluti tessellas inter textas ex libris Confessionum, alijsque scriptis illius decerptas,* Cuius dignitas ex eo apparet, quod eximij illi viri, nihil in eo reprehensione dignum inuenerunt.

DVBIVM.

An, & quomodo Angeli Sancti custodiant homines, & alias res.

COntinet hoc dubiũ plura quæsita scitu digna, quæ quia parum habent difficultatis Scholasticæ, per asserta breuia resoluam. Hæc sunt. 1. An homines custodiantur ab Angelis. 2. An singuli homines

à singulis Angelis. 3. An sit aliquis homo, qui careat Angelo Custode. 4. A quo tempore incipiat hæc custodia. 5. Vtrum aliquis Angelus præsit toti Ecclesiæ. 6. An personæ publicæ habeant alium Angelum Custodem diuersum ab eo, qui custodit illum vt naturæ humanæ singulare indiuiduum. 7. An Prouinciæ, & Regna habeant Angelum tutelarem. 8. An etiam species rerum irrationabilium. 9. Ex quib⁹ Choris sint Angeli Custodes. 10. Quid efficiant Angeli Custodes; quibus positis.

Dico 1. cum S. Thoma qu. 113. art. 1. Angelos custodire homines. Hoc assertum probat Angelicus Doctor ex illo Ps. 90. *Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis; in manibus portabunt te, ne fortè offēdas ad lapidem pedem tuum*. Licet enim aliqui Interpretes hunc Psalmū de solo Christo Domino intelligant contextum; nihilominus ex primo versu illius constat eum esse vniuersaliter de omni iusto accipiendū; ait enim Proph. *Qui habitat in adiutorio Altissimi:* Et propterea assertum illum de Angelis, communiter de omnibus hominibus explicatur. Alia loca scripturæ, & PP. adducit Suarez tom. 3. in pri. par. Probatur secundò ratione, quia ordo Diuinæ Prouidentiæ solet esse, vt variabilia, & mobilia per illa, quæ habent aliquam immobilitatem, & inuariabilitatem moueantur, & regulentur; quod patet inductione in corporibus; nam inferiora, quæ sunt variabilia per omnes mutationes sensibiles, per superiora, quę de facto cēsentur solum habere motum localem, & in hoc habere etiam quēdam cursum regulatum, & inuariatum, regulantur. Sic & omnia corpora mobilia per substantias immateriales, & immobiles, quoad statum suum regi, & moueri docent communiter Scholæ. Et nos ipsi Conclusiones illas, in quibus diuersimodè possumus opinari, per principia, quæ inuariabilia censemus, firmare, & probare nitimur. Sed constat homines viatores in rebus agendis multipliciter esse mutabiles; & de facto variari in suis cogitationibus, affectionibus, & actionibus, & deficere posse à bono, & ab vltimo fine; Ergo necesse fuit pro liberandis nos, aut summè cōsentaneū Diuinæ Sapientiæ, & Prouidentiæ, vt nobis ad custodiam deputarentur Angeli immobiles, & inuariabiles in bono, qui nos dirigerent, regularēt, & mouerent ad bonum.

Dico 2. cuilibet homini vnum Angelum esse deputatum in custodiam. Probatur hoc ex communi consensu PP. Theologorum, & totius Ecclesiæ Catholicæ. Probat hanc assertionem S. Thomas loco citato, quia homines non solum quoad speciem communem; sed etiā quo-

ad

ad formas proprias singulorum indiuiduorum sunt incorruptibiles: Et sicut ad conseruationem specierum corruptibilium assignantur Angeli tutelares, estò non sint capaces finis supernaturalis; ita pro singulis hominibus, cum sint ordinati ad finem supernaturalem, conueniens fuit, vt assignarentur singuli Angeli. Celebris est pro hoc intento sententia illa D. Hieronymi in Matth. c. 18. *Magna dignitas animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis, in custodiam sui Angelum delegatum*, &c. Hoc idem antea docuerat Origenes homil. 23. in Lucam.

Opponit Caluinus hæresiarca contra hanc veritatem Catholicam, melius esse omnes Angelos simul habere curam omnium hominũ, quam cuiuslibet vnum tantum. Respondēt aliqui cum Suario: ex eo quod vnus sit assignatus, non tamen propterea rectè inferri alios etiam non posse iuuare quando opus fuerit. Alij respondent, & fortè melius, vel Caluinum intēdere, vt omnes simul Angeli habeāt curam eiusdem hominis, vel successiuè omnes; ita vt quandoque vnus, quandoque alter eum tueatur. Si primum; est impossibile, cum nequeat naturaliter idem Angelus esse in duobus locis distantibus; vt opus esset, si deberent simul habere curam eorum, qui sunt in oriēte, & eorum, qui sunt in Occidente, & eorum, qui sunt Antipodæ nostri. Si verò intendat secundum; melius esse, vt vnus semper regat eumdem hominem; tum quia cum sit virtus omnino spiritualis, non defatigatur; & si perpetuò id faciat, maiori notitia de singulis actibus, & maiori affectu de sibi commisso curam habebit. Propterea censetur hunc hæreticum animo potius tollendi è medio traditiones Ecclesiæ, quam inquirendi veritatem, hæc, & similia in medium protulisse.

Dubitant hic aliqui, an vnus Angelus soleat habere curam plurium hominum, vel simul, vel successiuè. ℟. communem sententiam esse eumdem Angelum non custodire simul plures homines; cum enim, vt dictũ est, non possit naturaliter esse simul in pluribus locis sibi adæquatis, & distantibus, & homines sint quandoque in locis valde dissitis, non posset simul, & semel assistere illis sua præsentia, & ope indigentibus. Quoad alteram partem, an scilicet successiuè, non est ita certum quod vnus, & idem Angelus successu temporis, defuncto scilicet vno, non custodiat alterum. Illi qui censent solùm Angelos infimi Chori deputari ad custodiam ordinariam singulorum hominum, & non adæquare numerum omnium hominum, consequenter loquendo dicunt, successiuè vnum habere curam plurium. Alij verò, qui dicunt prædictos Angelos, estò sint infimi Chori, adæquare, vel etiam

superare numerum omnium hominum, qui fuerunt, sunt, & erunt; consequenter docent nullum Angelum, nec etiam successiuè deputari ad custodiam plurium hominum; res est dubia. Hoc posterius videtur habere plures patronos.

Dico 3. omnibus, & singulis omnino puris hominibus fuisse deputatum suum Angelum Custodem. Hæc assertio est contra illos, qui solis prædestinatis eum concesserunt, cuius sententiæ videtur fuisse Origenes Tract. 5. in Ioannem circa finem; ac etiam contra eos, qui solis iustis dari contendunt, siue saluandi sint, siue non; pro qua sententia citantur Didymus, Euagrius, Basilius, Hilarius, Chrysostomus, & Cyrillus, nec non & Origenes. Prob. hæc sententia Auctoritate Sacræ Scripturæ; nam Exodi cap. 23. habetur. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum, quem præparaui; obserua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris*. Hoc loco vtitur S. Romana Ecclesia in officio Angelorum Custodum, ac proinde dicendum est de mente ipsius esse, quod etiam cum homo peccat, & non est in gratia, nihilominus etiam tunc habeat Angelum Custodem. Et hic est sensus communis omnium Catholicorum, qui vnanimi consensu hanc veritatē docent, & tenent, tam de Prædestinatis, quam de reprobis; tam de iustis, quam de peccatoribus.

Dices 1. prædictos PP. oppositū docere; & præcipuè S. Basilium in cap. 5. Isaiæ, vbi ait: *Vt muro tutelari spolietur, si in peccatis deprehendatur*. Et adhuc clariùs in expositione Ps. 33 his verbis. *Omni in Christum credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligauerimus*. Ergo non omnes habent hunc Angelum Custodem. Respondet Arriaga loco citato subsect. 1. Nonnullos obseruasse quod alij PP. non apponunt exclusiuam: & ipse fatetur quod non ita clarè vt S. Basilius loquuntur; immo nec hunc Sanctum Doctorem in his locis denotasse abscessum Angeli à custodia; sed solum nos esse qui nosmetipsos indignos reddamus eius custodia per peccata: vel aliquem breuem abscessum eius significare voluisse, quod non est contra Catholicam, certam, & communem Doctrinam; non enim propterea posset ille homo tunc dici desertus ab illo. Et hoc eo magis de tam magno Sancto, & Doctore credendum est; quia in libro tertio contra Eunomium; & in libro de vera virginitate nostrā docuit sententiam. Et hoc etiam modo intelligendi sunt alij PP. quando de abscessu nostri Angeli Custodis loquuntur; idest per breue tempus, neque enim dicitur non habere Rectorē, Ducem, vel Magistrum illa

Ci-

Ciuitas, vel exercitus, vel Schola, a quibus illi per breue tempus se elongant.

Dices 2. ad Hebræos cap. 1. de Angelis Custodibus dicitur. *In Ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Ergo solis prædestinatis dantur Angeli Custodes: cum hi solum capiant hæreditatem salutis. Respondent aliqui etiam reprobos ordinari in bonum salutis electorum; ac proinde, vel dirigi à suis Angelis Custodibus in bonis, quibus possunt, & aliqui de facto cooperantur bonis operibus electorum, vel arceri à malis, quæ quãdoque illis intentant. Verum hæc responsio non potest habere locum in plurimis reprobis; puta in infidelibus illis, qui ante mille annos erãt in America, in quibus cum non esset fides: nec etiam erant electi, quibus vel iuuarent, vel nocerent; nec in infantibus, qui moriuntur sine baptismo. Respondent alij Apostolũ solum voluisse ibi indicare finem Ministerij, & missionis Angelorum esse, vt omnes sint salui: eo sensu quo communiter docent Deum velle, vt omnes omnino homines salui fiant; & propterea dat quibuscumque media sufficientia ad salutem, inter quæ computanda venit custodia Angelica. Vnde cum omnes homines sint eleuati ad finem supernaturalem, necesse est, vt singulis assistant Angeli Custodes, qui eos dirigant ad hunc finem. Quod habere locum dicunt etiam in illis infidelibus, de quibus supra, quia si non peccassent contra legem naturalem, & bene vsi fuissẽt his auxilijs, vlteriora auxilia recepissent, quibus tandem salutem æternã consequuti fuissent. Hæc responsio inter cæteras difficultates hanc præcipuè patitur, quod non habet locũ in perpetuò amentibus, qui vti non possunt his auxilijs, nec in infantib⁹, qui ita moriuntur, vt illis nullo modo remedium salutis æternæ applicari possit. Respondent aliqui huic instantiæ, in moralibus regulam generalem habere locum etiam in illis, in quibus nõ subest ratio motiua legis, dummodo id sit per accidens, vt patet in plurimis præceptis, & prohibitionibus. Verum hæc responsio nõ euacuat difficultatem, nam licet hoc contingat in dispositionibus humanis, in quibus prouisor communis nõ potest singula in indiuiduo disponere, & ordinare: non videtur tamen habere locum in dispositionibus, & ordinationibus diuinis, in quibus Deus est, qui habet curam de omnibus, & nihil frustra operatur. Respondent alij, idcircò datos illis Angelos Custodes, vt quantum patiebatur cursus causarum secundarum, procurarent illis cum parentibus, vel tutoribus bona ipsorum, & protractionem etiam vitæ; ac etiam ipsa auxilia, quibus salutem consequi possent. Hæc etiam responsio patitur

tur difficultatem, quia huiusmodi personę iam erant præuisę non habiturę talia bona, nec facultatem vtendi illis bonis. Melior ergo responsio videtur esse illorum, qui dicunt non vnicũ tantum officium, vel Ministerium exercere Angelum tutelarem, sed plures, putà dirigentis, docentis, illuminantis, remouentis pericula, arcentis operationes Dæmonum [qui propter odium quod eis gerunt contra homines, nocerent quantum possunt, vel inuadendo, vel suffocando, vel præcipitando, vel alio modo] custodientis etiã corpus, & cineres, ac membra illius defuncti, quem custodiuit viuẽtem; cum ex Sacra Scriptura constet hęc per ministerium ipsorum Angelorũ esse colligenda in resurrectione mortuorum in supremo die Iudicij, & Aduocati in suis causis maximè in Iudicio Dei, & propterea eis etiam assignatum fuisse Angelum Custodẽ, qui iuxta exigentiam status, & conditionis eorũ illos custodirent; Apostolum verò ibi loquutum fuisse de fine principaliori huius custodiæ, & missionis, cum quo tamen stat, quod eo cessante in reprobis, quoad executionem, & efficaciam; remaneat tamen quamdiu viuunt, saltem quoad potentiam remotam, & hi alij fines quoque supersint, qui per se sunt sufficientes ad hoc, vt iuxta rectum ordinem suæ Prouidentiæ Deus etiã reprobis assignet talem custodiam, vt iustificetur in sermonibus suis. Sic etiam Antichristum habiturum Angelum Custodem, cum S. Thoma qu. 113. art. 4. ad 3. docent communiter Theologi.

Dixi solum omnibus, & singulis puris hominibus; nam certum est Christum Dominum exceptum fuisse ab hac generali regula, & lege habendi Angelum Custodem; quia cum esset Deus, & consequenter Domin⁹ Angelorum, & quoad animam etiam comprehensor, nec indigebat, nec erat conueniens vt ei deputaretur Angelus in Custodem: fuisset enim veluti assignare discipulũ pro Magistro maximo omnium Doctori; habuit tamen illos Ministros; vt patet in Natiuitate, & post tentationem in deserto; & ex eo quod dixit Petro in Horto: videlicet. *An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim Legiones Angelorum, &c.*

Dices 1. etiam Beatissimam Virginem fuisse Dominam Angelorum. Ergo vel non habuit Angelum Custodem, vel hæc ratio dominij in eos non sufficit ad hoc, vt Christus Dominus nõ haberet talem custodem. ℞. Beatissimam Virginem non fuisse Dominam ratione Diuinitatis, vt erat Dominus noster Iesus Christus, sed ex priuilegio, & eius Regni possessionem dilatam fuisse, vsque ad Assumptionem ipsius. At Dominium Christi Domini in eos erat ratio-

tióne Verbi Diuini, cui erat essentialis potestas in ipsos, ac proinde nunquam fuit sine possessione talis Potestatis, & Dominij; & propterea est communis consensus Theologorum, quod Beatissima Virgo haberet talem Angelum tutelarem: cum esset pura creatura, & viatrix, & non adhuc in termino: Et hunc contéplatiui aliquot dicunt fuisse S. Gabrielem Archangelum.

Dices 2. Quicumque tentatur à Diabolo indiget Angelo Custode; Ad hoc enim maximè datur, vt tueatur nos ab incursibus, & tentationibus malignorum spirituum. Sed Christus Dominus fuit tentatus à Diabolo; ergo habuit Angelum Custodem. Respondetur illos indigere tali custodia, qui possunt in tentationib⁹ vinci; at Christ⁹ nō potuit tētationib⁹ superari, ac proinde non eguit tali custodia. Dices vt quid ergo tentatus est si expugnari non potuit? ℞ propter multa. Primò, vt tentatus per omnia compateretur nobis quando tentamur, vt ait Apostolus in Epistola ad Hebr. c. 2. & 4. Secundo, vt nos doceret, & instrueret ieiunijs, & orationibus, ac Sacrarum Scripturarum eloquijs superandi modum. Tertio, vt hoste deuicto redderet nos fortiores, & confidentes in eius virtute de Victoria, iuxta illud Io: cap. 16. *Confidite, ego vici Mundum*. Quarto, vt cognosceremus, quod quando vincimus, illo vincente vincimus; & vt ait S. P. in Ps. 60. *Agnosce se in illo tentatū, & agnosce te in illo vincentē.*

Dico 4. loquendo de mūdi tempore probabile esse, quod Angelorum custodia inceperit à principio mundi, & ab ipsa creatione primorum parentum, & hæc est sententia S. Thomæ in cit. quæst. 113. art. 4. ad secundum, quod probat, quia in ipso statu iñocentiæ imminebat homini periculum ab exteriori propter insidias Dæmonum, vt rei probauit euentus; & ideo etiam in illo statu indigebant custodia Angelorum. Hæc sententia est communis inter recentiores, qui addunt etiam hanc aliam rationem, quia, & in illo statu poterant Angeli suis illuminationibus illos homines incitare, & inclinare ad bonum; nam licet homo tunc à passionibus non esset pronus ad malum, nec ab illis retraheretur à bono; indigebat tamen etiam ibi incitamentis ad bonum. Dixi esse probabilissimum; nam hoc docent communiter Scholæ; Non desunt tamen, qui dicant huiusmodi custodiam incæpisse post lapsum primorū Parentum, & pro hac sententia citatur S. Gregorius Nyssenus in Vita Moysis paulò post initium, vbi ait *Occultior traditio est, verus sermo ad nos vsque descendit, quo creditur postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino clementia diuina neglectam, nec absque suo patrocinio dimis-*

missam, sed Angelorum, qui incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique constitutum esse. Hanc sententiam sequitur etiam noster P. Ioannes Gregorius à Iesu Maria Lectione 18 de Horto. vbi ad argumenta Suarij respondet ex doct. S. P. N. Augst. sequi veritaté huius sententiæ; nam lib. 8. de Genesi ad litteram capite 10. exponens illa verba Gen. cap. 2. *Posuit eum (idest hominẽ] in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum*, ait. *Est alius in his verbis sensus, quem puto non immeritò præponendum. Vt ipsũ hominem operaretur Deus, & custodiret*. Quod si Deus illum immediate custodiebat, & operabatur eum, idest in eo actiuè, non passiuè illuminando, dirigendo, & arcendo mala &c. profectò non erat necessaria Angeli custodia; quod idem habet ibi Rupertus sic. *Vt operaretur Adã obediendo, & sic eum custodiret Deus*. Verum, quia non obediuit, indignũ se reddidit immediata Dei custodia; qui tamen eum non penitus deseruit sed cuique Angelum aliquem in adminiculum constituit. Vtraque sententia valde probabilis est, illa prior magis recepta inter Thomistas. Hæc posterior videtur esse magis ad mentem S. P. Loquendo postea de tempore cuiusque hominis, sententia S. Thomæ in præd. q. 113. art. 5 est deputari cuique Angelum Custodem à puncto natiuitatis suæ: quod probat, quia beneficia illa, quæ Deus prouidet cuique homini quatenus habet naturam rationalem; eo tempore illi conferuntur, quo talem naturam incipit habere. Sed custodia Angelica computatur inter huiusmodi beneficia, ergo homo statim à natiuitate habet talem custodem. Prob. 2. Auctoritate S. Hieronymi, & Origenis supracit. qui dicunt ab ortu natiuitatis habere vnumquéq; Angelum deputatum.

Dices 1. pueri mox nati, sunt incapaces, vt illuminentur, & dirigãtur in suis actionibus ab Angelo: ergo non ab hoc tempore, sed ab eo, in quo incipit homo habere vsum rationis debet sumi exordium huius Tutelæ. ℞. effectum huiusmodi custodiæ non esse solam illuminationẽ, & directionẽ in operationibus moralibus; Sed etiam arcere Dæmones, remouere pericula tam spiritualia, quam corporalia, procurare bona conuenientia statui sui clientis &c. quæ optimè potest Custos exercere circa huiusmodi infantes.

Dices 2. puer accipit naturã humanam ab eo puncto, in quo anima rationalis incipit informare corpus in vtero matris, quod conceptio hominis communiter appellatur. Ergo ab hoc puncto, & non à tempore natiuitatis debet assignari exordiũ custodiæ. Respondeo non deesse Auctores, qui & propter hanc rationem, & quia infans etiam in vtero

Matris

Matris eſt perſona diſtincta à Matre in ordine ad beatitudinem. Vnde eſt capax peccati originalis,& eo infectus, eſto Mater, vt plurimum ſit Sancta, & in ſtatu gratiæ; docent aſſignari Angelum tutelarem à momẽto huiuſmodi Conceptionis; in quo videtur magis commendari Liberalitas Dei. Nihilominus cenſeo propter hæc non eſſe recedendum à ſententia S. Thomæ loco cit. in reſponſione ad Tertium, qui pro ſua ſentẽtia aſſignat hanc rationem: Puer quã diu eſt in vtero Matris eſt veluti pars Matris, quemadmodum fructus pendens ab arbore eſt aliquid arboris; & propterea tunc ab Angelo Tutelari Matris cuſtoditur; quod non habet locum in Natiuitate, tunc enim puer ſeparatur à Matre. Et cum hęc ſit etiam ſententia S. Hieronymi, & Origenis videtur habere maiorem probabilitatem, & ab intrinſeco, & ab extrinſeco. Ad argumentum adductum. ℞. quod licet tunc puer habeat naturam rationalem indiuidualiter diuerſam à Matre; nihilominus moraliter cenſetur vnum quid cum ipſa, vt quid contentum, vnitum, & alligatum illi; ac proinde nullam eſſe neceſſitatem diuerſi Cuſtodis: ſicut non aſſignatur diuerſus Cuſtos pro vaſe, & pro contentis in vaſe. Ad aliam rationem recentiorum, reſpõdetur diſtinctionem illam, non importare, nec exigere diuerſitatem talis Cuſtodis; nam ſicut communiter docetur Cuſtos Regni, vel Ciuitatis non ſolum cuſtodit Sanctos,qui in illis ſunt, ſed etiam peccatores; ſic & Angelus, qui cuſtodit Matrem Sanctam, optimè poterit cuſtodire infantem exiſtentem in vtero Matris. Ad illud de Liberalitate Dei, reſpondetur hanc non eſſe regulandam per noſtros diſcurſus, ſed ſecundum ordinem Sapientiæ, & Prouidentiæ ſuæ, quæ ſuauiter diſponit omnia; tunc enim recta eſt Liberalitas, & diſpenſatio, quando non ſolum datur, ſed etiam datur quid, quantum,& quo tempore conuenit, tam danti, quam recipienti.

Dico 5. S. Michaelem Arcangelum præfuiſſe Iudæorum Synagogæ, & nunc præeſſe toti Eccleſiæ. Prima Pars prob. communiter ex Daniele capite decimo v. 21. vbi habetur. *Nemo eſt adintor meus in omnibus his, niſi Michael Princeps veſter.* Prob. 2. ex illis quæ narrantur in Scripturis Sacris geſta pro Hebræis; nam in hoc eodem capite decimo refertur eum egiſſe cauſam ipſorum, vt poſſent liberari ex captiuitate Babylonis.& in Epiſtola canonica Sancti Iudæ Apoſtoli narratur eum contendiſſe cum Diabolo de corpore Moyſis; quo loco Lyranus, Dionyſius, Cartuſianus, & alij interpretes dicunt Diabolum voluiſſe illum in apertum proferre, vt Iudæis occaſionem Idololatriæ daret. S. verò Michaelem ſe oppoſuiſſe, vt populo

Dei hanc peccandi occasionem au ferret: Probatur etiam Auctoritate Sancti Thomæ, qui in quarto dist. 43 quæst. 43. quæst. 3. art. 3. ad 3. de S. Michaele loquens, ait quod Sinagoga præerat; refert etiam noster P. Io: Gregorius in præcitata Lectione 18. nu. 11. Auctoritatem S. Gregorij Magni, ex Vincentio Regio lib. 5. cap. 10. Digress. 6. nu. 11. dicentis *Michael erat Hebræi populi præposit⁹*. Et præterea adducit Auctoritatem S. Pantaleonis Ecclesiæ Constantinopolitanæ Decani dicentis de S. Michaele *Semper castra locat in circuitu fidelium, & nos redimit à telis Belial, & omnium inimicorum nostrorum*; immò ex Vicentio Regio loco citato, probat nomen Macabęorum deriuatum fuisse à S. Michaele; eo quod isti in vexillis ex præcepto inuictissimi Ducis Iudæ filij Mattatiæ præliaturi contra Antiocum, inscripserint quatuor litteras initiales M. C. B. I. quorum significatum erat *Mi, Chemocha, Baalaim, Iehoua*, idest quis sicut tu in fortibus Domine: quæ postea milites corruptè legentes ex illis se inuicem Macabęos appellabãt; vt refert Sixtus Senensis Lib. 1. suæ Bibliotecæ Sacræ; & his verbis contineri nomen S. Michaelis, qui interpretatur *quis vt Deus*, ostendit Vincentius Regius Digress. Sexta supracitata. Quibus addere possumus Nicolaum de Lyra in Epist. S. Iudæ Apostoli ad illa verba, *Cum Michael Archangelus, cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore*; vbi ait. *Volebat Diabolus reuelare corpus Moysi Iudæis ad idolatriam pronis, vt eum adorarent tanquam Deum. Michael autem tunc Princeps Synagogæ, hoc volebat impedire*; ac etiam Dionysium Cartusianum ibidem sic dicentem. *Quoniam tamquam Princeps Sinagogæ, voluit corpus illud manere absconditum*, quod etiam repetit in Euangelio S. Lucæ ad illa verba cap. 22. *Apparuit illi Angelus de Cælo confortans eum*: vbi ait. *Probabile est Angelum illum fuisse Michaelem tunc Principem Sinagogæ*. Durasse hanc custodiam, donec *Velum templi scissum est in duas partes*; ostendit in præcit. Lect. n. 11. eruditè noster P. Io: Gregorius Auctoritate S. Hieronymi, Ruperti Abbatis, & Iosephi Hebræi quando auditæ fuerunt à multis voces illæ *Migremus hinc, migremus hinc*, quas fuisse voces Angelorum derelinquentium Templum, & Synagogam, quorũ Princeps est S. Michael, communis est Sententia.

Secunda pars probatur. Primò ex Sacra Scriptura; nam Danielis cap. 12. habetur. *In tempore autem illo consurget Michael Princeps Magn⁹, qui stat pro filijs populi tui*. Loquitur ibi Propheta, vt est clarum ex capite antecedenti, de prælijs contra Ecclesiam, & maximè de tribulatione illa magna, qualis non fuit, quam

ha-

habebit Ecclesia Sancta tempore Antichristi, qua descripta subdit præ dicta verba, & statim subiungit. *Et veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cæperunt vsque ad tempus illud; Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper.* Immò S. Thomas Acquinas ad illa verba Epist. 2. ad Tessal. c. 2. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui: ait, idest mandato suo; Quia Michael interfecturus est eum in Monte Olineti; vnde Christus Cælum ascendit.* Ex quibus apparet S. Michaelem Archangelum, non solum Synagogæ, sed etiam S. Ecclesiæ Protectorem, Defensorem, & Custodem fuisse, esse, & fore futurum in omnibus, & maximè in cunctis suis prælijs, & certaminibus. Huius assertionis optima ratio illa mihi videtur esse, quam adducit Andreas Victorellus libro sexto Ministeriorum Angelorum cap. 9. idest, quia seruauit fideles Maiestati Diuinæ, omnes Sãctos, & felices spiritus omnium triũ Hierarchiarum; immò S. Pantaleo supra relatus loquens de S. Michaele docet eum à primis parentibus hanc custodiam exorsum fuisse. Et quod Adam de Paradiso eiectum fraude Dæmonis inimici, texit, traduxit, & direxit, & eum terram ligone docuit fodere, seminare, & metere, & ad reliqua, quæ vtilitatem afferebant instituit, vt quæ ei ex iniuria contigerat lapsus per laboriosam, & gratam Deo viuendi rationem rursus corrigeretur, & quod instructus à Michaele, non fuit amplius seductus à Diabolo, nec ab eo est passus aliquã commotionem. Prætereа ait inter cætera præclara Michaelis gesta, est quod Abraham comitatus est, cum è terra egrederetur, qui manu tenuit gladium, ne Isaac interficeretur; subinde narrat eumdem S. Archangelum liberasse populum Hebræum à tyrranide Pharaonis, adiuuisse populum Hebræorum in deserto, Balaã Prophetam correxisse, Ad prælium hortatum fuisse Gedeonẽ, eumque iuuisse, Natã Prophetæ apparuisse, & ad corripiendum Dauid misisse; qui exercitum Assiriorum interficiendo vna nocte, centum octuaginta quinque mille virorum destruxit, qui tres pueros in fornace ignis seruauit, Danielem intactum, & illæsum inter Leones custodiuit, & Abachucum cibo ad eum detulit. Dæmonem volentem prodere corpus Moysis cohibuit, qui aquam Probaticæ piscinæ commouit, & denique statuit, ac firmat veluti generalem regulam, quod *Michael fidelium populorum Ecclesias exhilarat. Romanorum custodit Rempublicam Christi Imperatorem armat. Aduersus barbaros Christianos reddit victores.*

Hostes inimicos persequitur, ab eorum qui persequuntur molestijs pios liberat, ab ingentibus maris fluctibus eos, qui ipsum inuocant eripit, Dæmonis impetus propulsat. Hanc eamdem veritatem probat Becanus Tract. de Angelis cap. 6. §. *Secunda Pars.* Ex multis huius Sancti Seraphim apparitionibus, & ex multis miraculis, quibus partim in Occidentali, partim in Orientali Ecclesia conspicuũ se fecit. Vnde tot illi Basilicæ erectæ, & dicatæ in Orbe Christiano fuere. Propterea arbitror S. Romanam Ecclesiam ei commendare omnes animas suorum filiorum in Missa Defunctorum illis vocibus. *D. I. C. libera animas omnium Fidelium Defunct., &c. signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem Sanctam, &c.* Dignissimus propterea spiritus Princeps, & Seraphim, quem inuocemus omnes; sicut eum toto corde ex nũc oro, & deprecor vt me nunc, & semper, & maximè in hora obitus mei, iuuet, protegat, custodiat, & defendat, & eisdem vocibus interpello, quibus S. Sofronius Episcopus Hierosolomitanus oratione de excellentia Angelorum interpellauit, & sunt. *Re, & nomine Michael venerande te oro, & quantum possum sensu obtestor, vt è vitæ huius curriculo exituro lætus, pacatusque appareas; meque sub honorata alarum tuarum velamine abscondas, atque ex angustis, obscurisque inferorum locis ereptum in loca Tabernaculi admirabilis constituas, deducens vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis, & soni festum celebrantium.*

Dico 6 communem esse sententiam Theologorum personas publicas, vt sunt Summus Pontifex, Episcopi, Reges, Gubernatores, & alij, huiusmodi præter Angelum Custodem assignatum eis ab ortu natiuitatis iuxta præcedentem Doctrinam habere alterum Angelum Custodẽ, in ijs quæ spectant ad regimen; qui à quibusdam Angelus gubernij appellatur. Probant hanc assertionem aliqui ex cap. 12. Actuum Apostolorum vbi narratur, quod Petro educto è carcere, & pulsante ad ostium, vbi erant fideles congregati, & oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo; crediderunt isti Angelum eius esse idest Angelum officij. Hoc tamen recentioribus non videtur sufficiens ad probandum intentum, quia verba illa Textus hoc, nec quidem leuiter indicant, nec apparet ex quo capite illi fideles potius de Angelo Custode Personæ, quam de Angelo officij dixerint Angelum eius esse. Melius crediderim ego probari ex apparitione ipsa Angeli in carcere, qui percusso latere ipsius Petri eduxit eũ ab omnibus periculis, & si quæras à me cum Arriaga; vnde habeam hũc fuisse Angelum officij. Respondeo ex contextu in quo habetur, quod

ora-

oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo; & cũ hoc expediret bono totius Ecclesiæ, ipsum S. Michaelem Archangelum ipsius S. Ecclesiæ Protectorem, & Custodem ex officio arbitror id præstitisse, cuius rei non habeo quidem necessariam consequentiam; sed solum argumentum ex dictis, & ex eo, quod cum Andrea Victorello docet noster P. Io: Gregorius in præcitata lectione 19. videlicet S. Michaelem Archangelum esse Tutelarem Summi Pontificis pro tempore existentis, pro quo citat etiam Cornelium à lapide, & Vincentium Regium, qui omnes vt viri pij, & eruditi hæc non sine fundamento docuere; propterea etiam ipse Arriaga Tract. de Angelis sect. octaua; licet in subsectione secunda. §. *sexto dubitatur*, hoc valde dubium reliquisset; nihilominus in subsect. 3. nu. 58. §. *Dices* scripsit, probabilissimè dicitur etiam Regibus, Episcopis, & similibus personis Archangelos aliquos designari: Hoc magis patebit ex sequenti assertione.

Dices. Cum nullus homo sit Episcopus, aut Rex ante electionẽ, vel inaugurationem, vel ante hanc, puta à natiuitate, habuerunt huiusmodi personæ Angelum Custodem officij, vel solum personæ, vel vtrumque simul. Non primum, nec tertium, quia tunc non habebant huiusmodi officia, & consequenter frustra fuisset talis Angelus. Ex secundo sequitur, quod vel postea mutandus sit Angelus cum vnicus sufficiat, tam pro persona, quam pro officio: vel quod idemmet, qui est personæ debeat etiam esse officij Custos; sicut eadem est persona, quæ assumitur à statu priuato ad statum personæ publicæ: ne dicatur Deum aliquid frustra disposuisse. ℞. communiter iuxta ordinem Sapientiæ Diuinæ factam esse illam dispositionem ordinum Angelorum, quam supra ex Sancto Dionysio, & alijs indicaui; vt Angeli infimi Chori custodiãt priuatas personas; Archangeli verò, vel etiam Principatus custodiant personas publicas; ac proinde duos omnino esse constituendos vnum à natiuitate, qui semper curam illius habet vt est indiuiduum naturæ humanæ, qui cum sit Angelus semper manet in ordine infimo Angelorum, cum in Patria non fiat assumptio ab vno Choro ad alium. Alterum verò à puncto electionis, vel inaugurationis, qui regat, dirigat, & custodiat in illis, quæ ad officium spectãt, qui sit è Choro Angelorum, vel Principatuum; ac proinde Deum, nihil frustra disposuisse. Instantia illa Arriagæ loco cit. ex absurdo quod sequeretur, si Angelus sciret iam ab instanti Conceptionis, quis sit futurus Episcopus, quis verò non. Mihi videtur oriri potius ex inordinato illo appetitu intrudendi vbique quæ-

stio-

ſtionem ſcientiæ de futuris liberis, vel abſolutis, vel condicionatis, quã ex eo, quod habeat aliquid difficultatis conſideratione dignæ. Quis enim Theologorum ignorat quemcumque Beatum ſine vllo inconuenienti ſcire, & videre, ac præuidere ea omnia, quæ ad proprium ſtatum, & eorum cuius curam habet, vel habuit?

Dico 7. Regnis ſingulis, atque Prouincijs etiam infidelium præpoſitos eſſe Angelos ſingulos quod prob. ex cap. 12. Danielis vbi narratur quattuor Angelos fuiſſe Principes diuerſorum regnorum, eſto duo ex illis eſſent infidelium; nam vnus dicitur fuiſſe Princeps Perſarum. Secundus Græcorum. Tertius captiuorum in Perſide, & hic dico ibi fuiſſe Gabriel. Quartus Michael Princeps populi Dei: & ortam fuiſſe diſſenſionem inter Angelum Principem Perſarum, & Gabrielem, an Iudæi eſſent liberandi ex Perſide necne? nam Princeps Perſarum vrgebat perſiſtendum eſſe Iudæis in Perſide, vt Perſæ erudirentur ab illis de cultu, & Religione veri Dei, & ſic conuerterentur. Gabriel verò contendebat eos eſſe liberandos, ne paulatim imbiberent mores Perſarum infidelium, & relicto verò Deo ad idola ſe conuerterent, & durauit diſſenſio, donec Michael nunciauit eis voluntatem Dei. Idem docent PP. & Interprætes in hoc loco, & alibi.

Quæret hic fortè aliquis, an idem numero ſit Angelus Cuſtos Regni vel Prouinciæ, ac Cuſtos Regis, vel Gubernatoris. Pars affirmatiua videtur ſuaderi poſſe ex eo quod ſupra dixi; ideſt S. Michaelem Archangelum eſſe ſimul, & Cuſtodem S. Eccleſiæ, & Summi Pontificis pro tempore exiſtentis. Pars verò negatiua videtur argui poſſe ex eo quod Regna, quandoque adeo ſunt diſtantia à ſuo Rege, vt non poſſit concipi eumdem Angelum ſimul cuſtodire Regnum, quod eſt v. g. in America, & Regem, qui eſt in Hiſpania; ſed hæc ratio non multum vrget, nec cõuincit, vt infra dicam. Fortius ſuaderi poteſt, ex eo quod quandoque, & ſæpe cauſæ Regum, & cauſæ Regnorum ſunt inter ſe diuerſæ, & ex diametro oppoſitæ; in quo nec etiã leges humanæ concedunt eamdem perſonam poſſe eſſe Aduocatum, pro vtraque parte. In hac quæſtione non vidi adhuc Auctorem, qui eam diſcutiat; ea propter, & ipſe ſub dubio illã relinquo. Pars tamẽ hęc negatiua magis placet, & ad argumentum deſumptum ex Summo Põtifice, & Eccleſia reſpondeo eſſe diſparem rationem; nam hic ſemper eadem eſt cauſa Summi Pontificis, & Eccleſię; ideſt cauſa fidei, non ſic in Regnis temporalibus, quod tamẽ dictum volo, ſaluo meliori iudicio.

Dico 8. cum communi ſententia etiam ſpeciebus aliarum rerum pręſide-

ſidere Angelos, quod probatur primò ex Apocalypſi cap. 1. & 14. vbi habetur Angelum vnum fuiſſe aquarũ pręſidentem, alterum verò habuiſse poteſtatem ſupra ignem. Secundo idem prob. Auctoritate S. P. Auguſtini. S. Gregorij Nazianzeni. S. Io: Damaſceni, quos refert, & ſequitur Suarez lib. 6. cap. 17. n. 15.

Dico 1. cum Caietano, Angeli nec producunt res irrationales, aut inſenſibiles, nec immutant curſum cauſarũ ſecundarũ; nec iſtę ſunt capaces illuminationis, aut doctrinæ; ergo ſine neceſſitate, & fundamento ponitur talis pręſidentia. ℞. ſufficiens fundamentum pro conſtituenda opinione probabili eſse pręd̃ictas auctoritates, tam ſcript. quam SS. PP. & pro ſufficienti neceſſitate aſſignari poteſt, quod Angelus v. g. qui pręeſt mari poteſt impedire, & coercere tempeſtates pro ſalute, & bono hominum; qui prçeſt igni poteſt coercere magna incendia & ſic de alijs: poſsunt etiam procurare conſeruationem ipſarum ſpecierum, impedire magna nocumenta, v. g. ne locuſtę deuorent ſegetes, Lupi oues, & alia miniſteria exercere circa illas in bonum, & vtilitatem hominum; cũ earum exiſtentia ad hoc ſit ordinata.

Limitat Suarez loco citato hanc generalem regulam cap. 19. tribuendo ſolum huiuſmodi curam, & protectionem ſpeciebus perfectis; nam in aliquibus alijs non apparet neceſſitas, nec vtilitas talis curę; vt v. g. in arenis maris, ibi enim nõ eſt periculũ ne pereant, nec ab eiş timetur malũ.

Dices 2. vel aſſignatur vnicus Angelus pro tota ſpecie v. g. Leonum, vel vnus pro quolibet indiuiduo. Primum eſt impoſſibile. Secundum eſt ridiculum; ergo non eſt admittẽda talis cuſtodia. Antecedens probatur quoad primam partem, quia vnus Angelus non poteſt ſufficere pro omnibus indiuiduis talis ſpeciei, qui ſunt in toto orbe, cum ſphęra actiuitatis, & loci ipſius ſit limitata. Quoad ſecundam partem prob. quia tantę dignitatis ponerentur eſse Vrſi, & Lupi, ac ſint homines. ℞. negando talem inſufficientiam, vel impoſſibilitatem; nam prouidentia illa talis Angeli eſt ſolum pro aliquibus caſibus in quibus vel toti ſpeciei magnum aliquod immineret nocumẽtum, vel pateretur illud actu, vel ob aliquam aliam cauſam ſimilem, quã optimè poteſt pręuidere talis Angelus, & ſtatim citiſſimè accurrere; quod idem dicendum eſt de mari, quando imminet aliqua tempeſtas, & de alijs ſimilibus caſibus. Nec iudicarem inconueniens dicere, quod Deus conſtituendo talem pręſidentiam dederit quoque vnicuique virtutem, & potentiam actiuam operandi in prouiſionem, & bonum cuiuſque indiuidui ſuę ſpeciei ad quam cumque diſtantiam. Quemadmodum cum ſubiecerit res corporeas acti-

actiuitati corpori cælestium, & maximè Astrorum, vt Solis, & Lunæ, &c. eorum actiuitatem, vt probatur experientia, voluit extendi ad totum orbem terrarum.

Dico 9. cum communiori sententia solum ex tertia Hierarchia assignari huiusmodi Angelos Custodes; est tamen dubium, an ex omnibus tribus Choris, vel solum ex infimo Choro. Quoad Angelos Custodes singulorum indiuiduorum naturę humanæ; sicut etiam singulorũ generũ rerum corruptibilium, docet S. Thomas pri. par. qu. 113. art. 2. esse ex infimo Choro: cuius assertionis optima ratio videtur esse illa, quam assignat in articulo sequenti, quia scilicet minima pertinent ad infimum ordinem; At Custodia & procuratio eorum, quæ conducunt ad salutem vnius tantum, est minimum inter officia Angelica. Ergo hæc spectat ad infimum Chorum, & pro hac sententia citantur etiam SS Doctores Dionysius, Athanasius, & Gregorius. Cum quo tamen stat, quod custodia vniuersaliter hominum, vt Ecclesiarum, Regnorum, & Prouinciarum spectet ad Angelos superiores, puta ad Archangelos, & ad Principatus, vt docet ibi art. 3. Angelicus Doctor, & toti Ecclesiæ Catholicæ esse supremũ Seraphim idest Sanctũ Michaelem, vt dictum est.

Dices 1. S. Io: Chrysostomum homil. 60. in Matthæum docet Angelos Custodes esse ex Angelis excellentioribus. Ergo non sunt ex infima Hierarchia, nec ex infimo Choro. Respondent aliqui hunc S. Doctorem solum intendere, quod sint inter spiritus excellentiores, eo quod sunt superiores omnibus Dæmonibus, qui & ipsi spiritus, & Angeli Apostatæ dicuntur, & hoc deducitur ex contextu illius homiliæ, quia explicans huiusmodi excellentiam, ait consistere in hoc quod *videant faciem Patris*; quod est commune omnibus Sanctis Angelis: hęc mihi videtur melior responsio cæteris. Nam illam quam assignant alij dicendo eum loqui de excellentioribus in infima Hierarchia non satisfacit planè; nam ex hac sequeretur etiam Angelos Custodes, cuiusque hominis esse ex supremo Choro Tertiæ Hierarchiæ, quod est expresse contra prædictos Sanctos Doctores. Quod si dicas adhuc apud S. Ioan: Chrysostomum per ly videre faciem Patris non venire quamcumque visionem Beatam omnibus communem, sed specialem solummodo assistentiam, vt notauit quidam recentior. Respondeo me ex lectione illius homiliæ nihil tale deprehendere potuisse; quod si hoc esset, deberemus dicere S. Ioannem Chrysostomum in hac re dubia esse in opposita sententia. Præterea hic argumentũ illud desumptum ex inæqualitate specifica cuiusque Angeli, quam docent

cent Thomistæ, eo quod sit res valde incerta, & adhuc ea admissa spectat ad Diuinam Prouidentiam assignare prædictos Custodes, iuxta regulas Diuinæ Sapientiæ, in qua re crediderim magis attendi dona supernaturalia ipsorum Angelorum, quã prædicata naturalia; Cum sint administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

Dico 10. inter munera, quæ exercent Angeli in custodia hominum, præcipua esse quod illuminent intellectum. Impediant Dæmones in suis prauis intentionibus, & tentationibus. Auertant pericula spiritualia, & corporalia. Remoueant occasiones tentationum, & denique orationes nostras Diuinæ Maiestati offerant, vt habetur in eo Tobiæ cap. 12. dictum ab ipso S. Raphaele Archangelo eidem Tobiæ; ac etiam in Apocalypsi cap. 8. Necessitas horum officiorum patet ex discursu S. Thomæ pri. par. qu. 114. art. 1. vbi ostendit nos assiduè impugnari à Dæmonibus, vt est clarum ex Epist. ad Ephesios cap. 6. vbi Apostolus ait. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, & aduersus Mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, & passim de hoc in Sacris Scripturis admonemur. Prouenit autem hęc impugnatio principaliter ex malitia ipsorum Dęmonum, qui propter inuidiam profectus hominum impedire nituntur; vnde & ardenti odio Diuinæ Maiestatis imaginem, & similitudinem in nobis persequũtur, & propter superbiam, Diuinæ potestatis similitudinem sibi vsurpant deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem. Ordinat verò Omnipotens Deus, & ipsam custodiam bonorum, & Sanctorum Angelorum, vt prim⁹ Auctor, & prouisor bonorum omniũ, & sapienter disponit, & ordinat impugnationem prædictam ea regula, & ordine, quibus nouit etiam malis benè vti, vt de facto vtitur hac impugnatione ad nostram vtilitatem, & progressum.

Dices etsi in prioribus exercitijs SS. Angelorum Custodum appareat vel necessitas, vel vtilitas; in eo tamen quod est nostras preces offerre, vel deferre ad Deum nihil tale videtur; Deus enim nouit omnia, ac proinde etiam orationes nostras antequam fiant. ℞. nihilominus locutiones illas deferendi esse metaphoricas, & sensum proprium illorum esse, quod iungunt suas preces cũ nostris, vt nostræ efficaciores reddantur: Quin etiam, & sæpe independenter à nostris precibus, & ipsi pro nobis suas Deo fundunt orationes; vt communiter ex Sacris Scripturis docent PP.

Quæri hic solet an ad munus Angeli

geli Custodis spectet corrigere, & punire clientes sibi commissos, ℟. ex vitis Sanctorum constare eos correctione filiali in ordine ad emẽdationem etiam Sanctas personas corripuisse; Sæpe enim pro nostro profectu spirituali aliquid aduersum in bonis temporalibus disponunt, vel in pænam nostrorum peccatorũ curant, vt aliquid mali nobis eueniat, quo redeamus ad nos, vel vt in hoc Mundo pro pænis in Purgatorio debitis satisfaciamus: sæpe etiam excitant in nobis conscientiæ remorsum, vt vel doleamus de erratis preteritis, corrigamus præsentia, & caueamus ab illis in posterum. Censent etiam aliqui pij, & eruditi Auctores quandoque in bonum sui cliẽtis Angelum Custodem ex voluntate Diuina eidem mortem immediatè infligere, cum hæc quandoque immatura, & anticipata soleat esse Prædestinationis effectus, ac proinde maximum hominis bonum, vt habetur Sapientiæ cap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*. Porro decedentes in gratia, si habẽt aliquid ad purgandum Angelos tutelares comitari, & solari est communis, & pia Theologorum sententia, eosque fæliciter absoluto pænæ cursu ad Cælum deducere. Quod si nihil habeant ad soluendum in pœnis Purgatorijs, eos statim à puncto mortis ad regna cælestia festiuos, & lætos perducere docet nos S. Ioan: Chrysostomus in homilia de Lazaro mendico; ad illa verba, quæ habẽtur ex S. Luca cap. 16. *Factũ est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ:* vbi ait. *Nõ sufficeret vnus Angel⁹ ad portandũ? sed propterea plures venẽũt vt Chorũ lætitiæ faciãt. Gaudet vn⁹ quisque Angelorum tale onus tangere: libenter talibus oneribus prægrauantur, vt adducant homines ad regna Cælorum*. Ex his habemus non solum Custodem, sed etiam plurimos alios Angelos cõcurrere ad animam vni⁹ iusti deducendam in Cælum, quod & docet, & precatur S. Ecclesia Catholica in exequijs defunctorum illis verbis. *Subuenite Sancti, occurite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te.*

Absoluo hunc de Angelis Custodibus & totum de Angelis Sanctis, Tractatum verbis illis quibus pius, & eruditus ille Doctor Augustinianus Auctor libri Soliloquiorum caput illud 27, vnde desumpsi Axioma pro fundamento harum breuium de custodia Angelorum quæstionum, prosequitur, & explicat, ac breui complexu suam de custodia SS. Angelorum deuotam meditationem ad mentem S. P. terminat videlicet.

Diligunt nempe conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari ex-

pectant; ideoque magna cura, & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis, & locis, succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos, & te Domine, gemitus nostros, atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant, & exeunt nobiscum attentè cõsiderantes quam piè, quamque honestè in medio prauæ nationis conuersemur, quantoque studio, & desiderio quæramus Regnum tuum, & iustitiam eius, quantoque timore, & tremore seruiamus, & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes: congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te, inquam patientibus. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est effectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis Charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim, quos tu diligis, custodiunt quos tu custodis, & deserunt quos tu deseris. Nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam, & tu odisti omnes operantes iniquitatem, & perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Quoties benè agimus gaudent Angeli, & tristantur Dæmones. Quoties vero à bono opere deuiamus Diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus: gaudium est enim eis super vno Peccatore pænitentiam agente, sed Diabolo super vno iusto pænitentiam deserente. Da igitur, da Pater eis semper gaudere de nobis, vt & tu semper per eos lauderis in nobis: & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur, vt confiteamur simul nomini Sancto tuo, Creator hominum, & Angelorum. Hæc ipse commemorans coram te, confiteor laudans te: quoniam beneficia tua magna sunt, hæc quibus nos honorificasti dans nobis Angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid Cæli ambitu continetur, & quasi parua reputas hæc, quæ sub Cælo sunt, nisi adderes etiam ea, quæ sunt super Cælos. Laudent te Domine de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & ipsi Sancti tui tibi benedicant. In sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX
CONTROVERSIARVM, ET DVBIORVM
IN AXIOMATA
S. P. N. AVGVSTINI
DE ANGELIS.
CONTROVERSIA I.

De existentia, & essentia Angelorum.

CON-

CONTROVERSIA II.

De Potestate Angelorum circa corporalia.

CONTROVERSIA III.

De loco, & motu Angelorum.

CONTROVERSIA IV.

De intellectu, & cognitione Angelica.

Du-

CONTROVERSIA V.

De obiecto intellectus Angelici, & de locutione, & illuminatione Angelorum.

ab

CONTROVERSIA VI.

De voluntate, & amore Angelorum.

CONTROVERSIA VII.

De gratia, meritis, & gloria Angelorum.

CONTROVERSIA VIII.

De peccato, & pœna Dæmonum.

Axio-

CONTROVERSIA IX.

De Ordinatione, Potestate, Missione, & custodia Angelorum SS.

INDEX NOTABILIVM.

Primus Numerus Paginam, Secundus indicat Columnam.

De

B

Essen-

M

N

O

P

Via

V

FINIS.

Er-

Errata.			Sic Corrige.
Pag. 2.	Col. 1.	*Angelorum*	*Angelis*
4.	col. 1.	opponeretur	opponerentur
14.		Quærris nomen Quærris,&c.	Quæris nomen Quæris
38.	col. 2.	S.Buonauentura	S.Bonauentura
49.	col. 2.	Ph.losofico	Philosophico.
117.	c. 2.	*post illa verba* realiter ab ipso	*addendum est*. Melior ergo ratio est, quia in mea sententia esse est identificatum cum essentia, & substantia Angeli, & propterea sicut non identificatur cum eius essentia, ita nec etiam cum eius esse.
121.		Dubium secundum	Dubium quintum.
143.	2.	Eamque tuentur Scotus	eamque tuetur Scotus
152.	1.	perfectè & districtè	perfectè & distinctè
298.	1.	appositum	oppositum
299.	1.	nonnè	tenè
300.	1.	Accidentales	Accidentalis
ibid.	1.	appositum	oppositum
ibid.	2.	ad licteram	ad litteram
302.	1.	per illum	per illam
304.		Scripturalem	supernaturalem
ibid.	1.	HHoc	Hoc.
306.	1.	loquens de Angelis & luminibus.	loquens de Angelis, & hominibus.
312.	1.	per similes actiones eas amittere posset	per similes actiones eam ammittere posset.
317.	1.	Et hoc quod in præsenti quæritur	Et hoc est quod in præsenti quæritur.
318.	1.	cap.3. supra relati	supra relatis